Digitized by Google

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES

Digitized by Google

PAVLI IOSEPHI A RIE

EQ. SAC. CAES. REG. APOST. MAI. CONS. AVI
ECCLES. P. P. O.

INSTITVTION

IVRISPRVDENT
ECCLESIASTICA

PARS

PRINCIPIA IV
ECCLESIASTI
CONTINENS.

EDITIO NOVA, ET EMENI



VINDOBONÆ,

TYPIS JOAN. THOMÆ NOB. DE TRA
CÆS. REG. AVLÆ TYPOGR. ET BIB

MDCCLXXIV.

Digitized by Google

BV761
R5
1776
v. 1

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Iurisprudentiae eccleſiaſticae, quas ſcripſi, inſtitutiones, ſemel iterumque typis editae, iam tertio in lucem prodeunt. Tribuo bonoris aliquid induſtriae meae, plus beneuolae in me voluntati, potiſſimum vero literatorum ardori, et pertinaci diſcentium ſtudio.

Nouae autem huius editionis rationem redditurus, paucis te moneam amice lector, neceſſe eſt. Scilicet fuerunt quaedam, eaque plura, quae ut contraherem ac breuiori via incederem, fuere etiam alia,

quae vt adderem atque augerem, fuere denique nonnulla, quae, vt in aliam formam redigerem, me impulerunt.

Perſpexi enim, et ipſo vſu edoctus intellexi, principia iuris eccleſiaſtici, ſi ita diffuſe, vt in altera praecipue editione factum et vberius quandoque pro rei dignitate pertractentur, diſcentium ingeniis non ſemper adcommodata et intra vnius anni curriculum vix ac ne vix quidem conſtringi poſſe. Ideo plura nonnunquam in vnum congerere debui, atque alia in alium dirigere ordinem, vt nouum, quod prodit opus tyronibus magis faciliusque inſeruiret. Atque dum in horum praecipue vſum inſtitutiones haſce conſcripſi, nolim quisquam expectet, quod nec meditatus quidem ſum, perfectum quoddam ac iurisprudentiae ſacrae opus abſolutiſſimum.

Prima mihi erat cura maximaque ſollicitudo, pura, et exacta dare principia eaque ponere fundamenta, quibus tyrones innixi, ad peruestiganda ſacrorum canonum, recondita vlterius progredi tuto queant.

Et

Et vero laborum meorum fructum me tuliſſe haud ſpernendum mihi iam videor, quum vbique in terris auſtriacis vigere ſaniora iurisprudentiae eccleſiaſticae dogmata, laetiusque efflo-reſcere iam videam veram ac genuinam illius culturam, vt adeo puriorem doctrinam in remotioribus etiam noſtris academiis ſcientiarumque ſedibus reſtitutam non tam mihi gratuler, quam ſummopere gaudeam. Video atque intelligo meos diſcipulos cathedris iam paſſim impoſitos, docendoque iuri eccleſiaſtico adhibitos: ipſum filium meum Friburgenſi in academia (quae et enutriuit olim, et cui ſcientiae iuridicae primordia debeo) iuris ſacri interpretem habet: quem vti domi laborum meorum adiutorem expertus, ita nunc quidem ſedulum doctrinae meae ſectatorem, et propugnatorem nactus ſum omnino ſtrenuum. Huic proin labores ego, quos inchoavi, perficiendos relinquo, hic gratus agnoſcat, a Patre ſuo, eoque iam ſene ea ſcripta, ac literis fuiſſe mandata, quae verae iuris prudentiae ſacrae cum fructu intelligendae primam his in regionibus lucem dederint, et quae ab illo, ſi patris inſiſtere veſtigiis velit (atque etiam volet) aliisque compluribus hanc viam ſequuturis, docto

vlterius calamo perſici poterunt, et augeri. Tu vero lector benevole, hiſce laboribus meis interea fave, et meum de iurisprudentia ſacra bene merendi ſtudium aequi bonique conſule.

Digitized by Google

CONSPECTVS
PARTIS PRIMAE
SECTIO I.
DE
RELIGIONE, ET ECCLESIA.

CAPVT I.
DE
VERA HOMINIS FELICITATE.

Pag.

§. I. Omnes felicitatem deſiderant. 3
§. II. Felicitas definitur. —
§. III. Virtus veram quidem felicitatem tribuit. 4
§. IV. Aſt non perfectam. —
§. V. Hanc autem exiſtere, 5
§. VI. Et in ſolo Deo ſitam eſſe demonſtratur. —
§. VII. Medium perfectam felicitatem obtinendi eſt religio. 6

CAPVT II.
DE RELIGIONE, ET ECCLESIA NATVRALI GENERATIM.

§. VIII. Religionis fundamenta traduntur. 7
§. IX. Eius diuiſio explicatur. —

Pag.
§. X. Religio naturalis obſtringit nos I.) ad Dei cognitionem. 8
§. XI. II.) Ad eius cultum 1.) internum; —
§. XII. Et 2.) externum. 9
§. XIII. Quo ſpectant dies feſti, templa, et cerimoniae. 10
§. XIV. Is iure naturae praeceptus quidem eſt; ſed non determinatus. 11
§. XV. Ex eius determinatione oritur religio naturalis. 12
§. XVI. Ex conſentiente religione eccleſia naturalis. —
§. XVII. Poteſtas eccleſiaſtica naturaliter maieſtati cohaeret, 13
§. XVIII. Ab ea tamen ſeparari poteſt. 14
§. XIX. At ius circa ſacra a maieſtate diuelli repugnat. 15

CAPVT III.

DE RELIGIONE DIVINA POSITIVA GENERATIM.

§. XX. I.) Ex procliuitate hominum ad mala, 16
§. XXI. II.) Ex ſtatu corruptae noſtrae naturae, 17
§. XXII. III.) Ex obſcura vitae futurae notione, 18
§. XXIII. IV.) Ex ignorantia mediorum, Dei amicitiam reconciliandi, 19
§. XXIV. Religionis reuelatae neceſſitas demonſtratur, 20
§. XXV. Et religio diuina poſitiua definitur. 21
§. XXVI. Signa, ex quibus cognoſci poſſit, recenſentur. —
§. XXVII. I.) Debet continere myſteria. 22
§. XXVIII. II.) Non debet repugnare rectae rationi. —
§. XXIX. III.) Debet ad perfectam felicitatem adducere. 23
§. XXX. IV.) Debet eſſe antiquiſſima. 24
§. XXXI. V.) Debet eſſe in doctrina, et modo propagandi diuina. —
§. XXXII. Abuſus, non uſus rationis in ea eſt vitandus. —

§. XXXIII.

Pag.
§. XXXIII. Eius ſubſtantialia ſunt credenda, et agenda. 25
§. XXXIV. Adeoque fides eſt religionis reuelatae fundamentum. 26

CAPVT IV.

DE RELIGIONE DIVINA VETERIS TESTAMENTI.

§. XXXV. Religionis reuelatae hiſtoria, et doctrina continetur in libris veteris teſtamenti. 27
§. XXXVI. Qui ſunt genuini, et incorrupti. —
§. XXXVII. Conſtat ergo, reuelationem protoparenti omnium Adamo primum datam, 28
§. XXXVIII. Tum in Noacho conſeruatam, 29
§. XXXIX. Dein in Abrahamo confirmatam, —
§. XL. Tandem in Moyse pleniſſime perfectam fuiſſe. 30
§. XLI. Legum veteris Teſtamenti diuerſa genera explicantur. 31
§. XLII. Hanc religionem, librosque eam continentes eſſe diuinos demonſtratur 1.) ex miraculis. 32
§. XLIII. 2.) Ex prophetarum vaticiniis. 34
§. XLIV. Fuit autem tantum particularis. —
§. XLV. Negata praeceptorum, quae diuina poſitiua vniuerſalia vet. teſtam. vocant, exiſtentia. 35
§. XLVI. Caetera religionis fata generatim adnotantur. 36

CAPVT V.

DE RELIGIONE CHRISTIANA NOVI TESTAMENTI.

§. XLVII. Extitit Iesvs Christvs. 36
§. XLVIII. Nouamque religionem homines docuit. 38
§. XLIX. Quam legibus ſuis firmauit. —
§. L. Libri noui teſtamenti ſunt genuini, 40
§. LI. Et omni fide hiſtorica digni; 41

§. LII. Adeoque ſunt diuini, diuinamque veram religionem continent; 42
§. LIII. Sed omnia eius dogmata in iis non continentur. 43
§. LIV. Exiſtunt enim traditiones diuinae noui teſtamenti, 44
§, LV. Quarum neceſſitas ex duplici fonte 45
§. LVI. Demonſtratur. 46
§. LVII. Ex his RELIGIO CHRISTIANA definitur, eiusque ESSENTIALIA proponuntur. 47
§. LVIII. Per religionem chriſtianam ſublata eſt moſaica, et quidem in ſpecie leges huius I.) iudiciales, 48
§. LIX. 2) Cerimoniales mere religioſae, —
§. LX. Et 3.) ſimul typicae. 49
§. LXI. Aſt hodie adhuc obligant 4.) leges credendorum, et 5.) morales. 50
§. LXII. A Chriſto, et religione chriſtiana chriſtiani adpellantur. 51

CAPVT VI.

DE ECCLESIA CHRISTIANA.

§. LXIII. Eccleſia chriſtiana. 52
§. LXIV. Militans. —
§. LXV. Definitur. 53
§. LXVI. Ea ab ipſo Deo, vt noua ſocietas eſt inſtituta. 54
§. LXVII. Quam eſſe voluit 1.) vniuerſalem, 55
§. LXVIII. 2.) Vnam, 56
§. LXIX. 3.) Perpetuam. 57
§. LXX. Per baptiſmum in eam intratur. —
§. LXXI. Eius finis eſt ſalus aeterna fidelium. 58

CAPVT VII.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

§. LXXII. Poteſtas eccleſiaſtica definitur. —
§. LXXIII. Eam toti eccleſiae conceſſit Chriſtus, quod probatur 1.) ex ſacra ſcriptura. 59
§. LXXIV. 2.) Ex SS. Patribus. —

Pag.

§. LXXV. Haec poteſtas ſe extendit 1.) ad ſubſtantialia religionis. 61
§. LXXVI. In quibus declarandis eccleſia eſt infallibilis, —
§. LXXVII. Quod probatur a.) ex ſacra ſcriptura. 62
§. LXXVIII. b.) Ex SS. Patribus. 63
§. LXXIX. Adeoque friuola eſt proteſtantium obiectio 64
§. LXXX. Idem. 65
§. LXXXI. Extendit ſe 2.) ad accidentalia determinanda. —
§. LXXXII. Poteſtatem hanc Chriſtus exerceri voluit ab apoſtolis. 66
§. LXXXIII. Eamqne in ſingulis voluit eſſe aequalem. 67
§. LXXXIV. Apoſtolorum ſucceſſores ſunt epiſcopi. —
§. LXXXV. Ergo aequalis eſt omnium epiſcoporum poteſtas. 69
§. LXXXVI. Et immediate a Deo. 70
§. LXXXVII. Friuolae multorum obiectiones. 71
§. LXXXVIII. Diluuntur. 72
§. LXXXIX. Idem. 73
§. XC. Sed ita aequalem eſſe voluit, vt Petrus haberet primatum. —
§. XCI. Quod ex ſacris litteris SS. Patres vnanimiter docent. 75
§. XCII. Finis primatus eſt vnitatis conſeruatio. 76
§. XCIII. Vnde iura primatus deduci debent. 77
§. XCIV. Petrus fuit Romae epiſcopus. —
§. XCV. Primatus debet eſſe perpetuus. 78
§. XCVI. Quare is epiſcopis romanis, tanquam Petri ſucceſſoribus competit. 79
§. XCVII. Iure humano non diuino. 80
§. XCVIII. Primatus definitio, et diuiſio proponitur. 81
§. XCIX. Eccleſia eſt ſocietas inaequalis. 82
§. C. Diſtincta a ciuitate, et independens. 83
§. CI. Forma regiminis eccleſiaſtici non eſt monarchica, 84
§. CII. Sed mixta. 85

§. CIII.

Digitized by Google

Pag.
§. CIII. Quare negotia eccleſiaſtica grauiſſima in conciliis deciduntur, 86
§. CIV. Aut conſenſu extraconciliari omnium eccleſiarum. 87
§. CV. Reliqua Petri cathedrae ſaepius reliquuntur. —
§. CVI. Erronea ergo ſunt proteſtantium ſyſtemata. 88

CAPVT VIII.

DE POTESTATIS ECCLESIASTICAE LIMITIBVS.

§. CVII. Poteſtati eccleſiaſticae ſubſunt omnes fideles. 89
§. CVIII. In negotiis eccleſiaſticis eſſentialibus, et accidentalibus. 90
§. CIX. Sunt negotia quaedam mixta, quae poteſtati eccleſiaſticae aliquando non ſubiiciuntur. 91
§. CX Cauſarum eccleſiaſticarum ambitus, et iura ſacri regiminis generatim ſiſtuntur. 92
§. CXI. Sacri, et ciuilis imperii eſſentialis differentia. 93
§. CXII. Negotia temporalia, et ciuilia deſcribuntur. 94
§. CXIII. In haec nulla eſt eccleſiae poteſtas. —
§. CXIV. Quod ex ſacra ſcriptura demonſtratur, 95
§. CXV. Et imperii ciuilis independentia. 96
§. CXVI. Vlterius euincitur. —
§. CXVII. Impia illorum ſententia, qui dependentiam directam ſtatuunt, recenſetur, 97
§. CXVIII. Etiam ex SS. Patribus oſtenditur, 1.) maieſtatem a ſolo Deo eſſe; 98
§. CXIX. 2.) Eidem ipſos eccleſiae antiſtites ſubiici; 99
§. CXX. 3.) Principes malos a ſolo Deo poſſe puniri; 100
§. CXXI. 4.) Adeoque maieſtatem a ſacra poteſtate omnino independentem eſſe. —
§. CXXII. Qui dependentiam indirectam defendunt, 101

§. CXXIII.

Digitized by Google

Pag.
§. CXXIII. Neque I.) ex ratione, 103
§. CXXIV. Neque II.) ex reuelatione euincere poſſunt. —
§. CXXV. Examinamus igitur Bellarmini, de poteſtate eccleſiaſtica indirecta, argumenta, et quidem primum. 105
§. CXXVI. Quod continuatur. 106
§. CXXVII. Continuatur. 107
§. CXXVIII. Continuatur. 108
§. CXXIX. Secundum. 109
§. CXXX. Continuatur. 110
§. CXXXI. Continuatur. 111
§. CXXXII. Tertium. 113
§. CXXXIII. Continuatur. —
§. CXXXIV. Coutinuatur. 115
§. CXXXV. Continuatur. 116
§. CXXXVI. Continuatur. 118
§. CXXXVII. Quartum. 119
§. CXXXVIII. Quintum. 120
§. CXXXIX. Sextum. 121
§. CXL. Huius noſtrae ſententiae patroni. 123

CAPVT IX.

DE HIERARCHIA.

§. CXLI. Hierarchia definitur. 124
§. CXLII. Diuiditur. 125
§. CXLIII. Idem. —
§. CXLIV. Vnde fidelium in clericos, et laicos diuiſio. 126
§. CXLV. Ordines. —
§. CXLVI. I.) Hierarchiae miniſterii 1.) ex iure diuino. 127
§. CXLVII. 2.) ex iure eccleſiaſtico. 128
§. CXLVIII. Hi ordines in maiores, et minores diuiduntur. 129
§. CXLIX. Ordines II.) hierarchiae iurisdictionis 1.) ex iure diuino 130
§. CL. 2.) Ex iure humano. —
§. CLI. Quo pertinent a.) Patriarchae. —
§. CLII. b.) Primates. 131

§. CLIII.

Pag.
§. CLIII. c.) Archiepiſcopi, ſeu metropolitani. 131
§. CLIV, Omnium ordinum fons eſt epiſcopatus. 132

SECTIO II.

DE

PRINCIPIIS IVRIS ECCLESIASTICI.

CAPVT I.

DE IVRE ECCLESIASTICO EIVSQVE PRINCIPIIS GENERATIM.

§. CLV. Ius eccleſiaſticum definitur. 135
§. CLVI. Diuiditur. 136
§. CLVII. Differt a theologia. 137
§. CLVIII. In iure eccles. neceſſaria ſunt principia. —
§. CLIX. Ea, quae ſint inquirendum. 138
§. CLX. Ex varietate legum eccleſiaſticarum. 139
§. CLXI. Determinantur. —

CAPVT II.

DE IVRE NATVRALI.

§. CLXII. Multae leges ſunt eccleſiaſticae, quae originem ſuam debent iuri naturali. 140
§. CLXIII. Intereſt autem ſcire, an origine ſint naturales, vel eccleſiaſticae. 141
§. CLXIV. Origine naturales immutari nequeunt. 142
§. CLXV. Vſus iurisprudentiae naturalis magis explanatur. 143
§. CLXVI. Quibus modis ſocietas eccleſiaſtica a ciuili differat? 144
§. CLXVII. Societatis ciuilis intereſt, religionem cuſtodiri 145
§. CLXVIII. Religio chriſtiana imperium ciuile nec tollit, nec minuit. 146
§. CLXIX. Fides imperio ciuili ſubiecta non eſt. —

§. CLXX.

Digitized by Google

Pag.
ſ. CLXX. Imperium ciuile iuribus eccleſiae non aduerſatur. 147
ſ. CLXXI. Eccleſiaſticae poteſtatis quantitas ex fine metienda eſt. 148
ſ. CLXXII. Quibus inſtructum dotibus oporteat doctorem eccleſiae? 149
ſ. CLXXIII. Regula generalis circa cultum Dei externum. 150
ſ. CLXXIV, Veritas religionis cuique defendenda. 152
ſ. CLXXV. Tolerantia tamen religionis diuerſae non eſt omnino iniuſta. —
ſ. CLXXVI. Quid religio adprobata, tolerata, reprobata? 154
ſ. CLXXVII. Exemtio clericorum omnimoda non eſt iuris naturalis. 155
ſ. CLXXVIII. Immunitas localis non eſt iuris naturalis. 156
ſ. CLXXIX. Immunitas realis quatenus ſit iuris naturalis? 157

CAPVT III.

DE SACRA SCRIPTVRA.

ſ. CLXXX. Sacra ſcriptura. 158
ſ. CLXXXI. Definitur. 159
ſ. CLXXXII. Duplex eius inſtrumentum. —
ſ. CLXXXIII. Exſtiterunt ſacrae ſcripturae corruptores. 160
ſ. CLXXXIV. Quare iudice opus eſt. 161
ſ. CLXXXV. Qui alius eſſe non poteſt praeter eccleſiam infallibilem. —
ſ. CLXXXVI. Diuiſio librorum S. Scripturae. —
ſ. CLXXXVII. Alia diuiſio. 162
ſ. CLXXXVIII. Canon librorum vtriusque teſtamenti. 163
ſ. CLXXXIX. Quo idiomate ſcripti ſint libri ſacri? 164
ſ. CXC. Verſio ſeptuaginta interpretum. 165
ſ. CXCI. Verſiones aliorum graecae. 166
ſ. CXCII. Quae dicta ab Avgvstino itala. 168
ſ. CXCIII. Quis auctor vulgatae? 169

ſ. CXCIV.

	Pag.
§. CXCIV. Vulgata authentica.	170
§. CXCV. Quod porro illuſtratur.	171
§. CXCVI. Quid de aliis verſionibus ſentiendum?	172
§. CXCVII. Idem.	173
§. CXCVIII. Quis ſenſus in interpretando tenendus?	174
§. CXCIX. Regulis in ea interpretanda opus eſſe.	175
§. CC. Regula I.	176
§. CCI. Regula II.	—
§. CCII. Regula III.	177
§. CCIII. Regula IV.	178
§. CCIV. Regula V.	—
§. CCV. Regula VI.	179
§. CCVI. Regula. VII.	—
§. CCVII. Regula VIII.	180

CAPVT IV.

DE TRADITIONE.

§. CCVIII. Traditio definitur.	181
§. CCIX. Ius traditum aeque ac ſcriptum obligat.	—
§. CCX. Traditio in diuinam, et humanam,	182
§. CCXI. Dein vniuerſalem, et particularem diuiditur.	183
§. CCXII. Traditio diuina eſt vniuerſalis	—
§. CCXIII. Traditio alia eſt dogmatica, alia eſt diſciplinaris.	184
§. CCXIV. Omnis traditio dogmatica eſt diuina	185
§. CCXV. Traditio diſciplinaris eſt mutabilis.	—
§. CCXVI. Traditio alia porro eſt conſtitutiua, alia interpretatiua.	186
§. CCXVII. Vlterius vel apoſtolica, vel eccleſiaſtica.	187
§. CCXVIII. Omnis humana traditio eſt diſciplinaris.	—
§. CCXIX. Traditio diuina eſt perpetua, et immutabilis.	188
§. CCXX. Non aeque humana.	189
§. CCXXI. Traditio genuina.	190

§. CCXXII.

Digitized by Google

Pag.
§. CCXXII. Ex SS. Patrum teſtimoniis. 191
§. CCXXIII. Ex ſua materia. —
§. CCXXIV. Habita temporis quoque ratione determinatur. 192
§. CCXXV. Traditionis, conſuetudinis, morum diſcrimen. 193
§. CCXXVI. Traditionum vulgarium, 194
§. CCXXVII. Et piarum conceptus. 195
§. CCXXVIII. In his cautione opus eſt. 196

CAPVT V.

DE CONCILIIS.

§. CCXXIX. Concilium definitur. 196
§. CCXXX. Concilia mere eccleſiaſtica, et mixta. 197
§. CCXXXI. Concilium mere eccleſiaſticum diuiditur. 198
§. CCXXXII. Quid concilium reprobatum? 199
§. CCXXXIII. Concilium oecumenicum definitur. —
§. CCXXXIV. Non eſt neceſſe omnes fideles vocari. 201
§. CCXXXV. Vocandi ſunt epiſcopi. 202
§. CCXXXVI. Concilium oecumenicum vniuerſam repraeſentat eccleſiam. 203
§. CCXXXVII. Conuocandi ius competit romano pontifici. 204
§. CCXXXVIII. Saluo iure principum politicorum. 206
§. CCXXXIX. Etiam hodie principum conſenſus requirendus eſt. 208
§. CCXL. Epiſcopi gaudent iure voti deciſiui. 209
§. CCXLI. Num omnes epiſcopos adeſſe oporteat? 210
§. CCXLII. Ius praeſidendi papae competit. 211
§. CCXLIII. Etiam per legatos. —
§. CCXLIV. Huius iuris effectus. 213
§. CCXLV. Salua tamen epiſcoporum ſuffragandi libertate. —

Pag.
§. CCXLVI. An neceſſaria confirmatio? 215
§. CCXLVII. Quid ſit confirmare decreta conciliorum? —
§. CCXLVIII. Decreta conciliorum generalium rite condita confirmatione pontificia non indigent. 216
§. CCXLIX. Vnde hauriendae definitiones? 217
§. CCL. Quotuplicis generis ſunt ſtatuta conciliorum? 218
§. CCLI. Concilium eſt infallibile. 219
§. CCLII. Sunt neceſſaria concilia. —
§. CCLIII. Canones ſunt promulgandi. 220
§. CCLIV. Promulgati legitime obligant 221
§. CCLV. Non omnia legis inſtar habenda ſunt. 222
§. CCLVI. An alterum alteri derogat? —
§. CCLVII. Quis habeat ius diſpenſandi? 223
§. CCLVIII. Quis habeat ius authentice interpretandi? 224
§. CCLIX. Quis doctrinaliter? 225
§. CCLX. Nulla improbatorum auctoritas. 226

CAPVT VI.

DE

CONSENSV ECCLESIARVM.

§. CCLXI. Connexio. —
§. CCLXII. Calamitas eccleſiae ob perſecutiones. 227
§. CCLXIII. Nullum tum oecumenicum concilium. —
§. CCLXIV. Fundamentum huius auctoritatis. 228
§. CCLXV. Conſenſus hic quomodo probetur? 229
§. CCLXVI. Conſenſus etiam tacitus ſufficit. 230
§. CCLXVII. Remouetur obiectio. 231
§. CCLXVIII. Primae ſedis maxima auctoritas. 232
§. CCLXIX. Nulla adpellatio locum habebat. 233

CA-

Pag.

CAPVT VII.

DE
CONSTITVTIONIBVS ROMANORVM PONTIFICVM.

§. CCLXX. Conſtitutiones pontificiae ex duplici fonte promanant. 235

§. CCLXXI. (I) Ius cum primatu cohaerens. —

§. CCLXXII. Modus iſtud exercendi antiquus. 237

§. CCLXXIII. (II.) Ius eiusdem primatus. 238

§. CCLXXIV. (III.) Eſt, quod in conciliis ordinandis verſatur. 239

§. CCLXXV. (IV.) Ius, quod eſt tuendi vetera inſtituta. 240

§. CCLXXVI. (V.) Inde fluit ius exequendi ſtatuta patrum. 241

§. CCLXXVII. (VI.) Ius leges ferendi. 242

§. CCLXXVIII. Quod eius officium circa dogmata? 243

§. CCLXXIX. Idem porro. 244

§. CCLXXX. Regula III. 245

§. CCLXXXI. Non ſemper decretoriam ferre ſententiam cenſendi ſunt. 247

§. CCLXXXII. Regula IV. 248

§. CCLXXXIII. Regula V. 249

§. CCLXXXIV. Obligant epiſcopos receptae. 250

§. CCLXXXV. Quomodo promulgandae? —

§. CCLXXXVI. Cum conſenſu principum. 251

§. CCLXXXVII. Non praeiudicant iuri tertii. 252

§. CCLXXXVIII. Nec leges politicas corrigunt. —

§. CCLXXXIX. Quid ſi circa negotia mere ciuilia verſentur? 253

§. CCXC. De ſuperioritate pontificis prae concilio oecumenico. 254

§. CCXCI. Decretum concilii conſtantienſis conſentaneum eſt ſacrae ſcripturae. 255

§. CCXCII. Doctrina de ſuprema generalis concilii auctoritate non minus patrum traditione firmatur. 257

Pag.

§. CCXCIII. Argumenta Bellarmini ex S. ſcriptura. 259
§. CCXCIV. De obiectionibus Bellarmini ex patribus, et regulis eccleſiaſticis. 261
§. CCXCV. Decretum ſeſſionis quartae concilii conſtantienſis eſt inuiolatum. —
§. CCXCVI. De iure pontificis decreta conciliorum generalium examinandi. 263
§. CCXCVII. De ſynodorum particularium auctoritate. 264
§. CCXCVIII. Quae habeantur cauſae arduae, et maiores? 265
§. CCXCIX. Quid de his ſentiendum? 266
§. CCC. De iure adpellandi ad ſedem romanam. 267
§. CCCI. De auctoritatis primitialis extenſione. 268

CAPVT VIII.

DE AVCTORITATE SS. PATRVM.

§. CCCII. Sancti patres, et doctores eccleſiae. 269
§. CCCIII. Diſtinguendi ſunt a ſcriptoribus eccleſiaſticis. 270
§. CCCIV. Quorum aliquos non ſine ratione reſpuit eccleſia. —
§. CCCV Scripta SS. patrum per ſe vim legalem non habent. 271
§. CCCVI. Habent tamen vim probandi. 272
§. CCCVII. Quae variat 1.) ratione conſenſus. 273
§. CCCVIII. 2.) Ratione materiarum —
§. CCCIX. Quanta ſit SS. Patrum auctoritas I.) in philoſophicis. —
§. CCCX. II.) in dogmaticis quanta ſit a.) aliquorum. 275
§. CCCXI. b.) Plurium. —
§. CCCXII. Dein c.) omnium conſentientium auctoritas. 276
§. CCCXIII. Ea certum eſt diuinitatis argumentum, quod probatur 1.) ex S. Scriptura. 277
§. CCCXIV. 2.) Ex conciliis. —

§. CCCXV.

Pag.
§. CCCXV. 3) Ex praxi eccleſiae. 278
§. CCCXVI. 4. Ex eius infallibilitate. 279
§. CCCXVII. III.) In diſciplinaribus. 280
§. CCCXVIII. Vtilis patrum lectio cautione opus habet. —
§. CCCXIX. Quia ſcripta eorum multa ſunt corrupta. 282
§. CCCXX. Regulae interpretandi ſanctos patres traduntur. 283
§. CCCXXI. Regula prima. —
§. CCCXXII. Secunda. 284
§. CCCXXIII. Tertia. —
§. CCCXXIV. Quarta. 285
§. CCCXXV. Quinta. 286
§. CCCXXVI. Sexta. —
§. CCCXXVII. Septima. 287
—

CAPVT IX.

DE

CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM.

§. CCCXXVIII. Licet poteſtas vere ſacra principibus non competat. 288
§. CCCXXIX. Ius tamen circa ſacra illis denegari nequit. —
§. CCCXXX. Quotuplicis generis negotia eccleſiaſtica? 289
§. CCCXXXI. Dogmata ſolius eccleſiae iudicio determinanda ſunt. 290
§. CCCXXXII. Neque coactioni obnoxia eſſe poſſunt. 291
§. CCCXXXIII. Eorum tamen obſeruationem princeps promouere tenetur. 292
§. CCCXXXIV. I.) Leges eecleſiaſticas auctoritate ſua firmando. 293
§. CCCXXXV. II.) Praecauendo, ne oriantur haereſes, ortasque tollendo. 294
§. CCCXXXVI. 1.) Conuocando concilia. 295

Digitized by Google

Pag.

§. CCCXXXVII. Vel 2.) omnium ſaltem diſperſorum epiſcoporum conſilia exquirendo. 297
§. CCCXXXVIII. 3.) Non tolerando impugnatores verae religionis. 299
§. CCCXXXIX. 4.) Illos conſtitutis poenis perſequendo. 300
§. CCCXL 5.) Inſtituendo colloquia. 302
§. CCCXLI. 6.) Diſputationibus theologicis imponendo finem. 304
§. CCCXLII. Quo referenda eſt celebris illa conſtitutio: Interim. 305
§. CCCXLIII. 7.) Prohibendi libros religioni pernicioſos. 306
§. CCCXLIV. Diſciplinaria reſpiciunt vel perſonas, vel iura, vel res eccleſiaſticas. 308
§. CCCXLV. Perſonae eccleſiaſticae a principe 1.) moneri poſſunt, vt canones eccleſiaſticos exactiſſime obſeruent. 309
§. CCCXLVI. 2.) Ne talia conſtituant, quae forent nociua eccleſiae. 310
§. CCCXLVII. 3.) Ne bona eccleſiaſtica alienent. 311
§. CCCXLVIII. Quid circa iura eccleſiaſtica? 312
§. CCCXLIX. Princeps praeter aduocatum eccleſiae etiam defenſorem populi agit. 313
§. CCCL. Conſequenter cauere debet, ne quid mali immineat reipublicae —
§. CCCLI. Quod quum etiam per leges eccleſiaſticas contingere poſſit. 314
§. CCCLII. Nulla ſine placeto regio promulganda eſt. 315
§. CCCLIII. Nec perſonae eccleſiaſticae, quatenus ciues ſunt, imperio ciuili eximendae. 316
§. CCCLIV. Nec principi ius dandi excluſiuam denegandum eſt. 317
§. CCCLV. Quid circa res eccleſiaſticas? 319
§. CCCLVI. Habet imperans ius condendi legem amortizationis. 320
§. CCCLVII. Ius tollendi iura eccleſiaſtica, ſi exinde oriantur turbae, et diſſidia. 321
§. CCCLVIII. Vel ſi cum ſecularibus cohaereant, ab inuicem ſeparandi. 322

§. CCCLIX.

Digitized by Google

Pag.

§. CCCLIX. Et denique ſubditis a vera religione alienis liberum ſacrorum exercitium permittendi. 323

SECTIO III.

DE

ADMINICVLIS STVDII IVRIS ECCLESIASTICI.

CAPVT I.

DE

VTILITATE EX HISTORIA ATQVE ANTIQVITATIBVS SACRIS IN IVRISPRVDENTIAE ECCLESIASTICAE STVDIO CAPIENDA.

§. CCCLX. De adminiculis ſtudii canonici. 327
§. CCCLXI. Primum eſt hiſtoria eccleſiaſtica. 328
§. CCCLXII. Quae eius vtilitas generatim? 329
§. CCCLXIII. Idem. —
§. CCCLXIV. Qualis hiſtoria deſideretur? 330
§. CCCLXV. Quam vtilitatem praeſtet in S. Scriptura interpretanda? 331
§. CCCLXVI. In traditionibus? 332
§. CCCLXVII. In Conciliis? 333
§. CCCLXVIII. In intelligendis SS. Patrum ſcriptis? 334
§. CCCLXIX. In decretalibus exponendis? 335
§. CCCLXX. Auctoritas fide, et ſcientia ſcriptoris conſtat. 336
§. CCCLXXI. Improbi ſcriptoris nulla eſt fides. 337
§. CCCLXXII. Canones in legendis hiſtoriis ſeruandi —
§. CCCLXXIII. Primus a MABILLONIO editus. 338
§. CCCLXXIV. Secundus. —

)()(4 §. CCCLXXV.

Digitized by Google

	Pag.
§. CCCLXXV. Tertius.	339
§. CCCLXXVI. Quartus.	—
§. CCCLXXVII. Quintus.	340
§. CCCLXXVIII. Sextus.	—
§. CCCLXXIX. Septimus.	341
§. CCCLXXX. Octavus.	—
§. CCCLXXXI. Primus Melchior. Can.	342
§. CCCLXXXII. Secundus.	343
§. CCCLXXXIII. Tertius.	344
§. CCCLXXXIV. Ad geſta Apoſtolorum cognoſcenda S. codex non ſufficit.	—
§. CCCLXXXV. De Evsebio.	345
§. CCCLXXXVI. Rvffino.	346
§. CCCLXXXVII. Socrate.	347
§. CCCLXXXVIII. De ſcrptoribus hiſtoriae eccleſiaſticae latinis antiquis.	—
§. CCCLXXXIX. Recentioribus.	348
§. CCCXC. Notitia antiquitatum non confundenda cum hiſtoria.	349

CAPVT II.

DE

STVDIO CHRONOLOGIAE ECCLESIASTICAE.

§. CCCXCI. Alterum ſubſidium eſt chronologia.	350
§. CCCXCII. Quid ea ſit?	—
§. CCCXCIII. Quae eius vtilitas?	351
§. CCCXCIV. Quae partes?	352
§. CCCXCV. Temporis computatio difficilis, et quare?	353
§. CCCXCVI. Epochae veteris teſtamenti.	354
§. CCCXCVII. Aera chriſtiana.	355
§. CCCXCVIII. Scriptores chronologici.	—

Digitized by Google

CAPVT III.

DE VSV GEOGRAPHIAE SACRAE.

Pag.

§. CCCXCIX. De geographia ſacra. 356
§. CD. Quotuplex? 357
§. CDI. Quid hiſtorica? 358
§. CDII. Vtilitas eius in ſacris literis interpretandis. 359
§. CDIII. Notitia imperii neceſſaria. —
§. CDIV. Vt et notitia vetus vtriusque imperii. 360
§. CDV. Diſpoſitio metropoleon LEONIS SOPHI, et PALEOLOGI. 361

CAPVT IV.

DE NECESSITATE, ATQVE VSV CRITICAE.

§. CDVI. Quid ars critica? 362
§. CDVII. Cautio in veteribus legendis. 363
§. CDVIII. Cauſae mendorum a tempore. —
§. CDIX. A falſariis. 364
§. CDX. A criticis. 365
§. CDXI. A librariis. 366
§. CDXII. Regulae criticae multae. 367
§. CDXIII. Prima. 368
§. CDXIV. Secunda. —
§. CDXV. Tertia. 369
§. CDXVI. Quarta. 370
§. CDXVII. Quinta. —
§. CDXVIII. Sexta. 371
§. CDXIX. Septima. —

CAPVT V.

DE

ALIIS IVRISPRVDENTIAE ECCLESIASTICAE ADMINICVLIS.

Pag.
§. CDXX. De aliis iurisprudentiae eccleſiaſticae adminiculis, in ſpecie theologia. 372
§. CDXXI. Reliquis iurisprudentiae eccleſiaſticae partibus. 373
§. CDXXII. Hiſtoria profana, et literaria. 375
§. CDXXIII. Diplomatica, numaria, lapidaria etc. 376
§. CDXXIV. Philoſophia. 377
§. CDXXV. Literis humanioribus. 378
§. CDXXVI. Methodo. —

SECTIO IV.

DE

COLLECTIONIBVS IVRIS ECCLESIASTICI.

CAPVT I.

DE

COLLECTIONIBVS IVRIS ECCLESIASTICI GENERATIM.

§. CDXXVII. Introitus. 383
§. CDXXVIII. Primis ſeculis rarae erant leges eccleſiaſticae. —
§. CDXXIX. Poſtea multitudo canonum 384
§. CDXXX. Collectionibus eorum anſam dedit. —

§. CDXXXI.

Pag.
§. CDXXXI. Collectio iuris canonici definitur. 385
§. CDXXXII. Collectionum iſtarum hiſtoria in tres periodos diuiditur. —

CAPVT II.

DE

COLLECTIONIBVS IVRIS ECCLESIASTICI ANTIQVI.

§. CDXXXIII. I) Canones Apostolorvm. 386
§. CDXXXIV. Eos ſpurios eſſe. 387
§. CDXXXV. Ex variis argumentis. 388
§. CDXXXVI. Demonſtratur. —
§. CDXXXVII. Idem. 389
§. CDXXXVIII. Idem. 390
§. CDXXXIX. Eruditorum de iis ſententia. —
§. CDXL. Quaenam eorum auctoritas? 391
§. CDXLI. Cum iis confundendi non ſunt libri conſtitutionum apoſtolicarum. 392
§. CDXLII. II) Conseqventia Canonvm. 393
§. CDXLIII. Cuius in eccleſia orientali maxima ſemper erat auctoritas. 394
§. CDXLIV. Vix ulla vero in eccleſia occidentali, niſi poſt concilium chalcedonenſe. 395
§. CDXLV. III.) Codex ecclessiae affricanae. —
§. CDXLVI. IV.) Codex Canonvm ecclesiae vniversae. 396
§. CDXLVII. Et inde prisca Canonvm translatio. 397
§. CDXLVIII. V.) Collectio Dionysii exigvi. 398
§. CDXLIX. Quae ob ſummam auctoritatem Corpvs, et Codex Canonvm adpellabatur. 399
§. CDL. VI.) Compendia, et Collationes Canonvm. —
§. CDLI. VII.) Collectio Isidori Hispalensis. 400

§. CDLII.

Pag.
§. CDLII. VIII.) Codex Canonvm Ecclesiae orientalis. 401
§. CDLIII. IX.) Collectio Isidori Peccatoris vel Mercatoris. 402
§. CDLIV. Quae primo ab Iſidoro hiſpalenſi auctoritatem aliquam mutuauit. 404
§. CDLV. Pleniſſimam dein a Nicolao I. obtinuit. 405
§. CDLVI. Eam vero ſpuriam et confictam eſſe demonſtratur. —
§. CDLVII. Collectio Dionyſii exigui ab Hadriano Papa Carolo M. oblata eſt. 406
§. CDLVIII. Sicque eius auctoritas in germania inualuit. 408
§. CDLIX. X.) Nomocanon Photii. —
§. CDLX. XI.) Systema Rheginonis. 409
§. CDLXI. 12.) Decretorvm ſeu Canonvm volvmen Bvrchardi. 410
§. CDLXII. XIII.) Excerptiones regularum eccleſiaſticarum Ivonis Carnotensis. 411
§. CDLXIII. XIV.) Collectio conſtitutionum cleſ. BALSAMONIS. —

CAPVT III.

DE
LIBRIS IVRIS CIVILIS ALIISQVE, QVIBVS VSI SVNT CANONVM COLLECTORES.

§. CDLXIV. Ad fontes collectionum iuris canonici etiam pertinent. 412
§. CDLXV. 1.) Codex Theodosianvs. 413
§. CDLXVI. 2.) Novellae Theodosii. 414
§. CDLXVII. 3.) Codex Ivstinianvs. —
§. CDLXVIII. Repetitae Praelectionis —
§. CDLXIX. 4.) Novellae Ivstiniani. 415
§. CDLXX. 5.) Ivs fevdale longobardorum. —
§. CDLXXI. Et hodiernum. 416
§. CDLXXII. Cuius tamen exiguus eſt in iure noſtro vſus. —

§. CDLXXIII.

Digitized by Google

Pag.

§. CDLXXIII. 6.) Capitvlaria regum francorum. 417
§. CDLXXIV. Quorum ſumma fuerat auctoritas. —
§. CDLXXV. Ea collegerant Ansegisvs Abbas. 418
§. CDLXXVI. Et Benedictvs leuita. —

CAPVT IV.

DE

COLLECTIONIBVS IVRIS ECCLESIASTICI NOVI.

§. CDLXXVII. Corporis iuris canonici Pars I. Decretvm gratiani. 419
§. CDLXXVIII. Ratio eius conficiendi. 420
§. CDLXXIX. Fontes ex quibus hauſit. 421
§. CDLXXX. Diuiſio operis. 322
§. CDLXXXI. Cui, quae addita ſunt palearum nomine veniunt. —
§. CDLXXXII. Correctio et emendatio Gratiani. 423
§. CDLXXXIII. Poſt Gratiani decretum variae decretalium collectiones prodierunt. —
§. CDLXXXIV. 1.) Boehmeriana. 424
§. CDLXXXV. 2.) Harduiniana. 425
§. CDLXXXVI. 3.) Bernardi circa. —
§. CDLXXXVII. 4.) Ioannis Gallenſis. 426
§. CDLXXXVIII. 5.) Innocentii III. —
§. CDLXXXIX. 6.) Itidem Innocentii III. 427
§. CDXC. 7.) Honorii III. 428
§. CDXCI. Collectionum iſtarum vtilitas, imo et neceſſitas demonſtratur. —
§. CDXCII. II.) Decretales Gregorii. IX. 429
§. CDXCIII. Ratio, et fontes huius collectionis 430
§. CDXCIV. Diuiſio operis. 431
§. CDXCV. Decretales Innocentii IV. et Gregorii X. —
§. CDXCVI. III.) Sextvs decretalium BONIFACII VIII. 432

§. CDXCVII.

Digitized by Google

Pag.

§. CDXCVII. Eius ordo, et diuiſio. —
§. CDXCVIII. IV.) CLEMENTINAE. —
§. CDXCIX. V.) Extrauagantes IOANNIS XXII. 433
§. D. VI.) Extrauagantes communes. —
§. DI. SEPTIMVS DECRETALIVM. 434
§. DII. Correctio decretalium. —
§. DIII. Inſtitutiones LANCELLOTI. 435

CAPVT V.

DE
FONTIBVS IVRIS CANONICI NOVISSIMI.

§. DIV. Corpori iuris canonici vbique recepto. 436
§. DV. Accedit ius nouiſſimum, cuius fontes ſunt. I.) CONCILIA ſubſequentia. —
§. DVI. II.) TRANSACTIONES, et CONCORDATA. 437
§. DVII. III.) Concilium praecipue TRIDENTINVM. 438
§. DVIII. IV.) BVLLARIVM. —
§. DIX. V.) CVRIA ROMANA. 440
§. DX. Quae conſtat variis dicaſteriis, et congregationibus. —
§. DXI. 1.) CONSISTORIVM cardinalium. 441
§. DXII. Secretum. —
§. DXIII. Publicum. 442
§. DXIV. Status, et congregatio conſiſtorialis. 443
§. DXV. 2.) ROTA ROMANA. —
§. DXVI. Eius indoles. 444
§. DXVII. Auditores rotae. —
§. DXVIII. Modus procedendi. 445
§. DXIX. 3.) SIGNATVRA IVSTITIAE. —
§. DXX. 4.) SIGNATVRA GRATIAE. 446
§. DXXI. 5.) POENITENTIARIA. 447
§. DXXII. 6.) DATARIA. 448
§. DXXIII. 7.) CANCELLARIA. 449
§. DXXIV. Regvlae Cancellariae. —
§. DXXV. 5.) CONGREGATIONES CARDINALIVM. 450

§. DXXVI.

Pag.
§. DXXVI. 1.) Congregatio inquiſitionis. 451
§. DXXVII. 2.) Congregatio indicis. —
§. DXXVIII. 3.) Congregatio ſuper negotiis epiſcoporum; et regularium. 452
§. DXXIX. 4.) Congregatio rituum. 453
§. DXXX. 5.) Congregatio immunitatis eccleſiaſticae. —
§. DXXXI. 6.) Congregatio de propaganda fide. 454
§. DXXXII. 7.) Congregatio cardinalium concilii tridentini interpretum. —
§. DXXXIII. Cujus poteſtatem ampliauit SIXTVS V. 455

CAPVT VI.

DE AVCTORITATE ET VSV IVRIS ECCLESIASTICI.

§. DXXXIV. Vſus, et auctoritas iuris canonici determinatur. 456
§. DXXXV. 1.) Ex receptione decreti GRATIANI. 457
§. DXXXVI. Et in ſcholis, et in foro. —
§. DXXXVII. 2.) Ex receptione decretalium GREGORII IX. 458
§. DXXXVIII. 3.) BONIFACII VIII. CLEMENTIS V. et extrauagantium. 459
§. DXXXIX. Quod imperatores ſuis conſtitutionibus confirmarunt. 460
§. DXL. Adeoque auctoritatem iuris canonici ex libera receptione. 461
§. DXLI. Tum in negotiis publicis. —
§. DXLII. Quam priuatis dimetimur. 462
§. DXLIII. Sed iuris canonici ſanctionibus ius ciuile poſtponimus. 463
§. DXLIV. Et regulas quasdam tradimus. 464
§. DXLV. Vulgares autem canoniſtarum. —
§. DXLVI. Reiicimus. 465

§. DXLVII.

Digitized by Google

	Pag.
§. DXLVII. Idem.	465
§. DXLVIII. Ex his principiis I.) BVLLARII MAGNI.	466
§. DXLIX. II.) REGVLARVM CANCELLARIAE.	—
§. DL. III). Decretalivm Congregationvm Cardinalivm.	467
§. DLI. IV.) Decisionvm rotae Romanae.	468
§. DLII. Ac totius iuris eccleſiaſtici vſum, et auctoritatem ſtabilimus.	—

Digitized by Google

SECTIO I.

DE

RELIGIONE

ET

ECCLESIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT I.

DE
VERA HOMINIS FELICITATE.

§. I.

Omnes felicitatem deſiderant.

Omnibus hominibus hoc natura tributum eſt, vt incredibili quodam felicitatis deſiderio teneantur. Quam ob rem ſedulo inquirendum eſt, vt diſtincta felicitatis notione mentem noſtram imbuamus. Seneca *de vit. beat. Cap. I.*

§. II.

Felicitas definitur.

Eſt autem Felicitas *ſtatus voluptatis durabilis, qui ex cumulata ſecretis malis omnibus bonorum complexione oritur.* Cicero *Tuſcul. Quaeſt. V.* 10. De qua definitione eo minus dubitandum eſt, cum eam et ſenſus cuiusuis intimus, et philoſophorum omnium conſenſus comprobent.

Digitized by Google

Beatitudo poſita eſt, inquit Italiae decus ANT. GENVENSIS, *in ſtatu voluptatis undique perfectae: axioma eſt, ſuper quo nulla eſſe poteſt philoſophorum controuerſia. Metaph. P. IV. Lib. I. Cap. I. §. 7.*

§. III.

Virtus veram quidem felicitatem tribuit.

Voluptatem durabilem *verum Bonum* a nobis impetratum efficit; (ſup. §. 2.) verum autem bonum in conſenſu actionum, et virium noſtrarum omnium cum diuini creatoris finibus, et voluntate conſiſtit: inde actionum noſtrarum bonitas, et rectitudo moralis intelligitur: *habitus autem ponendi actiones moraliter rectas* VIRTVS adpellatur: dubitari ergo non poteſt, *veram felicitatem* in virtute ſitam eſſe.

Recte ergo cecinit HORATIVS:

— — — vis recte viuere? quis non?
Si virtus hoc vna poteſt dare, fortis omiſſis
Hoc age deliciis. — — — — — —
Lib. I. Epiſt. VI. v. 19. ſeqq.

§. IV.

Aſt non perfectam.

Sed non eſt *perfecta*, numeriſque omnibus abſoluta haec felicitas, qua in mortali hac vita frui nobis conceſſum eſt; nihil enim prope malorum excogitari poteſt, a quibus homines corripi non poſſumus, quae etſi continuo non adſint, et quanta nunquam non adſunt! tamen quietum eſſe animum, et a metu vacuum non ſinunt, quod bona quaecunque, quibus praediti

Digitized by Google

diti ſumus, amittendi periculo eſſe obnoxia, ignorare non poſſumus.

Confectum eſt, inquit ANT. GENVENSIS, *ſi quid cerno, hominem, qualis nunc eſt, neceſſario eſſe miſerum, et quidem ex triplici fonte. Nam nec infinite intelligens eſt, vt poſſit omnem errorem euadere, nec infinite perfectus, vt ſibi ipſi ad beatitudinem ſufficiat, nec omnipotens, vt queat, et quae concupiſcit, omnia conſequi, et quae horret omnia a ſe diſtinere.* cit. loc. §. 15. Quare veriſſime a poeta ſcriptum eſt:

— — — — *dicique beatus*
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.
OVIDIVS *Metam. III.* 136.

§. V.

Hanc autem exiſtere,

Quodſi tamen ad immortalem animae noſtrae naturam, et conſtantiſſimum naturalemque perfectae felicitatis obtinendae ſtimulum: (ſup. §. 1.) ad ſummam inſuper Dei ſapientiam et bonitatem attendimus: tum ſatis demonſtratum eſſe exiſtimo, aliam adhuc felicitatem exiſtere, quae perfectam vndique ſine vlla aegritudinis, aut metus admiſtione voluptatem complectatur.

§. VI.

Et in ſolo Deo ſitam eſſe demonſtratur.

Neque difficile erit, eiusmodi beatitudinis fontem detegere. Enim vero eſt DEVS, quo maius quidquam, aut melius cogitari, aut dici nil poteſt, in quo immortalis hic animus placidiſſime conquieſcere, et exoptata felicitate eaque completa, et numeris omnibus abſoluta frui poterit.

Hanc poſitionem iſta ratiocinatione eruit BOETIVS *de conſolat. philoſoph. Lib. III. prou.* 10. DEVM, ait, *rerum omnium principem, bonum eſſe communis humanorum conceptio probat animorum. Nam quum nihil* DEO *melius excogitari queat, id, quo melius nihil eſt, bonum eſſe quis dubitet? ita vero bonum eſſe* DEVM *ratio demonſtrat, vt perfectum eſſe bonum in eo eſſe conuincat. Nam ni tale ſit, rerum omnium princeps eſſe non poterit. Erit enim eo praeſtantius aliquid, perfectum poſſidens bonum, quod hoc prius, atque antiquius eſſe videatur. Omnia namque perfecta minus integris priora eſſe claruerunt. Quare ne in infinitum ratio prodeat, confitendum eſt, ſummum* DEVM *ſummi, perfectique boni eſſe pleniſſimum, ſed perfectum bonum veram eſſe beatitudinem conſtituimus, veram igitur beatitudinem in ſummo* DEO *ſitam eſſe neceſſe eſt.*

§. VII.

Medium perfectam felicitatem obtinendi eſt religio.

Ne igitur a ſcopo noſtro (ſup. §. 1.) miſerrime aberremus, neceſſe eſt; vt omni conatu ad Deum tendamus. Eo quidem nos ducit virtus generatim: (ſup. §. 3.) ſpeciatim vero RELIGIO, *quae in Dei cognitione, et cultu poſita eſt;* qui enim Deum colit, is diuinas perfectiones imitatur, et ad ſummum bonum, quantum in ſe eſt, accedit. Euidens ergo eſt, maximum verae, et perfectae felicitatis fundamentum in religione conſiſtere.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

DE RELIGIONE, ET ECCLESIA NATVRALI GENERATIM.

§. VIII.

Religionis fundamenta traduntur.

Hac via ad religionem ducimur, ad quam amplectendam ſumma omnium obligatione nos obſtrictos eſſe, nemo ſanus negauerit. Sunt autem *duo* praecipua *religionis fundamenta:* 1) *vera certaque Dei* eiusque attributorum *cognitio*, et 2) *cultus*, ſeu actionum noſtrarum cum illis conformatio, (ſup. §. 7.) quae vel internae tantum ſunt, vel etiam externae: adeoque et cultum Dei in *internum* et *externum* abire neceſſe eſt.

§. IX.

Eius diuiſio explicatur.

Hic cultus, ſi Dei attributis conuenit, *veram:* ſi iisdem repugnat, *falſam* religionem conſtituit, quae ſumma contentione vitanda eſt. (ſup. §. 7.) Porro ſi ſolo rectae rationis lumine determinetur, religio *naturalis:* Si primum accedente diuina reuelatione innoteſcat, *poſitiua*, ſeu *reuelata* recte adpellatur. Enim vero religio naturalis poſitiua prior eſt, atque, cum leges contineat neceſſarias, et immutabiles, per hanc tolli, aut immutari nunquam poteſt. Igitur de ea primum dicendum eſt.

§. X.

Religio naturalis obſtringit nos I.) ad Dei cognitionem.

Primum ac palmare *religionis naturalis* officium eſt, intelligere, eſſe Deum omni perfectionum genere infinitum; a quo conditum ſit hoc vniuerſum: ei potentiam ſuam, ſapientiam, maieſtatemque reddere, nihilque illi tribuere, quod his perfectionibus eiusdem vllo modo aduerſari poſſet. Itaque reiicienda ſunt omnia illa opinionum monſtra, quae vel ipſam Dei exiſtentiam, vel vera eius attributa negant, aut omnino falſa ſubſtituunt.

Veriſſime EPICTETVS *in Enchirid. cap.* 38. *religionis erga* DEOS *immortales praecipuum illud eſſe ſcito, rectas de eis habere opiniones: vt ſentias, et eſſe eos, et bene, iuſteque adminiſtrare vniuerſa: parendum eſſe iis, quae fiant adquieſcendum, et ſequenda vltro, vt quae a mente praeſtantiſſima regantur.* In eandem ſententiam ſcripſit SENECA *in epiſt.* 95. *Primum eſſe Deorum cultum,* DEOS *credere, deinde illis reddere maieſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla maieſtas eſt. Scire illos eſſe, qui praeſident mundo, qui vniuerſa vi ſua temperant, qui humani generis tutelam gerunt.*

§. XI.

II.) Ad eius cultum 1. *internum.*

Quod ſi intellectus viva Dei, eiusque perfectionum cognitione imbutus eſt, fieri non poteſt, vt voluntati motiva deſint, queis ad illuſtrandam Dei gloriam, ſeu ad eius *cultum*

in-

Digitized by Google

impellatur, quod eſt alterum religionis naturalis officium. Et quidem I.) ad *cultum internum* (ſup. §. 8.) pertinent 1.) *Amor Dei* ſuper omnia MATH. *XXII.* 37. LVC. *X.* 27. quem conſequitur 2.) *Timor filialis* reiecto ſeruili tantum; *quem enim metuunt, oderunt.* CICERO *de offic. II.* 7. Porro 3.) obedientia et obſequium JOAN. *XIV.* 21. Dein 4.) Spes et adquieſcentia in Deo *II. ad Cor. I.* 7. *ſeq.* 5.) Fides rationalis: *ad Hebrae. XI.* 1. *ſeq.* nam reuelanti Deo credere, naturae praeceptum eſt. 6.) Poenitentia, vt mala commiſſa defleamus, et ab iis impoſterum abſtineamus MATH. *III.* 2. *ſeq. IV.* 17. 7.) Gratitudo *I. ad Theſſal. V.* 18. 8) Inuocatio diuinae gratiae *ibid.* 17. et reliq.

§. XII.

Et 2.) externum.

Ex quibus facile erit *cultus* II.) *externi* (ſup. §§. 8. 9.) partes demonſtrare, qui *generatim* in eo conſiſtit, vt rectas de Dei exiſtentia, et perfectionibus (ſup. §. 10.) cogitationes, tum amorem, reuerentiam, gratum animum etc. (ſup. §. 11.) *voce aliisque ſignis* declaremus. Quo ſpeciatim pertinent 1.) *Orationes*, ſeu inuocationes ſummi numinis ore prolatae. S. AVGVSTIN. *epiſt.* 121. *ad Probam.* dein 2.) *Hymni*, et carmina in laudem Dei compoſita. *Pſalm.* 96. *ad Roman. XV.* 9. *ſeq.*

§. XIII.

Quo ſpectant dies feſti, templa, et ceremoniae.

Profecto innumerae prorſus ſunt cauſae, quae cuiusque animum fortiſſime impellere debent, *vt Deum ſuper omnia amare,* (*ſup.* *§.* II. *num.* I.) *et perficere viribus omnibus conetur.* Adeo verum eſt, naturalem hanc eſſe obligationem, vt non tantum relictis rerum humanarum curis religionis magis magisque excolendae cauſa conueniamus, ſed vt etiam 3.) *Dies feſtos* EXOD. *XX.* 8. et 4.) *templa* IOAN. *II.* 14. 15. et 5.) *Ceremonias ſacras* GENES. *XXVI.* 5. EXOD. *XII.* 26. quae ſunt ſigna eorum, quorum in obeundis ſacris meminiſſe debemus, et 6.) *Imagines* conſtituamus.

Quae vero his in conuentibus agenda ſint, ex fine, in quem inſtituendos eſſe diximus, eluceſcit. Docenda nimirum ſunt ea, quae de Deo, de virtutis, et pietatis cultura ſcitu neceſſaria ſunt. Exercitatio item, et ſtudium in precibus, diuinisque laudibus frequens eſſe debet, praecipuaque hominum cura, vt , quae ad religionem, vitaeque inſtitutionem pertinent, ea diligenter addiſcant, ſeduloque iis ſe in officiis exerceant, quae pietatem continent; atque ex his intelligi poteſt, quam conformis rationi ſit catholica praeceptio de vitandis feſto die operibus, quaecunque diuinum cultum impedire poſſunt, non quidem ea re, quod ſua natura aut turpes, aut malae ſint, ſed quod animum a diuino cultu, qui eorum finis eſt, ad alia abducunt. An, qui his abſtinent, ludis, choreis, aliisque vacant, quae non ſolum mentem a rerum diuinarum ſtudio auocant, ſed a Dei amore

re prorſus ſeiungunt, huic naturae officio ſatisfaciunt?

§. XIV.

Is iure naturae praeceptus quidem eſt; ſed non determinatus.

Et quamuis exinde iam ſatis adpareat, quam abſurda ſit illorum ſententia, qui cultus externi neceſſitatem iure naturae nullam eſſe aiunt; id tamen fatendum eſt, leges naturales minime determinare, quo in loco, quibus diebus, quoties, aut qua forma recenſita (ſup. §§. 12. 13.) externa pietatis exercitia explicanda ſint, vt ergo vniuerſus fere cultus externus arbitrio vel Dei, vel hominum adhuc magis determinari debeat; iis tamen cautelis vtantur homines neceſſe eſt, ne media, quae eſſe deberent, ſuo fini vnquam aduerſentur.

Equidem non defuerunt, qui cultus iſtius, quem externum diximus, neceſſitatem ex ratione poſſe demonſtrari negarint. *Etenim ſi Deum reſpicias*, inquit Thomasivs *Iurispr. diuin. Lib. II. Cap. I. §.* 12. Devs *cultu iſto exteriore non habet opus. Quantum vero ad hominem attinet*, *pergit* §. 13. *hominis ſocialitas, ſeu vita tranquilla, ſeu quocunque modo beatitudinem eius temporalem efferre velis, directe per omiſſionem harum actionum externarum non laeditur, modo cultus internus non tollatur.* Verum ſi haec ratio valeat, fateamur neceſſe eſt, ne interne quidem natura colendum eſſe Deum, quandoquidem hoc non magis, atque illo cultu indiget Deus in ſe beatiſſimus: cuius tamen cultus interioris neceſſitatem nec hic ipſe quidem vir in dubium vocare auſus eſt. Socialitas autem principium illud non eſt, ex quo naturalium officiorum amplitudinem dimetiri liceat, quod ille ſibi perperam perſuaſit.

§. XV.

§. XV.

Ex eius determinatione oritur religio naturalis.

Atque hic *ſola ratione adquiſita diuinitatis notione determinatus Deum colendi modus* RELIGIO NATVRALIS *ſtrictiſſime* dicitur, cuius duae ſunt partes: *verus Dei cultus*, de quo hactenus expoſuimus, et ab homine *religioſo rite determinata eius exhibendi ratio.* Pars illa veram Dei cognitionem, et huic conformes actiones requirit, rationemque ſufficientem in Dei eſſentia habet: iſta vero vel hoc, vel alio modo aeque bene, ſed tamen ſecundum rectae rationis principia inſtitui poteſt. Igitur *ſubſtantialia* religionis naturalis in *ſciendis* et *agendis: accidentalia* in iis actionibus conſiſtunt, quae licet vario modo poſitae, aeque tamen faciunt ad cultum Deo exhibendum: porro in *eſſentialibus vna* eademque vbique ſit religio naturalis, neceſſe eſt: in *accidentalibus* vero ea *diuerſa* eſſe poteſt.

Religio vnde dicta ſit; LACTANTIVS *Lib. IV. Inſt. diuin. c.* 28. *n.* 3. ita docuit: *Hoc vinculo pietatis obſtricti Deo, et religati ſumus, vnde ipſa religio nomen accepit*; *non vt Cicero interpretatus eſt a relegendo Lib. II. de nat. Deor. c.* 28. *vid. Voſſium in Etymolog.*

§. XVI.

Ex conſentiente religione eccleſia naturalis.

Verum cultus externi ratio (ſup. §. 13.) totiusque negotii perfectio exigit, vt in accidentalibus quoque conſentientem ſibi per omnia,

nia,

Digitized by Google

nia, conformemque religionem naturalem homines profiteantur. Ponamus hoc animo plures inter ſe conuenire; et prodibit *ſocietas hominum in religione naturali conſentientium*, quae ECCLESIA adpellatur. Eſt haec ſocietas *hypothetica*, et vel *aequalis*, vel *inaequalis* eſſe poteſt. Licet enim ſubſtantialia religionis naturalis a Deo determinata iam ſint, vt imperium omne tranſcendant: arbitrarium tamen cultus externi modum, media quoque religionis et eccleſiae integritati proficua vel conuenientium pacto, vel imperantis eccleſiaſtici voluntate determinari adeo non repugnat, vt alterutrum fieri quam maxime oporteat. Plura, non opus eſt, vt hanc in rem adferamus, primas veluti lineas duxiſſe, atque ſummum eccleſiae genus obiter conſideraſſe contenti.

§. XVII.

Poteſtas eccleſiaſtica naturaliter maieſtati cohaeret.

Et quidem poſita *ciuitate* hoc ipſo eccleſiam eamque inaequalem poni neceſſe erit. Etenim iuris gubernandi ciuitatem pars longe praeſtantiſſima eſt, quae in pietate ciuium animis implantanda, cultuque diuini numinis ad rectae rationis principia moderando occupatur. Maieſtatis igitur officium erit, ſubſtantialia religionis omni, quo poteſt modo cuſtodire; accidentalia vero ita determinare, vt ſint felicitatis internae (ſup. §. 12.) media: finem tamen ciuitatis, & felicitatem externam, quam

cum

cum illa conciliari volunt naturae leges, non impediant.

§. XVIII.

Ab ea tamen ſeparari poteſt.

Poſſunt tamen paciſcentes, qui primi in ciuitatem coeunt, de eccleſia conſtituenda aliter inter ſeſe conuenire; poterit enim eccleſia vel vt ſocietas aequalis ab iis conſtitui, vel etiam alicui alii praeter ſummum imperantem ciuilem poteſtas eccleſiaſtica conferri: illo caſu imperans ciuilis *qua ſocius* non niſi iure ſuffragii gaudebit: hoc vero ſi placuerit, tum eccleſiae intuitu fiet ſubditus, quod maxime abſurdum eſſe multi quidem contendebant, nullus vero vnquam demonſtrauit.

Audiamus CHRIST. L. B. WOLFIUM *Iur. Nat. Tom. VIII. §. LXV. Sunt equidem, qui abſurdum dicunt duplex ſummum imperium in eadem ciuitate; ſed cur abſurdum ſit, nulla ratione ſolida euincunt, ſane abſurdum minime reputant, vt populus quaedam iura ad imperium ſpectantia ſibi retineat, in quibus dependere non vult a Rectoris voluntate. Nonne vero perinde eſt, ſiue ius ſibi reſeruatum exerceat per ſe, ſiue idem transferat in alium, vt idem exerceat, prout ſibi videtur? Ex eo quod corpus humanum ſit monſtroſum, ſi duo habeat capita, minime ſequitur, rempublicam fore monſtroſam, in quo duo exiſtunt imperii ſumma. Abſurditas demum probata intelligitur, ſi demonſtratum fuerit, imperio ſummo diuiſo finem ciuitatis obtineri minime poſſe, ſed ex hac diuiſione ſequi, quae eidem e diametro repugnant. Hoc enim in praeſenti materia pro moraliter impoſſibili, conſequenter pro abſurdo habendum, ſi velimus vti mediis, quae finem ciuitatis euertunt, aut ſaltem ab eodem abducunt.*

§. XIX.

§. XIX.

At ius circa ſacra a maieſtate diuelli repugnat.

Enimuero licet imperium eccleſiaſticum ab imperio politico hac ratione ſeparari poſſit; *ius* tamen *circa ſacra* a Maieſtate diuelli nunquam poterit. Illius ſemper erit officium, vt ſubſtantialia religionis *tueatur* et *defendat*, tanquam reipublicae vincula; ea vero modis omnibus *impediat*, quae a poteſtate eccleſiaſtica *nouiter conſtituta* ſaluti ciuitatis obeſſe viderit. Quodſi enim officia erga Deum adfirmatiua in colliſione cum officiis erga ſe vel alios plerumque ceſſare, vimque pietatis amittere omnes fatentur, qua ratione eccleſia arbitrarias ſuas ſanctiones vrgere poterit, quas ſupremum imperantis ciuilis iudicium bono communi repugnare declarauit? De quo iure qui adhuc dubitant, nondum ſatis perpenderunt, eundem Deum, et religionis, et ciuitatis auctorem eſſe, atque adeo, eam religionem, quae ciuitatis finem euertit, aut remediis ad eum obtinendum impedimenta ponit, verae religionis nomen haud amplius mereri.

Qua de re imprimis conferri debet. *Perilluſt. Dom. de* Martini *Poſit. de iur. ciuit. cap. VIII.* Adde, ſi lubet filii mei Ios. Ant. Rieggeri proleg. ad ius eccleſiaſticum, Vindob. 1764. et Friburgi 1769. 8vo. Ex proteſtantium ſcriptoribus huc faciunt praecipue Christ. L. B. de Wolf. *iur. nat. Tom. VIII. cap. IV.* God. Keufel. *Element. iuris eccleſ. vniuerſ.* Dariesius *inſt. iurisprud. vniuers. ſect. VII.* Io. Ern. Gunne *in comment. ad h. loc.*

CA-

CAPVT III.

DE RELIGIONE DIVINA POSITIVA GENERATIM.

§. XX.

I.) *Ex procliuitate hominum ad mala.*

Haec ſunt, quae de religione, et eccleſia naturali, tanquam mediis perfectam felicitatem obtinendi (ſup. §. 7.) praemittenda eſſe duximus. Verum eadem recta ratio, quæ iſta nos docuit, medii huius inſufficientiam demonſtrat. Tanta profecto eſt omnium hominum ad mala quaeuis propenſio, vt eam, quo minus in facta turpiſſima exeat, nulla motiuorum, quae ſola ratio ſuggerit, meditatio cohibere queat. Eſt haec veritas eiusmodi, vt non aliter quidem, ſatis tamen ſolide, communi omnium experientia, virorum ſapientum ſuffragiis confirmata, demonſtrari poſſit. Sentiunt mortales bellum hoc inteſtinum, atque licet cauſam eius et originem humana ſapientia ignoret, recte tamen ab indole iſta nulla ratione flexibili ad humanae naturae corruptionem concludit.

Locus eſt egregius LEONIS M. *Lib. I. de vocat. gent. c. 6. Haec*, inquit, *voluntas hominis vaga, incerta, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus coeca, honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloriae, quam virtutum auidior, famae, quam conſcientiae diligentior, et per omnem ſui experientiam miſerior fruendo his, quae concupiuerit, quam carendo; nihil in ſuis habet virtutibus niſi periculi facilitatem, quoniam voluntas mutabilis,*

quae

quae non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni. Et vt videas philoſophiam moralem quantum virium habeat, experientiam conſule. *Quotus enim quisque philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo, et vita conſtitutus, vt ratio poſtulat? qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiae, ſed legem vitae putet? qui obtemperet ipſe ſibi, et decretis ſuis pareat?* Cic. *Lib. II. Tuſcul. quaeſt. cap.* 4. §. 11. *et* 12.

§. XXI.

II.) *Ex ſtatu corruptae noſtrae naturae.*

Viderunt hoc omnium aetatum et gentium ſapientes, atque ad tantam malorum copiam, quae iuſtos aeque ac improbos a primo natiuitatis momento ad vltimum vſque halitum excogitat, obſtupuerunt. Cicero hominem *non vt a matre, ſed vt a noverca natura in lumen editum dixit. Lib. III. de repub. ap. S.* Augustin. *Lib. IV. contra Iul. cap.* 12. et Plinius dubitauit, *vtrum natura parens melior hominis, an triſtior nouerca fuerit. Lib. VII. hiſt. nat. praef.* At Deus eſt auctor naturae, qui non poteſt, niſi bona quaeque, & optima efficere, et ſub Deo iuſto miſerum eſſe repugnat, niſi quis reus, et propria culpa miſer ſit. Quare alii nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore poenarum luendarum cauſa natos eſſe dixerunt. Cicero *in Hortens. ap. S.* Augustin *loc. cit. cap.* 13. Adeo verum eſt, naturae corruptionem omnes videre, cauſam vero mali noſtri, et ita etiam, qua ratione nos ab eo expedire et liberare poſſimus, ſolam rationem ignorare.

Quare recte ORIGENES *Lib. IV. contr. Celſum* philoſophis reſpondet. *Ad hoc dicimus, quod malorum originem neque philoſophi facile intelligant, imo perſpicui omnino non percipiant, niſi Deo inſpirante didicerint, quomodo ſumpſerit initium, et quomodo Dei gratia iterum poſſit aboleri, qui,* (vt ait S. AVGVSTIN. *Lib. VI. confeſſ. cap.* 4. *confecit medicamenta fidei, et aſperſit ea ſuper morbos orbis terrarum.*

§. XXII.

III.) *Ex obſcura vitae futurae notione.*

Et ſi quod refraenandae licentiae praeſidium, et leniendae miſeriae ſolatium ſoli rationi in promptu eſſet, illud abſque dubio fortiſſimum, et ſumme neceſſarium foret, quod a vitae futurae exſpectatione arceſſitur, quo irrequietus nos ducit felicitatis ſtimulus: (ſup. §. 5.) At vero, quam certum eſt, praemii, vel poenae in hac vita deficientis menſuram in altera ſupplendam eſſe, tam obſcura eſt ſtatus illius felicis, aut infelicis notio, quae niſi clara, et diſtincta ſit, eo minus ad emendandos mores et lacrymas abſtergendas virium habebit; ita iam debiliſſima eſſent legum naturalium vincula, quarum robur ab hac potiſſimum meditatione dependet.

Quam in rem inquit LACTANTIVS *Diu. Inſt. Lib. I. Cap. I. §. 6. quia fieri non potuit, vt homini per ſe ipſum ratio diuina innoteſceret, non eſt paſſus hominem Deus ſuum lumen ſapientiae requirentem diutius oberrare, ac ſine vllo laboris effectu vagari per tenebras inextricabiles. Aperuit oculos eius aliquando, et notationem veritatis munus ſuum fecit, vt et humanam ſapientiam nullam eſſe monſtraret, et erranti, ac*

vago

Digitized by Google

vago VIAM CONSEQVENDAE IMMORTALITATIS OSTENDERET.

§. XXIII.

IV.) *Ex ignorantia mediorum Dei amicitiam reconciliandi.*

Quid ſi venit in mentem tot ſcelerum memoria, quibus optimum illud quidem, ſed iuſtiſſimum ſimul numen a nobis abalienauimus? fierine poteſt, ut amorem eius, amicitiamque nobis polliceamur, antequam iuſtitiae eius exactiſſime ſatisfactum eſt? At eius generis medium efficiendi, vt facta perperam pro infectis habeantur, et diuinam ſibi voluntatem durante actionis malitia conciliandi ratio omnino ignorat.

Socinianorum impia doctrina eſt, ſatisfactione hac Deo minime opus eſſe, aiuntque, illi non minus, atque cuique regi integrum eſſe, delicti etiam, abſque ea ſi ſit, veniam facere, ſed diſtinguunt ſtultiſſimi mortalium duo, quae ſeparari minime debebant. Eſto enim id facere eum poſſe, quid ſi non velit? Spem quidem adferre aliquam poteſt ſumma bonitas, ſed haec iuſtitiae aduerſari non poteſt. Animaduertendus hic profanorum eſt error, qui quum de diuinis perfectionibus diſſerunt, ea temere ſeiungenda contendunt, quae ne intelligi quidem in Deo, niſi coniuncta, poſſunt. Quod ſapientiam, quod bonitatem, quod iuſtitiam ſeparatim examinet Theologorum ſchola, id eſt, ex arte docendi, in Deo quidem haec omnia unum ſunt, indiuiſum, et non ſeparabile. Non vult igitur, vt bonus eſt, quod qua idem eſt iuſtus, velle non poteſt, quia iuſtitia a bonitate non poteſt ſeparari.

§. XXIV.

Religionis reuelatae neceſſitas demonſtratur.

Qua de cauſa duorum alterum concedamus neceſſe eſt, aut aeternam, et nunquam finiendam eſſe, quae mortalibus incumbit, calamitatem, aut praeter rationem aliam, eamque certiorem, ac tutiorem ad felicitatem viam eſſe reliquam. Prius illud cum diuina in nos bonitate conciliari non poteſt: oportet igitur lumen eſſe aliquod, ac ſemper fuiſſe, cuius beneficio intelligi queat, quae etſi neceſſaria, ratio tamen peruidere non poteſt.

Sed opponit turba hominum profana: *Religio naturalis Deum habet auctorem, perfecta igitur ſit, neceſſe eſt, et numeris omnibus abſoluta;* ne concedendum ſit, Deum, quum eam mentibus hominum indidit, non praeuidiſſe, quid ſit iis ad finem propoſitum adſequendum neceſſarium. Sed videamus, quid reſponderi poſſit. Primum, qui hominem a Deo integrum fuiſſe creatum ambigit, is etiam aut de Dei ſapientia, bonitateque, aut de potentia eius dubitet neceſſe eſt. Dudum autem genus hominum ab ea integritatis conditione excidiſſe, ipſi nobis teſtimonio eſſe poſſumus. (ſup. §. 21.) Imo vero, quamuis dubium nullum ſit, quin homo integer ſibi ad beatitatem ſufficiens ſit creatus; eam tamen mutato ſtatu, naturam, quum minus idoneam ad ſalutem adipiſcendam dicimus, id ad Dei perfectionem nihil pertinere nemo non intelligit, qui ſatis conſultum felicitati generis humani credidit, *facta* REVELATIONE. Vid. Reuerendiſſ. ac Celſ. S. R. I. P. MARTINI GERBERT *demonſtrat. Ver. Relig. Lib. I. Cap. VI. VII.* PETR. GAZZANIGA *Tract. de virt. theolog. diſſert. I. Cap. II.*

Digitized by Google

§. XXV.

Et Religio diuina poſitiua definitur.

At qui extra rationem huiuscemodi lumen, quale humana deſiderat natura, nullum eſſe poteſt, praeter *diuinam reuelationem.* Neceſſe igitur eſt exiſtere reuelationem quamdam a Deo profectam, quae commemoratis hactenus humanae mentis defectibus penitus mederetur. Inde religio divina positiva conſurgit, quae eſt *modus, quem ipſe Deus pro ſuo arbitrio determinauit, qua ratione ab hominibus virtutem coli, amiſſam recuperari, ſuamque gloriam manifeſtari velit.*

§. XXVI.

Signa, ex quibus cognoſci poſſit, recenſentur.

Atque haec ſummo nobis ſtudio, niſi felicitati noſtrae ipſi deeſſe velimus, inueſtiganda eſt. Qua in re ne vaniſſimis deliriis, quae ementito reuelationis diuinae titulo circumferuntur, in devia mens abeat, e re noſtra eſt, ſigna, quae veram, diuinamque reuelationem demonſtrent, obſeruare diligenter, atque, vt aiunt, in numerato habere. Neque enim dubitandum eſt, quin Deus iis characteribus eam inſigniuerit, vt a quouis ſalutis ſuae ſtudioſo intelligi poſſit.

Vix eſt una hac aetate natio, quae religione quadam reuelata non vtatur. At in tanta gentium conſenſione dici non poteſt, quanta ſit varietas reli-

gionum, quarum tamen, niſi vna, vera eſſe nulla poteſt. Ex quo facile intelligi poteſt, quanta cautione vtendum ſit in conſtituenda reuelatione, ne, dum ſaluti operam quam maxime damus, ab ea, quam longiſſime abducamur.

§. XXVII.

I.) Debet continere myſteria.

Quos quidem ex iis, quae hactenus ſcripſimus, haud difficulter erui poſſe exiſtimo. *Primo* enim, quum is ſit finis reuelationis, vt ea nos, in quibus caeca vtimur ratione, doceat palam eſt: *nihil diuinitatis praeſeferre reuelationem, quae tota in iis duntaxat exponendis verſatur, quae iam dum recta ratio ſola agnoſcit.*

Cum iſtae veritates, quas ratio ſuis relicta viribus adſequi non poteſt, *ſupra rationem* poſitae, et *myſteria* dicantur, ſane euidens eſt, in diuina reuelatione ineſſe debere myſteria. Quod aduerſus illud hominum genus tenendum eſt, a quibus eo iam eſt peruentum dementiae, vt omnem veritatem arroganter negare audeant, quam humano, id eſt, anguſtis circumſcripto limitibus ingenio minime adſequuntur. Quantula enim rerum, ante oculos poſitarum pars eſt, quam intelligimus prae illa; quae denſis inuoluta tenebris iacet? vid. PETR. GAZZANIGA *Loc. cit. Cap. III.*

§. XXVIII.

II.) Non debet repugnare rectae rationi.

Deinde, quia fieri omnino non poteſt, vt idem ſibi poſſit eſſe aduerſum, in conſpicuo poſitum eſt: non eſſe veram, *neque adeo diuinam*

Digitized by Google

nam reuelationem, quae aut veritatibus recta ratione demonſtratis aduerſatur, aut in ſe ipſa pugnantia complectitur.

Eſt hic error quorumdam, qui inteſtinum quoddam bellum rationem inter, et fidem indicunt, et vnicuique ſuum quaſi regnum vindicant, in quo pro arbitrio quaeque etiam contraria ſtatuat. Ita ſentiebat Pomponacivs e ſecta Peripatetica Philoſophus, qui quum ex ſententia Ariſtotelis animam rationalem eſſe mortalem ſtatueret, eamque ob rem reprehenſus eſſet, ſe non vt Chriſtianum, ſed vt Philoſophum eſſe locutum reſpondit; quem repreſſit Concilivm Lateranense ſub Leone. X. 1513. *Seſſ. XIII.* apud Hardvin. *Tom. IX. col.* 1719. vid. Honorat. Tovrnelii *Curs. Theol. Tom. I. art. IV. Concl. III.* Atque hinc illi ſunt Theologorum canones: *Nihil in religione poſitiua praeceptum eſſe poſſe, quod ratione magiſtra ab honeſtate remotum eſſe didicimus: nihil prohibitum, quod naturali iuri praeceptum eſſe conſtat.* Quod ad permiſſiones aliae regulae tenendae ſunt. Vid. Hvg. Grotivs *de I. B. et P. Lib. I. C. I. §.* 17. *et C. II.* §. 6. add. Jos. Ant. Riegger in proleg. jur. eccl.

§. XXIX.

III.) Debet ad perfectam felicitatem adducere.

Et quia diuinae reuelationis non alius poteſt eſſe finis, quam mederi rationis defectibus, perfectamque felicitatem hominibus procurare, dubium nullum eſſe poteſt; *quin reuelationem omnia ad ſalutem et completam beatitudinem neceſſaria, ſed rationi non peruia, media complecti oporteat.*

Demus enim non continere. Iam fatendum eſt, aut ignota ea Deo fuiſſe, quod non admittit *omniſcientia*, aut non *potuiſſe* reuelare, quod omnipotentiae repugnat, aut *noluiſſe* denique, quod infinitae eius *bonitati* aduerſatur.

§. XXX.

IV.) Debet eſſe antiquiſſima.

Quum porro mortales diuina reuelatione ab eo tempore carere non potuerint, quo naturae humanae deprauatio incoepit, palam eſt: *reuelationem veram debere eſſe antiquiſſimam;* itaque conſeruatam, vt nec a temporis diuturnitate nec hominum iniuriis quidquam detrimenti acceperit.

§. XXXI.

V.) Debet eſſe in doctrina et modo propagandi diuina.

Tandem, quae diuina ſit reuelatio eius *et doctrinam et modum, quum proponendi, tum etiam propagandi talem eſſe conuenit*, quae diuini auctoris ſummam perfectionem penitus praeſeferat, et ex qua facile appareat, ceteris omnibus, quae profanis turpiſſime illudunt, reuelationibus, nec rationem poſſe, nec dignitatem conſtare.

§. XXXII.

Abuſus, non vſus rationis in ea eſt vitandus

Qua ratione intelligi poteſt, quam ſint, prope dixerim, in auctorem ſuum iniurii, qui *ſolis ſacrarum litterarum*, aut interdum etiam

ve-

veterum ſcriptorum auctoritate omnia definiri oportere contendunt, ab argumentis a naturae ratione ductis haud aliter abhorrentes, quam ſi eſſent, atque etiam eſſe poſſent doctrinae diuinae inimica.

Verba ſunt Melchioris Cani *de loc. Theol. Lib. IX. cap. 2.* Sane non intelligunt homines iſti plus iuſto meticuloſi, praeſtantiſſimum ſe, et quo excellentius generi humano datum nullum eſt, munus ſpernere, quod ante omnem reuelationem cum natura nobis indidit auctor naturae. Quid? naturam ſuſtulit Deus, quum reuelationem impertitus eſt, an eam adiutum iuit? Anne ſentis quidem rationis a te auctorem contemni, quum rationem tanquam periculi neſcio cuius, et inſidiarum plenam, cui minime fidendum ſit, exhorreſcis? *Nimia opinandi licentia*, inquit doctiſſimus Muratorius *de ingen. moderat. cap. XII. haereſes parit, fidem et rationem temere laedit. Rurſus nimia ingeniorum ſeruitus in ſuperſtitionem deducit, malum profecto deterrimum, et aeque ac haereſes religioni verae formidandum. Ab vtraque cauendum et ratio, et catholica eccleſia monet.* Quamuis enim procul eſſe debeat *ſtudium illud rimandi res diuinas inquietum, curioſum, fidei infenſum, quale in haereticis deprehenditur; non tamen rectum illud, modeſtum, ac fidei ſubditum, quod Catholicorum proprium eſt*, et copioſe probatur ab Honorat. Tournel. *Tom. I. art. IV. Concl. I.* adde his vinc. gravina virum ex ordine iuriſconſultorum longe diſertiſſimum *orig. Iur. ciu. in praefat. Lib. II.*

§. XXXIII.

Eius ſubſtantialia ſunt credenda et agenda.

Illa, quae ad religionem naturalem attinent, *ſcimus*: ea vero, quae ex religione diuina poſitiua conſequuntur, Deo fallere falli-

id tum ex conſentiente omnium, qui proxime Moyſen, aliosque ſacros ſcriptores conſecuti ſunt, et deinceps omni aetate apud Judaeos, aliasque gentes floruere, ſcriptorum teſtimonio: tum ex Hebraeorum gentis in omnis orbis partis diſperſae firmiſſima fide, et in libris hisce cuſtodiendis diligentia perpetua demonſtratur. Quod ſi alicui hoc argumentum non ſufficiens videatur, is eadem ratione omnes facti quaeſtiones in dubium trahat, et ita pyrrhoniſmum ſtultorum ſcholam profiteatur neceſſe eſt.

Vid. Hvg. Grotivs *de verit. relig. Chriſt. Lib. I. et III. in fin.* Dan. Hvetivs *demonſtrat. Euangel. propos. IV.* Petr. Gazzaniga *loc. cit. Cap. V.*

§. XXXVII.

Conſtat ergo reuelationem protoparenti omnium Adamo *primum datam.*

Sequamur itaque Moyſis aliorumque auctoritatem, quae nos docet, religionem reuelatam generi humano eſſe coaeuam; atque ipſum Adamvm ore diuino edoctum eam in poſteros transtuliſſe, Genes. *I. II. III.* Sap. *II.* 24. Eccles. *XVII.* 1. pauciſſimis tum quidem capitibus conſtantem. Genes. *IV.* 3. Eorum palmare fuiſſe fidem in aduentum ſeruatoris, quem qui ſperabant, ſalutem in Adamo amiſſam recuperabant. Genes. *III.* 15. Deinceps per *Patriarchas* eſſe propagatam, accedentibus ſaepe ſpecialibus reuelationibus et commercio familiari Dei cum hominibus. Genes. *IV.* 26. *V.* 22.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Tum in Noacho *conſeruatam.*

Mox omnis caro corruperat *viam ſuam* Genes. *V.* adeo, vt Deus diluuio genus humanum delere ſtatueret Genes. VI. ſoli Noacho cum ſua familia ob iuſtitiae, religionisque ſtudium ſeruato. Genes. *VII. VIII.* Eadem vero fuit quoad ſubſtantiam religionis forma poſt diluuium, quae antea, ad cultum diuinum, expectationemque Meſſiae (ſup. §. 37.) relata. Genes. *IX.* ſeptem enim illa *Noachidarum* praecepta, quae circumferunt Noacho, et qui ante eum vixerunt, ſucceſſiue a Deo data, falſis innituntur Rabbinorum traditionibus.

Recenſentur vulgo hoc ordine: 1.) *de cultu extraneo.* 2.) *de maledictione nominis ſanctiſſimi*, 3.) *de effuſione ſanquinis*, ſeu *homicidio* 4.) *de reuelatione turpitudinum*, ſeu *illicito connubio* 5.) *de furto et rapina* 6.) *de iudiciis*, ſeu *regimine forenſi ac obedientia ciuili* 7.) *de membro animalis viventis non comedendo:* Genes. *IX.* 4. De his aeque, atque aliis naturalibus, vt vocant, Hebraeorum legibus diffuſe, et erudite quidem, ſed tamen incaſſum egit Io. Seldenvs. adde nat. Alex. *Hiſt. eccles. V. T. Tom. I. act. mund. II. diſſ. II.*

§. XXXIX.

Dein in Abrahamo *confirmatam.*

Poſt diſperſionem babylonicam longe lateque graſſari coepit idololatria Genes. XI. veraque religio in Heberi familia potiſſimum conſeruata fuit, donec Devs cum Abrahamo ſingu-

ſingulare foedus iniret, GENES. XII. Meſſiae ex ſemine eius orituri promiſſionem continens, GENES. *ibid.* 3. XVIII. 18. XXII. 17. iniuncta circumciſione, additisque promiſſionibus aliis de multiplicando ſemine, ac poſſeſſione terrae Canaan firmatum. GENES. XVII. XVIII. *ſeq.*

§. XL.

Tandem in MOYSE *pleniſſime perfectam fuiſſe.*

Foedus hoc diuinum plene in MOYSE perfectum eſt; poſtquam enim Deus populum Hebraeum ſeu Iſraeliticum ſpecialiter a ſe electum, idololatriae tamen, et ſuperſtitionis ſumme deditum duris aeque ac proſperis fatis ſatis acuerat, Moyſis miniſterio uſus non ſolum pleniſſimum ſui cultum ei praeſcribere, leges ſuas miraculis nouis, et plurimis firmare, vaticiniis extendere, omniaque ſcriptis diuina auctoritate propoſitis confirmare: ſed et ciuilem reipublicae ſtatum inſtitutis optimis inſtruere voluit. EXOD. XIX. 6. 8. DEVTER. XXIX. 2. IVD. VII. I. REG. VII. Quare forma ciuitatis iſraeliticae *Theocratica* recte adpellatur.

Quamuis enim Moyſes et Seniores, et poſt Moyſis obitum Ioſue, deinde Iudices rempublicam iſraeliticam moderarentur: Deus tamen ſummae rerum praeerat, et non modo ſacra, ſed et ciuilia omnia ſupremo cum imperio, ceu Rex politicus, regebat, vt illi vicarium tantum imperium gererent, et iuxta Dei reſponſa vel praecepta rempublicam adminiſtrarent.

§. XLI.

§. XLI.

Legum veteris Teſtamenti diuerſa genera explicantur.

Triplicem adeo perſonam, *auctoris naturae*, *pontificis*, et *ſummi regis* Deus tum ſuſtinuit. Hinc facile quiuis intelliget, praeter *credenda*, et leges *dogmaticas*, alias populi iſraelitici leges *morales*, *caeremoniales* alias, atque alias *iudiciales*, ſeu *politicas* fuiſſe. Iſtae ad regimen reipublicae, et iuſtitiam ciuilem cum proximo ſeruandam ſpectabant: Illae ad diuinum cultum proxime ordinatae erant, quibus fere proprium fuit, non ſolum eccleſiae hebraeae formam dare, ſed et futurae Chriſtianae typum praeſeferre: quare abeunt in caeremoniales mere *religioſas*, et ſimul *typicas*. Morales ſeu naturales vero illae ſunt, quae decalogo continentur, quasque Deus populo ſenſibus nimium addito, noua auctoritate oculis quaſi ſubiici curauit.

Haec praeceptorum diuiſio per ſolum vetus Teſtamentum diſperſa reperitur in *libris* Exod. Levit. Nvm. et Devt. vbi illa *praecepta*, ſeu *mandata*, *cerimoniae* et *ſabbatha* Ezech. *XX.* 13 — 20. *XXII.* 26 ac *iudicia* vniuerſimque *teſtimonia* vocantur. Repraeſentatio illa; quam legibus cerimonialibus ſimul typicis ineſſe dixi, fuit vel *tropologica* vel *allegorica* vel *anagogica*. *Haec* tum ineſſe dicitur, quum actiones ex lege veteri futuram gloriam populi chriſtiani, et bona eius praenuntiat ad Hebr. *C. X.* 1. *Iſta* eſt, quando opera pedagogiae Moſaicae venturi Messiae myſteria praefigurat ad Coloss. *C. II.* 16. 17. *Illa* denique eſt, dum actione externa ſignificabatur interior ſanctimonia et honeſtas, quae in populo

pulo *durae ceruicis*, EXOD. *XXXII.* 9. et *cordis lapidei* EZECH *XI.* 1. *XXXVI.* 26. deſiderabatur, aut in Chriſtiano futura praedicebatur; tale eſt praeceptum *circumciſionis* carnis, quae figura erat *Baptismi* IEREM. IV. 4. EZECHIEL. *XLIV.* 7. 9. *ad Rom. II.* 9. Conf. omnino NATAL ALEXANDR. diſſertationes de triplici hoc genere legum in *hiſt. eccleſ. et V. Teſtam. Tom. I. Ætat. Mund. IV. Diſſert. II. III. IV.*

§. XLII.

Hanc religionem librosque eam continentes eſſe diuinos demonſtratur 1) *ex Miraculis.*

Religionis hactenus deſcriptae, librorum moſaicorum, totiusque ſcripturae, quae illam complectitur, veteris teſtamenti; (ſup. §. 35.) diuinitatem abunde teſtantur characteres verae religionis (ſup. §. 27.) ſtabiliti, atque *vera miracula* in illius confirmationem *ſaepiſſime* patrata, et *prophetiae* quam plurimae *opere completae.* Et quidem quod miracula attinet, de illorum veritate *prudenter* dubitari non poteſt; quae a teſtibus idoneis, quorum nec iudicium nec fides laborat, ab hominibus ſanctis, quales fuerunt Moyſes, et Prophetae, referuntur, literis mandantur, edita in conſpectu populi totius narrantur, iis ipſis praeſentibus, quorum teſtimonio argui, convincique poſſent mendacii, qui haec memoriae prodiderunt, ſi falſa et conficta eſſent. Atqui ſolius Dei eſt, vltra naturae limites progredi, et rerum creatarum viribus maiora efficere, qui porro falſam religionem miraculis, quaſi auctoritatis ſuae ſigilli, obſignare non poteſt.

Eam

Digitized by Google

Eam ergo religionem vere diuinam eſſe, neceſſe eſt, cuius cultores, et interpretes tot miraculis incredulos, et inobedientes toties revicerunt.

Multos nobis hic obſtrepere audio. Hæc omnia ſatis plana fore, dicunt, modo de exiſtentia miraculorum ſatis conſtaret. Vniuerſae naturae efficacitatem ignorari a nobis adeo, vt definiri haud poſſit, quem effectum in miraculorum numero haberi oporteat. Ea vero, quae in libris veteris teſtamenti narrantur, confingi, et ſuperſtitioſae multitudini perſuaderi, aut omnino per conſpirationem oſtentationis cauſa praedicari potuiſſe. Verum, licet naturae vires ad punctum vsque exploratas non habeamus, *mirabilium* tamen, et *miraculorum* differentiam ii omnes perſpiciunt, qui Metaphyſicae principia didicerunt. vid. Pavl. Macko *Inſt. Metaph. Coſmolog. cap. VI.* Miracula autem, queis libri veteris teſtamenti abundant, conficta fuiſſe, id ſuſpicari vetat 1) ingens hominum multitudo, quibus imponendum fuiſſet. 2) Factorum ipſorum, quae omnium ſenſibus vſurpata erant, euidentia. 3) Narrata Iſraelitarum crimina, murmurationes aduerſus Deum, vituli aurei cultus, incredulitas ac diffidentia, blasphemiae, ſeditiones, perduelliones, libidines, caeteraque crimina, quibus ipſos iram Dei prouocaſſe, et tot flagellis a Deo caſtigatos fuiſſe, in ipſis libris Moyſis ſcriptum eſt. 4) Monimentorum ſenſibilium, ac perpetuorum inſtitutio ad huiusmodi eventorum memoriam ſeruandam. 5) Styli orationisque ſimplicitas. Haec omnia, inquam, ſuſpicari vetant, Moyſem caeteroſque viros ſanctiſſimos, doctrinae Deo dignae praedicatores, affingere, et falſa perſuadere aut voluiſſe, aut potuiſſe. Illud vero ſtultiſſimum eſt, Iudaeos in illum dolum conſenſiſſe. Nimirum hominum innumerabilis multitudo, quaſi ex compacto ea, quae falſiſſima ſciuit, non modo facta conceſſit, ſed et ea animi firmitate credidit, vt mortem lubens ad ea confirmanda appeteret?

§. XLIII.

2.) *Ex prophetarum vaticiniis.*

Prophetarum vaticinia ſi conſideremus, ea ita comparata ſunt, vt res a ſola diuina virtute pendentes, quasque nullo humano ingenio praeſagire licet, certiſſime praedixerint, eo euentu, vt eas opere ipſo completas fuiſſe a nemine ignorari potuerit. Quis vero fortius diuinitatis argumentum deſideret? *Cui enim melius narranti praeterita credimus, quam qui futura etiam praedixit, quae praeſentia iam videmus.* S. AVGVSTIN. *de ciuit. Dei XVIII.* 40. vt iam de antiquitate religionis moſaicae, de doctrina puriſſima, de ſumma omnium librorum veteris teſtamenti conſenſione, et concordia, de myſteriis, et auxiliis, queis naturae humanae defectibus (ſup. §. 27. ſeq.) ſuccurrit, viamque ad perfectam felicitatem praeparat, nihil dicamus, cum a theologis, aliisque ſcriptoribus doctiſſimis frequenter, conſtanter, et ſolide pertractata ſint.

NATAL. ALEXAND. *Hiſt. eccleſ. Tom. II. diſſert. XI.* CL. PETR. GAZZANIGA *loc. cit. cap. IV.*

§. XLIV.

Fuit autem tantum particularis.

Habemus igitur *veram religionem reuelatam libroſque diuinos veteris teſtamenti*, in quibus illa continetur: Ex fine tamen et ordinatione eius adparet, eam fuiſſe *particularem*, ac praeter populum hebraeum nullum obligaſſe alium, ſi *proſelytas iuſtitiae* excipias, qui ſe populo iudaico ſponte adgregarunt, et quorum

Digitized by Google

rum non modicus fuerat numerus. Ezech. *XIV.* 7. Ivdith. *XIV.* 6. Ester *VIII.* 17. *IX.* 27. Id quod tum ex modo promulgandi, tum prophetarum teſtimoniis confirmatur, qui ſolum ſemper Iſraelem de neglectu legis hebraeae coarguunt, et illi gentes opponunt. Devt. *IV.* 7. 8. Amos *III.* 1. 2.

Hvg. Grot. *de I. B. et P. Lib. I. cap. I. §.* 16. *et de relig. chriſt. Lib. V. §.* 7. 9. Ex eo autem minime ſequitur, reliquas gentes a ſalute aeterna fuiſſe excluſas, omnique medio, reuelatione ſcilicet, eam conſequendi caruiſſe. Qua enim ratione Deus neceſſitatibus noſtris ſuccurrere velit, id eius prouidentiae committendum eſt, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Ioan. *I.* 9. *vid.* Cl. Petr. Gazzaniga *loc. cit. cap. I. §.* 22. 23.

§. XLV.

Negata praeceptorum, quae diuina poſitiua vniuerſalia vet. teſtam. vocant, exiſtentia.

Quae autem *praecepta poſitiua vniuerſalia* in *veteri teſtamento* a Deo data eſſe dicunt, haud admittenda ſunt. Eorum patroni plerumque ſequentia ſtatuunt. 1.) de *ſanctificando ſabbatho* Genes. *II.* 3. 2.) *de arbore vetita* Gen. *II.* 17. 3.) *de polygamia prohibita* Gen. *I.* 27. *II.* 24. 4.) *de diuortio interdicto* Gen. *II.* 24. 5.) *de poteſtate mariti in vxorem* Gen. *III.* 16. 6.) *de vitando eſu ſanguinis* Gen. *IX.* 4. 7.) *de homicida capitaliter puniendo* Gen. *IX.* 6. 8.) *de nuptiis in certis gradibus prohibitis* Lev. *XVIII.* verum a nemine adhuc confectum eſt, Deum in veteri teſtamento leges poſitiuas vniuerſales praeſcripſiſſe. Atque ita ad data exempla reſpondere oportebit, vt vel leges eſſe vni-

uerſales propter neceſſariae promulgationis defectum, vel eſſe tantum poſitiuas, negandum ſit.

§. XLVI.

Caetera religionis fata generatim adnotantur.

Poſtea varii iterum errores corruperunt doctrinam ſanctiſſimam. Iſraelitae in idololatriam prolapſi ſunt: Samaritani ſchisma intulerunt: ipſos inter Iudaeos variae exortae ſunt ſectae. Reliquum orbem omnem Ethnica tenuit religio, donec promiſſus iam inde ab origine mundi, et a fidelibus tanto deſiderio exſpectatus aduenit generis humani redemptor Chriſtus, quem extitiſſe, religionemque dediſſe aliam ab illa Hebraeorum, id iam agimus, vt paucis, quantum licet, oſtendamus.

Confer, ſi lubet, IOS. ANT. RIEGGERI filii proleg. ad ius eccles.

CAPVT V.

DE RELIGIONE CHRISTIANA NOVI TESTAMENTI.

§. XLVII.

Extitit IESVS CHRISTVS.

IESVS CHRISTVS promiſſus iam inde ab origine mundi (ſup. §. 37.) et a fidelibus iugiter exſpectatus *Meſſias*, verbum diuinum, naturam

turam humanam indutus, in Iudaea imperium romanum tenente TIBERIO nouam religionem ab illa Iudaeorum, quam hucusque deſcripſimus, diuerſam, tradidit.

Quod non chriſtiani ſolum per orbem vniuerſum diffuſi profitentur, ſed et Iudaeorum omnis natio, quae olim fuit, et quae nunc eſt. Quin id teſtantur ſcriptores etiam pagani. SVETONIVS in Claud. c. 24. *Iudaeos* IMPVLSORE CHRISTO *adſidue tumultuantes Roma expulit.* Vbi *Iudaeorum* nomine *Chriſtianos* intelligi, conſtat ex ARRIANO lib. II. c. 9. Cum *aliquem in ambiguo agitantem videmus, tunc dicere ſolemus, non eſt hic Iudaeus, ſed diſſimulat. Cum vero adſumpſit ſtudium adfectumque baptiſati, et electi, ſeu initiati: nam ille tunc et eſt revera et vocatur* IVDÆVS. *Tacitus lib. XV. annal. c.* 44. *Vulgus chriſtianos adpellabat. Autor nominis huius* CHRISTVS, *qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio adfectus erat.* Adde PLIN. IVN. *lib.* X. *epiſt.* 97. 98. (quas explicant atque illuſtrant FR. BALDVINVS, CONS. RITTERSHVSIVS, GER. IO. VOSSIVS, IVST. HEN. BOEHMERVS et alii.) Huc quoque pertinet illuſtre IOSEPHI *antiq. Iud. lib. XVIII. c.* 4. de Chriſto teſtimonium, quod ex S. HIERONYMI verſione his verbis conceptum eſt: *Eodem tempore fuit* IESVS *vir ſapiens, ſi tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, et doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt: plurimos quoque tam de iudaeis, quam de gentibus ſui habuit ſectatores, et credebatur eſſe* CHRISTVS. Cum *inuidia noſtrorum principum omni cum Pilatus addixiſſet, nihilominus, qui eum primum dilexerunt, perſeuerarunt: adparuit enim eis tertia die viuens. Multa et haec et alia mirabilia carminibus prophetarum de eo vaticinantibus, et vſque hodie chriſtianorum gens ab eo ſortita vocabulum non defecit.* Quem locum a priſcis chriſtianis hiſtoriae Ioſephi haud fuiſſe intruſum, egregie poſt multos alios oſtendit NAT. ALEXANDER *H. E. ſec. I. diſſ. I.*

§. XLVIII.

Nouamque religionem homines docuit.

CHRISTVS quidem ipſe, quum inter mortales adhuc moraretur, ſolus fuit legislator, ſolusque magiſter; MATH. XXIII. 8. miniſtris tamen ſuae poteſtatis *apoſtolis* et *diſcipulis* vſus eſt. *ad* COLOSS. I. 23. *ſeq.* Reliqua multitudo Chriſti doctrinam amplexa docebatur, parebat, et ſalutem operabatur.

Audiamus licet diuinum ipſum legis noſtrae auctorem apud MATH. XXIII. 8. 9. 10 *Vos autem*, ait diſcipulis ſuis, *nolite vocari Rabbi: vnus enim magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim pater veſter, qui in coelis eſt. Nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Miniſterium igitur ſolum penes apoſtolos et diſcipulos fuit. Sane ita de ſe teſtatur PAVLVS ad Coloſſ. I. 23. 24. *ſi tamen*, inquit, *permanetis in fide fundati, et ſtabiles, et immobiles, a ſpe euangelii, quod audiſtis, quod praedicatum eſt in vniuerſa creatura, quae ſub coelo eſt, cuius factus ſum ego Paulus* MINISTER. *Pro corpore eius, quod eſt eccleſia, cuius factus ſum ego* MINISTER: etc. Ibidem v. 25. quod de populi doctrina diximus, ea de re elegantiſſimum eſt epiſtola PAVLI *ad Epheſ.* C. IV. teſtimonium, quod quia integrum huc transferre, nimis longum eſſet, auditoribus noſtris legendum commendamus.

§. XLIX.

Quam legibus ſuis firmauit.

Sunt autem plurima ſacrae ſcripturae loca, quae veram poteſtatem legislatoriam a Chriſto exercitam fuiſſe demonſtrant.

MATH.

Digitized by Google

Math. *VII.* 29. *IX.* 6. *XIX.* 17. *XXVIII* 20. *add. Concil. Trident. Seſſ. VI. de iuſtif. Can.* 21. Et primum quidem *leges naturales* ubique confirmauit, explicauit, atque ad ſummum perfectionis gradum euexit. Deinde alias praeterea dedit circa *credenda*, et *agenda*, quae *myſteria* et *dogmata* religionis noſtrae vocantur, et a nullo chriſtianorum ignorantur. Reliqua vero ipſe non determinauit, ſed in poſterum determinanda reliquit.

Quod de Chriſto legum naturalium reſtauratore diuino diximus, id exemplis illuſtrare iuuabit. Amandum eſſe Deum, et amandum quidem prae aliis omnibus praecipitur ſaepiuſcule Math. *X.* 37. *XVI.* 24. Marc. *IX.* 34. amoris huius ſignum eſſe praeceptorum cuſtodiam. Ioan. *XIV.* 15. Eundem eſſe honorandum *I. ad* Timoth. *I.* 17. Math. *IV.* 10. *ad* Roman. *XII.* 11. Gratias ei agendas eſſe ad Ephesios *V.* 20. atque haec omnia non perfunctorie praeſtanda, ſed *in ſpiritu* Ioan. *IV.* 23. docetur, quod vero ad officia nobis ipſis praeſtanda attinet, non huius, ſed alterius nobis vitae ſtudium commendatur Math. *VI.* 33. Lvc. *IX.* 23. *ad Tit. II.* 12. quid denique de officiis erga alios commemorem? *quaecunque vultis, vt faciant vobis homines, ea et vos facite illis.* Matth. *VII.* 12. Lvc. *VI.* 31. amor omnium aequalis Math. *XXII.* 39. euidentiſſima ſunt argumenta, quum veritatis, tum etiam ſanctitatis doctrinae moralis, quae his in libris continentur. Quod egregie obſeruauit Origenes *Lib. I. contra* Celsvm. *Si poſſibile eſſet omnes,* inquit, *homines relictis vitae curis vacare philoſophiae, nemini aliam viam inſiſtendam praeter ſolam hanc. Inuenietur enim in chriſtianiſmo non minor, (ne quid dicam arrogantius) fide ratio, et enarratio propheticorum aenigmatum — — — quod quia eſt impoſſibile tum propter vitae neceſſitates etc. quid compendio-*

Digitized by Google

dioſius excogitari queat ad ſubueniendum multitudini, quam quod Ieſus gentibus tradidit atque ex hac rationis cum reuelatione concordia fluit illud theologorum celebratiſſimorum principium: *in lege euangelica nullum contineri praeceptum, quod non ſit naturale, exceptis his, quae pertinent ad fidem, et ad ſacramenta.* Vid. S. THOMAM I. 2. *quaeſt.* 108. *art.* I.

§. L.

Libri noui teſtamenti ſunt genuini.

Hanc Chriſti doctrinam, et religionem litteris conſignarunt apoſtoli, et euangeliſtae, quorum libri *noui teſtamenti* titulo inſigniuntur. Et cum genuinus ſit liber ſcriptus ab eo auctore, a quo ſcriptus eſſe dicitur, et inter omnes librum genuinum eſſe conſtet, qui talis habitus eſt ab aetatibus proxime, et continuata ſerie conſequentibus, conſectarium eſt: Libros noui teſtamenti genuinos eſſe, vtpote quos proxime, et continuata ſerie ſibi ſuccedentes aetates ab iis auctoribus ſcriptos eſſe crediderunt, a quibus ſcripti eſſe perhibentur.

Non ego hoc loco lectores meos longis diſputationibus, et taedioſa teſtimoniorum coaceruatione diu morabor: quando quidem id iam diu praeſtitum ſit adcurate, et diligenter olim ab EVSEBIO *in hiſtoriae eccleſiaſticae libris*, et poſtea a multis viris doctiſſimis, inter quos vnum laudare ſuffecerit; DAN. HVETIVM in *demonſtr. euangel. propoſ.* I. *ſeqq. p. m.* 17. vnum addo S. AVGVSTINI *locum ex* LIB. *XXXIII. Cap.* 6. *aduerſus* FAVSTVM adulteratos eſſe noui teſtamenti libros fingentem. PLATONIS, inquit, ARISTOTELIS, CICERONIS, VARRONIS *aliorumque eiusmodi auctorum libros, unde nouerunt homines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet*

met ſuccedentium conteſtatione continua? Multi multa de libris eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem auctoritate canonica, ſed aliquo adiudicandi ſtudio, ſive diſcendi. Vnde conſtat, quis, cuiusque ſit, niſi, quia his temporibus, quibus ea quisque ſcripſit, quibus patuit, inſinuauit, atque edidit, et inde in alios, atque alios notitia continuata, latiusque formata ad poſteros, etiam vſque ad noſtra tempora peruenerunt; ita, vt interrogati, cuius quisque liber ſit? non haeſitamus, quid reſpondere debeamus.

§. LI.

Et omni ſide hiſtorica digni.

Porro omni etiam ſide hiſtorica, quam interim ſolam exigimus, digni ſunt. Quum enim nihil in iis ſit, quod quidem ad hiſtoriam pertinet, quod aut non ſit veroſimile, aut non incredibili conſenſione grauiſſimorum ſcriptorum, omniumque paene gentium firmatum; concedamus, neceſſe eſt, aut ſidem hiſtoricam nullam eſſe prorſus, aut hanc, de qua nobis ſermo eſt, eſſe vnam omnium certiſſimam.

In ſcriptore ſide digno *ſcientiam* requiro, et *veracitatem*; vtrumque mirifice elucet in ſcriptoribus noui teſtamenti. Homines erant coaeui, teſtes maximam partem oculati, rerum, quas litteris mandarunt, intelligendarum non incapaces; ab omni ſuſpicione lucri, damni, adulationis, vanaeque gloriae alieniſſimi: quibusque non modo e chriſtianis ſcriptores grauiſſimi, philoſophi acutiſſimi, Ignativs, Ivstinvs, Polycarpvs, Theophilvs Antiochenvs, Origenes, Tertvllianvs, ſed et hiſtorici extranei iudaei aeque, ac gentiles mira conſenſione adſtipulantur, quorum teſtimonia recenſuerunt, Grotivs, Hvetivs, aliique plures viri doctiſſimi. Sane edita a Christo, et Apo-

STOLIS miracula confeſſi ſunt hebraei operis THALMVDICI conditores. Exſtat eandem in rem inſigne IOSEPHI teſtimonium *lib.* 18. *antiq.* quod fruſtra ſollicitarunt inſolentiores quidam Critici. Eadem miracula religionis chriſtianae hoſtes infenſiſſimi CELSVS, PORPHIRIVS, IVLIANVS agnoverunt.

§. LII.

Adeoque ſunt diuini, diuinamque veram religionem continent.

Ex quibus conſequens eſt, religionem chriſtianam, ſacramque ſcripturam noui teſtamenti plane diuinam eſſe, quod non ſolum ex prophetiis partim in veteri teſtamento, partim ab ipſo Chriſto factis, et euidentiſſime impletis; ſed etiam ex *miraculis*, atque ex *propagatione* religionis omnino mirabili, adiunctis inſuper omnibus verae, et diuinae religionis characteribus (ſup. §. 27. ſeqq.) demonſtratur adeo, vt qui haec *motiua credibilitatis* ſpernit, virum prudentem exuiſſe, et cum ratione inſanire dicendus ſit.

Antiquitas religionis chriſtianae non ita omnibus explorata videbatur eſſe, quemadmodum quidem ceterae ſunt illius praerogativae. Certiſſimum autem eſt, eccleſiam Chriſti non tantum natalem Chriſti anteceſſiſſe, ſed etiam ſub incunabulis ipſius mundi ita floruiſſe, vt tunc temporis veros exſtitiſſe chriſtianae religionis cultores, aſſeri merito poſſit. Praeclare S. AVGVSTIN. *Conc.* 3. *in Pſalm.* 36. *omnes*, inquit, *qui ab initio ſeculi fuerunt iuſti, caput Chriſtum habent. Illum enim venturum eſſe crediderunt, quem nos veniſſe iam credimus, et in eius fide et ipſi ſanati ſunt, in cuius et nos.* Sed diffuſius hac de re egit, eamque exhauſit NAT.

ALE-

Alexand. *Hiſt. eccleſ. nou. Teſt. Sec. I. Diſſ. V.* Inter antiquos, qui ſcriptis egregiis religionis noſtrae diuinitatem propugnarunt, inſignes ſunt labores Ivstini M. Athenagorae, Tertvlliani, Sanct. Clementis, Alexandrini, Min. Felicis, Arnobii, Evsebii, Lactantii, et aliorum. Inter recentiores maxime laudantur, Lvd. Vives, Hvg. Grotivs, Dan. Hvetivs, Abbadie, Francois, Vinc. Lvd. Gotti, Thom. Mamachivs, qui data opera inſtitutum iſthoc executi ſunt. Alias etiam huc maxime faciunt Tovrnellivs *de Incarn. quaeſt. III.* Avg. Gervasivs *de Incarn. diſſ. I. II. III.* etc. Pet. Gazzaniga, *de virt. theol. diſſ. I.* Hovtevillivs, et ipſe defenſor religionis chriſtianae acerrimus libro: *la religion chrétienne prouvée par les faits*, praemiſit *diſſert. hiſt. et crit.* in, qua auctores omnes, qui et contra, et pro chriſtianis ſcripſerunt, recenſet, atque examinat. adde Io. Alb. Fabric. *del. argument. et Syll. Script. de verit. relig. chriſt.*

§. LIII.

Sed omnia eius dogmata in iis non continentur.

Fuere quidem apoſtoli (ſup. §. 50.) doctrinae diuinae depoſitarii, et praecones ſolliciti, vt mandata ſanctiſſima, ex diuino magiſtri ore hauſta, litteris conſcripta eccleſiae relinquerent; ſunt tamen tum ex iis, quae Chriſtus ipſe tradidit, tum quae poſt diuini reparatoris diſceſſum Spiritus ſanctus apoſtolis reuelauit, nonnulla, quae ſacratioribus literis minime conſignata ab apoſtolis, ſed ab iisdem fidei chriſtianae praeconibus primis ſolo ſermone fidelibus commendata, vel emergentibus dubiis, declarata fuerint. Lvc. *XXIV.* 27.

Act.

ACT. APOST. *I.* 3. IOAN. *XVI.* 12. Quare dubitandum non eſt, eſſe myſteria, et dogmata (ſup. §. 49.) diuinis libris vel non ſatis clare, vel omnino non comprehenſa, et ſolo *traditionis* beneficio ad nos vsque propagata.

§. LIV.

Exiſtunt enim traditiones diuinae noui teſtamenti.

Igitur *dogmatum, et inſtitutionum, quae in eccleſia ſeruata ſunt, alia quidem habemus ex doctrina, quae litteris conſignata eſt, alia vero ex apoſtolorum traditione ad nos transmiſſa in myſterio accepimus. Quae vtraque eandem vim ad pietatem habent.* S. BASIL. *ap.* GRATIAN. *Can.* 5. *diſt.* 11. quae catholicae eccleſiae doctrina omnium conciliorum vniuerſalium et SS. patrum ſententia confirmata, nouiſſime a *Synodo Tridentina* contra nouatores ſtabilita eſt in *Seſſ. IV.* vbi definitur: *Doctrinam Chriſti contineri in libris ſcriptis, et ſine ſcripto traditionibus, quae ab ipſius Chriſti ore ab apoſtolis acceptae, aut ab ipſis apoſtolis Spiritu ſancto dictante quaſi per manus traditae ad nos vsque peruenerunt.*

Quare non poſſum non vehementer admirari, atque improbare doctrinam, quam profitetur *auctor anonymus* (vel potius CL. CHRIST. NELLERVS.) *in princip. iur. publ. eccleſ. cap. II.* ſtatuens, hanc omnem de traditionibus diſputationem non niſi quaeſtionibus ſcholaſticis adnumerandam, et *facti* potius, quam *iuris* eſſe. Conſtat enim hanc eſſe vnam ex iis controuerſiis, eamque grauiſſimam, quae proteſtantes, et catholicos magnopere collidit

Digitized by Google

lidit, adeoque digniſſima, vt modis omnibus, et vbique ſtabiliatur. Equidem de *facto* quaeritur, ſed non *ſimplici*, verum *tali, cum quo dogma connexum eſt*, ſicut de exiſtentia ſacrae ſcripturae quaeſtio inſtituitur. Hanc, qui negant, recte anathemate feriuntur, qua ratione ergo auctor cit. nimis vagum eſſe concilii tridentini fulmen in proteſtantes, qui traditionum diuinarum exiſtentiam negant, dicere potuit? Sed rem hanc totam pleniſſime pertractauit Filivs mevs Ioseph. Anton. de Riegger *Conſiliar. Regim. anter. Auſtr. et Profeſſ. Iur. eccleſ. in academia Albertina in diſſertat. An detur traditio ſacra.* ann. 1772. edita, quam *opuſculis* ſuis hoc anno 1773. *Friburgi Brisgouiae* ſimul editis inſeruit.

§. LV.

Quarum neceſſitas ex duplici fonte

Quid ſi traditionum diuinarum tanta ſit neceſſitas, vt absque iis nec genuinum ſacrae ſcripturae ſenſum, nec dogmata quaedam maxime neceſſaria intelligere poſſimus? *Quia enim ſcripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur; vt paene quot homines ſunt, tot illinc ſententiae erui poſſe videantur. — — — — Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris anfractus, vt propheticae et apoſtolicae interpretationis linea ſecundum eccleſiaſtici et catholici ſenſus normam dirigatur,* Vincent. Lirinens. *in Commonit. I. 2. quae ex non ſcripta traditione ſacrarum ſcripturarum teſtimonia confirmat et obſignat.* Evseb. Caesar. *contra Marcell. Ancyr. Cap. I.*

§. LVI.

§. LVI.

Demonſtratur.

Et quamuis omnia fere dogmata aliqua ratione in ſacris litteris contineantur; ſunt tamen nonnulla, quorum expreſſum veſtigium in iisdem fruſtra quaeſiueris. Vnde, niſi ex traditione eccleſiarum, potuit ſacrorum librorum canon efformari? EVSEB. *Hiſt. eccleſ. VI.* 25. Vnde perpetua Deiparae virginitas contra Heluidium, vnde baptiſmi ab haereticis collati valor contra Afros rebaptizantes, vnde ſublato ſabbatho diei dominicae feſtiuitas contra iudaizantes, vnde paedobaptiſmus contra anabaptiſtas, vnde polygamiae vetitum, et id genus alia, quorum nullum praeter traditionem eſt fundamentum, arceſſiri poterunt?

Igitur mirum non eſt, quod traditionum exiſtentiam toties inculcauerit diuinus PAVLVS *epiſt. I. Cap. XI.* 2. *ad* COR. *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis, et ſicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis:* quod vt S. BASILIVS *de Spirit. S. c.* 29. *S.* EPIPHAN. *haer.* 61. *S.* IOANNES CHRYSOSTOMVS *hom.* 26. *in ep. I. ad* CORINTH. aliique interpretantur, de traditionibus apoſtolicis intelligendum. Idem *II. Theſſal. C. II. v.* 14. *Itaque fratres ſtate, et tenete traditiones, quas didiciſtis,* SIVE PER SERMONEM, SIVE PER EPISTOLAM NOSTRAM. Quod vlterius confirmatur *ibid. C. III. v.* 6. *denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non ſecundum* TRADITIONEM, *quam acceperunt a nobis.* Item *ad* TIMOTH. *II. C. I. v.* 13. 14. *formam habe ſanorum verborum, quae a me audiſti, in fide, et in dilectione in Chriſto Ieſu bonum depoſitum cuſtodi.* Et *c. II. v.* 1. 2. *Tu ergo*

fili

fili mi confortare in gratia, quae eſt in Chriſto Ieſu, ET QVAE AVDISTI A ME PER MVLTOS TESTES, HAEC COMMENDA FIDELIBVS HOMINIBVS, QVI IDONEI ERVNT ET ALIOS DOCERE. Et ibid. *C. III. v.* 14. *Tu vero permane in iis, quae didiciſti, et credita ſunt tibi.* Conf. Rob. Bellarm. *Controu. T. I. Lib. IV. et L. Ell.* dvpin, Traité *de la doctrine chretienne L. I. C. VI. VIII.* Natal. Alexander *Sec. II. Diſſertat. XVI.* et alii complures.

§. LVII.

Ex his RELIGIO CHRISTIANA *definitur eiusque* ESSENTIALIA *proponuntur.*

Diuina haec doctrina Religionem christianam conſtituit, quae eſt *modus a Chriſto determinatus Deum colendi, et ſalutem ſuam operandi.* Adeoque *omnia* et *ſola* illa *ſubſtantialia religionis chriſtianae capita*, ſeu *dogmata* dici merentur, de quibus conſtat, ea vel in *ſacra ſcriptura*, vel in *traditione diuina* contineri (ſup. §. 33.) *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, praeter id, quod poſitum eſt, quod eſt*, Christvs Iesvs. *I. ad* Cor. *III.* 11. Reliqua omnia, quae ſiue apoſtolorum, ſiue eccleſiae ſubſequentis auctoritate his acceſſerunt, *accidentalium*, ſeu *diſciplinarium* numero adcenſenda ſunt.

§. LVIII.

Digitized by Google

§. LVIII.

Per religionem chriſtianam ſublata eſt moſaica, et quidem in ſpecie leges huius I.) iudiciales.

Religio moſaica, quam interituram breui Chriſtus ſaepe annuntiauerat, *X.* 16. *XVI.* 18., 19. in eius morte pariter mortua eſt. *ad* GALAT. *IV.* 5. 16. HEBR. *VII.* 12. Inde ſequitur *I.) Leges iudiciales* (ſup. §. 41.) a legislatore ſapientiſſimo peculiari ſuo regno attemperatas deſiiſſe obligare, poſtquam populus ille per excidium vrbis, et deſolationem, praeciſa omni ſpe reſtitutionis populus eſſe deſiit; poſſe tamen ex illis libere ſumi, quae noſtris rebus publicis conueniunt, cum nulla obſtet ratio, quae id prohibeat.

Sic recepta ſunt aliqua iudicialia in decretalibus *Lib. V. Titul. XII. XVI. XVIII. XXXVI.* verbotenus ex capitibus *Libri Exodi* exſcripta. Id etiam hoc loco adnotandum eſt, de tempore, quo lex vetus abrogata fuerit, theologos diſſentire. Alii, quos hic ſequimur, in morte Chriſti, alii integro triennio ante mortem, alii denique die pentecoſtes id contigiſſe volunt.

§. LIX.

2.) Caerimoniales mere religioſae.

Patet 2.) *Leges caerimoniales mere religioſas* pariter ex *ſe* nullam nos obligandi vim habere; at ſi quae eccleſiae Chriſti per

aeque

aeque conuenientes ad noſtros mores applicatae ſunt, eas ex receptione nos obſtringere.

Cuiusmodi ſunt oblationes decimarum EXOD. *XXII.* 29. Aqua luſtrationis NVMER. *VIII.* 7. dedicatio templorum, et altarium ibid. *VII.* quae eccleſia recepit. Reiecit ex aduerſo purificationem poſt partum ſecundum legem moſaicam. *Decretal. lib. III. Tit. XLVII.* immutauit ſabbatum iudaicum, quod inter cerimonialia primum locum obtinebat. Illud enim Deus, praeter circumciſionem, praecipuum foederis inter ſe, et Iſraelitas ſtabiliti ſignum eſſe voluit, et pro illius retentione maximo ſemper zelo ſtetit. NVMER. *XV.* 32. 36. IEREM. *XVII.* 24. vid. IO. SPENCERVS *eccleſiae Elienſis anglicanae diaconus de legibus hebraeorum ritualibus lib. I. C. IV. ſect. VII. XIII. pag.* 89. 143. CALMET. ad GENES. *II.* 3. Hoc ita eccleſiae Chriſti ab apoſtolis adoptatum eſt, vt illud in ſequentem, ſeu primum hebdomadae diem transferrent, ea ratione, quod Chriſtus eo die a mortuis reſurrexerit. MATTH. *XXVIII.* 1. MARC. *XVI.* 1. vnde dies illa DOMINICA adpellatur, APOCAL. *I.* 10. *Conf.* ACT. *XX.* 7. *I.* COR. *XVI.* 2. quam dein CONSTANTINVS M. A. Chr. 321. peculiari ſanctione confirmauit relata in *L. omnes iudices* 4. *C. de feriis*, cuius meminit EVSEBIVS *de vita Conſtant. lib. IV. C.* 18.

§. LX.

Et 3.) ſimul typicae.

Conſequitur 3.) *Leges cerimoniales ſimul typicas*, quarum tota ſubſtantia ad tempus Chriſti exſpectati, et euangelii pertinet, nequidem poſſe amplius reduci; cum enim illae vel Chriſti myſteria, vel populi chriſtiani ſanctitatem, aut gloriam futuram eminus oſtenderent, nos autem iam ſcopum, et comple-

Digitized by Google

mentum legis, et prophetarum, Chriſtum teneamus, quid adhuc opus inanibus vmbris *ad* COLOSS. *II.* 16. 17.

Exemplum ſit circumciſio, quae typus erat baptiſmi. Quomodo enim typus, et veritas, circumciſio, et baptiſmus, ſimul ſtabunt? Conſule omnium orationem pulcherrimam, S. AMPHILOCHII *in Domini circumciſionem* conf. CALMET. *de circumciſionis effectibus* inter diſſert. eius latinas *Tom. II. pag.* 187. 193. Licuit quidem aliquo ſaltem poſt mortem Chriſti tempore ceremonialia obſeruare ACT. APOST. *XV. XVI. XXI.* adeoque non ſtatim *mortifera* euaſerant, donec euangelium ſufficienter promulgatum fuiſſet, *vt mortua ſynagoga cum honore ſepeliretur* S. THOMAS I. 2. 9. 103. *art.* 4. quam rem ita explicat S. AVGVSTIN. *epiſt.* 19. *num.* 82. *ſicut defuncta corpora neceſſariorum officiis deducenda erat (lex vetus) quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulate ad religionem, non autem deſerenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus tanquam canum morſibus proiicienda.* Quare apoſtoli ſincere omnino, et ex animo, non ficte ac ſimulate tantum legalia obſeruaſſe dicendi ſunt. LAVR. BERTI *de legib. c.* 10. Contra autem S. Petrus cum *gentilibus* etiam *iudaizans* a S. Paulo vero quoque et ſincero animo reprehenſus eſt, APOST. *ad* GAL. *II.* 12. 13. *conf.* NAT. ALEXAND. *T. III. ad ſec. I. diſſ. XI.* Quo autem praeciſe tempore lex vetus mortifera euaſerit, inter catholicos non conſtat. *Vid.* TOVRNEL. *loc. cit. ſect.* 10. plerumque tamen anno poſt CH. N. *circiter* 40. id contigiſſe arbitrantur.

§. LXI.

Aſt hodie adhuc obligant 4.) leges credendorum et 5.) morales.

Denique deducitur 4.) veritates hebraeis reuelatas, ſeu *leges*, quae in *credendis* verſan-

ſantur, hodiedum ad chriſtianos pertinere, licet fatendum ſit, praecipuum eorum fidei dogma,, quo Meſſiam naſciturum crediderant in totius generis humani ſalutem in Chriſto adimpletum fuiſſe. Leges quoque 5.) *morales* in veteri teſtamento a Moyſe propoſitas, non quidem vi ſua, ſed propter eſſentiam ipſam humanam, ex qua conſequuntur, vim ſuam obligandi retinuiſſe, quas ideo Chriſtus confirmauit, et a corruptelis phariſaicis vindicauit. Math. V. (ſup. §. 49.)

Tovrnelii *theolog. moral. tom. II. de leg. cap. IV. art. 2. ſect. 6.* Gervasio *de leg. Lib. I. cap.* 10.

§. LXII.

A Chriſto et religione chriſtiana chriſtiani adpellantur.

A Chriſto *religio chriſtiana*, et ab illo honorificum *chriſtianorum* nomen deſcendit, quo iudaei, et gentiles eam profeſſi imperium tenente Clavdio inſigniri coeperunt.

Diſcipulos Christi Antiochiae primum *chriſtianos* fuiſſe adpellatos, vt a iudaeis diſtinguerentur, tradit S. Lvcas *in* Act. apost. *XI.* 26. Hoc nominis genus anno 42. vel 43. vſurpari coepiſſe teſtantur Epiphanivs *haereſ. XXXIX. n.* 1. *et* 4. Svidas *voc.* Christvs *ſub* Clavdio Imperatore Romano, inquit, *cum* Petrvs *apoſtolus elegiſſet* Evodivm *apud Antiochiam, tum transnominati ſunt, qui ante nazaraei, et gallilaei adpellabantur, et chriſtiani dicti ſunt.* Vid. celeberr. Thomas Maria Mamachivs *ord. S. Dominici in orig. et antiquit. chriſt. L. I. c. I. §.* 3. quo loco §. 2. addit,

quod ipſi Chriſtiani *diſcipulos*, *fideles*, *credentes*, *electos*, *ſanctos*, *fratres*, et *conſeruos* ſeſe vocare conſueuerint. De contumelioſis adpellationibus, quibus ethnici, iudaei, et haeretici orthodoxos chriſtianos nuncupare ſoliti ſunt, idem auctor copioſe, et erudite agit *ibid. c. II.*

CAPVT VI.

DE ECCLESIA CHRISTIANA.

§. LXIII.

Eccleſia chriſtiana.

Ecclesia, ſi verbum verbo reddas, innuit *euocationem*, ſeu *concionem*. Eius varia eſt ſignificandi poteſtas, neque vna in ſcriptoribus adpellatio, qua eccleſiae chriſtianae maieſtas denotatur.

Triplici potiſſimum modo accipi ſolet eccleſia, vel pro *ipſa fidelium ſocietate*, vel pro *loco*, ſeu *templo*, vel etiam pro *paſtoribus*, et *praeſulibus*. Conf. Tovrnel. *Tom. V. P. I. de eccles. q. I. art.* 1. Dom. Macri *hierolex. h. v.* varia dein ſunt nomina, quibus per metaphoram eccleſia in ſcripturis deſignatur. Ita dicitur *domus Dei* Apost. *I. ad* Tim. *III.* 15. *Ciuitas ſupra montem poſita* Matth. V. 14. *Regnum Dei, ſiue coelorum* Matth. *XIII.* 31. *Templum Dei* Apost. *I. ad* Cor. *III.* 16. *Corpus Chriſti* Apost. *ad* Coloss. *I.* 25.

§. LXIV.

Militans.

Eccleſiae autem chriſtianae duae ſunt partes, quarum altera *triumphans*, altera *militans*

tans vocatur. Triumphans eſt coetus ille clariſſimus, et feliciſſimus beatorum ſpirituum, et eorum, qui de mundo, de carne, de iniquiſſimo daemone triumpharunt, et ab huius vitae moleſtiis liberi ac tuti aeterna beatitudine fruuntur. Militans vero eccleſia eſt coetus omnium fidelium, qui adhuc in terris viuunt: quae ideo militans vocatur, quod illi cum immaniſſimis hoſtibus, mundo, carne, ſathana perpetuum ſit bellum. Neque idcirco tamen duas eſſe eccleſias cenſendum eſt, ſed eiusdem eccleſiae, vt antea diximus, partes duae ſunt, quarum vna anteceſſit, et coeleſti patria iam potitur: altera indies ſequitur, donec aliquando cum ſaluatore noſtro coniuncta, in ſempiterna felicitate conquieſcat.

Catechism. Rom. *concil. trident. p. I. art.* 9.

§. LXV.

Definitur.

Haec Ecclesia Christiana *militans*, et *viſibilis* recte definitur, quod ſit *ſocietas hominum veram religionem chriſtianam ſub hierarchia vnaniter profitentium.* In quam eccleſiae *definitionem* pleraeque auctorum *catholicorum deſcriptiones* reipſa conſentiunt.

Aliquas, easque praecipuas quidem in medium proferemus. Ita Pet. Canisivs in paruo catechiſmo potiſſimum eccleſiam dicit eſſe *congregationem omnium Chriſti fidem, et doctrinam profitentium, quae ſub vno, et ſummo poſt Chriſtum capite et paſtore, romano pontifice in terris gubernatur.* Bellarminvs *Tom. I. controuers. IV. lib. III. cap.* 2. ita definit,

nit, quod ſit *caetus hominum eiusdem chriſtianae fidei profeſſione, eorumdemque ſacramentorum communione colligatus, ſub regimine legitimorum paſtorum, ac praecipue vnius Chriſti in terris vicarii romani pontificis*, vtramque hanc definitionem eruditiſſime, et congeſtis undique SS. patrum, et aliorum ſcriptorum teſtimoniis tanquam nouam, et inauditam impugnat Io. LAVNOIVS *Lib. VIII. ep.* 13. *ad Nic. Gattinueum.* Et licet TOVRNELIVS *loc. cit. art.* 2. illius argumenta magno pariter eruditionis adparatu confutare conatus fuerit: non tamen omnino feciſſe ſatis videtur. Caeterum, quum LAVNOIVS nullam paſtorum, pontificis romani, et regiminis ſacri in definitione eccleſiae mentionem fieri vult, non ideo negat, in eccleſia ex diuina inſtitutione regimen ſacrum reperiri. Conf. I. A. RIEGGER proleg. ad ius eccl. Non eadem tamen ratione nobis cum proteſtantibus conuenit. Ita IVST. Hen. BOEHMERVS in inſtit. iur. *can. lib. I.* §. 4. *eccleſiam* ait, *eſſe ſocietatem hominum inter ſe per eandem fidei confeſſionem vnitorum ad religionis chriſtianae ſcopum obtinendum.* Quae tamen eccleſiae explicatio facilius multo, atque aliorum ſuſtineri poſſet. Quo pertinet ENGAVII in *elem. iur. can. c.* 3. *memb.* 1. *§.* 13. definitio, dum, vt ait, eccleſiam ex mente pontificiorum contendit eſſe *rempublicam, in qua pontifex chriſtianis imperat in rebus fidem et ſalutem aeternam concernentibus.*

§. LXVI.

Ea ab ipſo Deo, vt noua ſocietas eſt inſtituta.

Societas haec non *pacto* et *conuentione* coaluit, quemadmodum id fere euenire ſolet in aliis humanis ſocietatibus; ſed *ab ipſo Deo* praeſente, et conſpicuo *immediate* fuit inſtituta tanquam coetus *nouus*, et a ſynagoga omnino *diuerſus*, cum vtique diuerſitas in religione

Digitized by Google

ligionis ſubſtantialibus diuerſas eccleſias, adeoque diuerſos coetus ſacros conſtituat.

Inde adparet inſignis ciuitates inter, et eccleſiam differentia. Illae vrgente quidem lege diuina naturali, ſed tamen mediante pacto vnionis ciuilis ita conſtitutae ſunt, vt formam regiminis vel hanc, vel aliam introduci, aut introductam ſemel plane immutari nihil repugnet. Aſt eccleſiae ſuae ſtatum diuina ſapientia ita ordinauit, vt ſalua religione mutari amplius haud poſſit.

§. LXVII.

Quam eſſe voluit 1.) *vniuerſalem.*

Voluit autem diuinus fundator non ab hac, aliaue gente, ſed omnibus coli, ſuaeque gratiae omnes fieri participes, atque adeo *ſocietatem* hanc *vniuerſalem* ſeu *catholicam* eſſe voluit. Matth. *XXVIII.* 19. Marc. *XVI.* 15. Hic enim non eſt *gentilis et iudaeus, circumciſio, et praeputium, barbarus, et Scyta, ſeruus, et liber; ſed omnia, et in omnibus Chriſtus ad* Coloss. *III.* 11.

Quare autem eccleſiae *catholicae* adpellationem, et *catholicorum* titulum nobis adeo vindicamus, id praeclare illuſtrat Ios. Bingham. *orig. eccles. lib. I. cap. I. §. 7. Moleſtia, quam eis faceſſebant haeretici, cauſa erat, quam ob rem ſuperioribus aliud adhuc nomen adderent, nimirum* Catholici, *quod ipſis cognominis inſtar, ſeu notae characteriſticae erat, qua ab omnibus haereticis internoſcebantur, ac diſtinguebantur, qui, quamuis ſectae ſuae nomen gererent, communi tamen chriſtianorum nomine ſeſe interdum occultabant. Hoc intelligimus ex epiſtola Paciani ad Sempronium haereticum nouatianum, qui rogatus cauſam, cur chriſtiani ipſi ſe nominarent catholicos,*

eos, reſpondit, fieri hoc ideo, vt ab haereticis, nomen Chriſtianorum itidem vſurpantibus, ſeſe diſtinguerent; Chriſtianus mihi nomen eſt, inquiebat, Catholicus cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit. Haeretici religionem plerumque huic aut illi religioni, vel peculiari hominum ſectae alligabant, adeoque catholicos ſe nominare nullo iure poterant, eccleſia autem Chriſti dum adpellabatur catholica, huius adpellationis cauſam ſatis idoneam habebat, quod obſeruante OPTATO *lib. II. p.* 46.) *vniuerſalis erat, et per totum terrarum orbem diffuſa. Et hoc ſenſu nomen hoc eiusdem, cuius ipſa eccleſia, antiquitatis, eſt. Occurrit enim in paſſione Polycarpi, apud Euſebium lib. IV. c. XV. Clementem Alexandrinum, ſtrom. lib. VII. p.* 765. *et Ignatium ep. ad ſmyrn. n. VIII. Et tanto in pretio ipſis hoc nomen erat, vt neminem chriſtianum reputarent, niſi de eccleſia catholica ſe eſſe profiteretur. Quemadmodum ex actis Martyrii Peonii apud Baron. an. CCLIV. n. IX. videre eſt, qui a Polemone iudice rogatus, cuius eſſet eccleſiae, reſpondit: catholicae; nulla enim eſt alia apud Chriſtum.*

§. LXVIII.

2.) *Vnam.*

Sed ita vniuerſalem voluit, vt etiam *vna* foret ad ROMAN. *XII.* 4. *I. ad* CORINTH. *XII.* 12. ſcilicet *vnum corpus et vnus ſpiritus, ſicut vocati ſumus vna ſpe vocationis noſtrae, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus, et pater omnium ad* EPHES. *IV.* 4. 5. 6. vnitas autem iſthaec ad *ſubſtantialia* religionis noſtrae (ſup. §. 55.) pertinet, cum ex definitione *accidentalium* adpareat, ea in variis eccleſiis varia eſſe poſſe.

Non eſt hic quaeſtio de vnitate materiali, ſeu loci. Certum quippe eſt, plurimas eſſe per orbem ſparſas

ſas particulares eccleſias, quae vno vinculo inter ſe coniunctae ac colligatae, vnam componunt, et vniuerſalem eccleſiam S. CYPRIAN. *de vnit. eccleſ.* TERTVL. *de praeſcript. C.* 20.

§. LXIX.

3.) *Perpetuam.*

Denique non temporis quodam interuallo eccleſiae ſuae aetatem circumſcripſit, ſed ad conſummationem ſaeculorum usque duraturam enuntiauit. MATTH. *XXVIII.* 20. IOAN. *XIV.* 16.

Caeterum auctores catholici varias adhuc recenſent notas et characteres verae eccleſiae chriſtianae, de quibus vid. TOVRNEL. *curſ. theolog. tom. II. quaeſt. II. art. I.* nos eas tantum hic ſeligimus, quae ſcopo noſtro magis inſeruire videntur.

§. LXX.

Per baptiſmum in eam intratur.

Populo congregando ex omnibus gentibus competebat profeſſionis nota, quae perſpicuam apud omnes haberet ſignificationem, quam Chriſtus Dominus voluit eſſe *baptiſmum*, vt qui ei nomen dare vellent, ſalubri hac aqua abluti a peccati originalis labe purgarentur, et ita renati immaculatae huic ciuitati adſcribi mererentur. MATTH. *XXVIII.* 19. MARC. *XVI.* 15. IOAN. *III.* 5. ACT. APOST. *II.* 4. *X.* 46.

§. LXXI.

Eius finis eſt ſalus aeterna fidelium.

Inſtituta autem haec ſocietas eſt cultus diuini, et ſalutis aeternae cauſa, quem ſupremum huius ſocietatis finem eſſe, ſupremamque legem; nos ipſe ſanctiſſimus fundator perſpicuis verbis edocuit: ita enim ap. IOAN. *VI.* 38. 40. ait: *Quia deſcendi de coelo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me, vt omnis, qui vidit filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Cuius finis adcurata conſideratio poteſtatis ſacrae amplitudinem, rectumque vſum docebit. Ad hunc comparata eſſe debet omnis lex ſacra, omnis conſuetudo, omnis denique cerimoniarum vſus. Atque ex hoc etiam fonte manat vtriusque poteſtatis ſacrae, et profanae diſcrimen, et alterius ab altera ſine ratione vocata in dubium independentia.

CAPVT VII.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

§. LXXII.

Poteſtas eccleſiaſtica definitur.

Nulla poteſt cogitari ſocietas ſine negotiis ſocialibus, queis tanquam mediis vtatur,

vt

vt finem ſuum obtineat. Igitur etiam eccleſiae neceſſario competit *Ius determinandi et adhibendi ea, quae ad finem obtinendum, et promouendum idonea eſſe perſpexerit.* Iſtud Ius POTESTAS ECCLESIASTICA ab omnibus adpellatur. Ergo euidens eſt, poteſtatem eccleſiaſticam ex natura, et eſſentia eccleſiae promanare, et ab ea ſeparari haud poſſe.

§. LXXIII.

Eam toti eccleſiae conceſſit Chriſtus, quod probatur 1.) ex ſacra Scriptura.

Atque hoc eccleſiae ſuae ius diuinus fundator egregie confirmauit, magisque determinauit, dum omnibus fidelibus eccleſiam audire iuſſit MATTH. *XVIII.* 15. *ſeq.* Cui porro poteſtatem clauium, ligandi, et ſoluendi, MATTH. *XVIII.* 18. *XVI.* 19. paſcendi, IOAN. *XXI.* 15. *ſeq.* *I.* PETR. *V.* 2. gregemque fidelem regendi ACT. APOST. *XX.* 28 pleniſſime conceſſit. Conſtat enim claues eſſe ſymbola poteſtatis ISAIAE *XXII.* 22. APOCAL. *III.* 7. et ſub vocabulo, *paſcere*, poteſtatem, et officia regiminis deſignari. EZECH. *XXIV.* 2.

§. LXXIV.

2.) Ex SS. Patribus.

In quam ſententiam adducta ſacrae ſcripturae loca SS. patres vnanimiter interpretantur. *Memento*, inquit TERTVLL. *Scorp. Cap.* 10. *Claues hic dominum Petro, et per eum*

eum eccleſiae reliquiſſe. S. AVGVSTIN. *de Agon. Cap.* 30. *Huic enim eccleſiae*, ait, *claues regni coelorum datae ſunt, quum Petro datae ſunt, et quum ei dicitur, ad omnes dicitur, paſce oues.* Idem AP. GRATIAN. *Can.* 6. *XXIV. q.* I. *Petrus, quando claues accepit, eccleſiam ſanctam ſignificauit, cuius eccleſiae Petrus apoſtolus propter apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam. — — Eccleſia ergo, quae fundatur in Chriſto, claues ab eo regni coelorum accepit in Petro, id eſt, poteſtatem ligandi, ſoluendique peccata. Idem Tractat.* 50. *et* 124. *in* IOAN. Denique et in *Sermon.* 118 *de Diuerſ. Cap.* 2. Sibi conſentanee ita ſententiam ſuam repetit: *Dominus Ieſus diſcipulos ſuos ante paſſionem ſuam elegit, quos apoſtolos nominauit. Inter hos* PENE *vbique ſolus Petrus totius eccleſiae meruit geſtare perſonam; propter ipſam perſonam, quam totius eccleſiae ſolus geſtabat, audire meruit:* TIBI DABO CLAVES REGNI COELORVM: *has enim claues non* HOMO VNVS, *ſed* VNITAS *accepit* ECCLESIAE. . . *Nam, vt noueritis, Eccleſiam accepiſſe claves regni coelorum, audite in alio loco, quod Dominus dicat* OMNIBVS APOSTOLIS SVIS: ACCIPITE SPIRITVM SANCTVM, *et continuo:* SI DIMISERITIS PECCATA, DIMITTENTVR EIS, SI TENVERITIS, TENEBVNTVR. HOC AD CLAVES PERTINET.

Poſſem adhuc innumeros SS. patrum textus recenſere, quorum omnes eo decurrunt, vt oſtendant, Chriſtum poteſtatem clauium, ligandi et ſoluendi, paſcendi, regendi et omnia in eccleſia determinandi,

quae

quae ad religionis, et fidelium ſalutem pertinent, non vni, vel alteri, ſed toti eccleſiae ſuae reliquiſſe. vid. Natal. Alexand. *hiſt. eccleſ. Tom. VIII. ſec. XIV. diſſ. VIII.*

§. LXXV.

Haec poteſtas ſe extendit 1.) ad ſubſtantialia religionis.

Haec poteſtas eccleſiaſtica, cum ſe ad omnia ea extendat (ſup. §. 72.) quae ad finem eccleſiae (ſup. §. 71.) hoc eſt, religionis integritatem conſeruandam, et ita ſalutem aeternam conſequendam neceſſaria ſunt: nihil autem magis neceſſarium ſit, quam ſacras ſcripturas, diuinasque traditiones noſſe, recteque intelligere (ſup. §. 57.) genuinum quoque, et incorruptum legum naturalium ſenſum tenere (ſup. §. 9. et §. 49.) conſequitur, ius eccleſiae eſſe 1.) determinandi librorum diuinorum numerum, et ſi quod dubium oriatur, verum illorum ſenſum authentice interpretandi. 2.) Conteſtandi traditiones diuinas et dogmata cum iis connexa declarandi. 3.) Cuſtodiendi inuiolatam iuris naturalis doctrinam, atque eandem contra peruerſa ingenia defendendi.

§. LXXVI.

In quibus declarandis eccleſia eſt infallibilis.

Quia vero Deus eccleſiam ſuam viſibilem (ſup. §. 64.) vniuerſalem, et tamen unam perpetuamque voluit (ſup. §. 67. ſeq.) atque eum

Digitized by Google

eum latere non potuit, orituras eſſe de tribus his eſſentialibus religionis capitibus (ſup. §. 75.) quaeſtiones, ac ſententias diuerſas, ſibique contrarias, vtique diuinae ſapientiae conueniens fuit, *infallibilitatis* non ſolum *paſſiuae*, ſed etiam *actiuae* praerogativa eccleſiam ſuam fulcire toties, quoties aut de ſacra ſcriptura interpretanda, aut de traditione diuina conteſtanda, aut de legibus naturalibus vindicandis ageretur. Ponas hoc inerrantiae dono eccleſiam carere, et iam viam aperuiſti, qua ad *Tolerantiſmum* ſeu indifferentiſmum laxiſſimum decurritur. vid. *Reuerend P.* PETR. GAZZANIGA *de virt. theolog. Diſſert. II. Cap. V.* Itaque nec eccleſia, nec conciliorum auctoritas dogmata, *condit.* Sed *declarat* obſcura, ambigua confirmat, corrupta integritati reſtituit.

Non poteſt ab omni retro antiquitate doceri quidquam aliud ab eccleſia, ſeu in conciliis, ſeu extra illa cogitatum, actumque fuiſſe. Aut ignorantia igitur, aut malitia peccant proteſtantes, quum ignaros perſuadere volunt, a nobis doceri. *Credenda praeſcribere pontificem.* KAHLE *elem. iur. can. diſſert. praelim. ſect. II. §. 7. Noua ſacramenta condere, nouos fidei articulos conficere.* ENGAV. *elem. iur. can. Lib. I. Tit. III. §. 26.* Sed et noſtris ſcriptoribus auctor ſum, vt ne impropria hac, et ambigua ſcribendi ratione occaſionem praebeant inimicis eam doctrinam impingendi eccleſiae, a qua maxime abhorret.

§. LXXVII.

Quod probatur a.) *ex ſacra ſcriptura.*

Neque ſolum ratio, ſed et expreſſa ſacrae ſcripturae loca infallibilem hanc eccleſiae auctori-

toritatem euincunt. *Euntes ergo*, inquit Christus ap. Matth. *XXVIIII.* 19. 20. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, et filii, et ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quaecunque mandauero vobis, et ecce* EGO VOBISCVM SVM OMNIBVS DIEBVS VSQVE AD CONSVMMATIONEM SECVLI. Porro apoſtolos ſuos his verbis conſolatur. *ap.* Ioan. *XIV.* 25. 26. *Haec ego locutus ſum vobis apud vos manens. Paraclitus autem ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et ſuggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis.* Et ne ſolis apoſtolis hoc dictum putes, in eodem loco 16 17. ait. *Et ego rogabo patrem, et alium paraclitum dabit vobis*, VT MANEAT VOBISCVM IN AETERNVM, SPIRITVM VERITATIS. Qua vero ratione apoſtolus eccleſiam Dei viui *columnam*, et *firmamentum veritatis* APOST. *I. ad* Tim. *III.* 15. adpellare potuiſſet, ſi continuis errorum periculis obnoxia eſſet.

Vid. *Reuerend. Pat.* Petr. Gazzaniga *loc. cit. diſſert. II. cap. VIII.*

§. LXXVIIII.

b.) *Ex SS. Patribus*

Non oportet ergo adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile eſt ab eccleſia ſumere, cum apoſtoli quaſi in depoſitorium diues pleniſſime contulerint omnia, quae ſunt veritatis. S. Irenaevs *Lib. III. aduerſ. haereſ. Cap.* 4. atque, vt inquit S. Avgvstinvs *contra Creſcon. I.* 23. *Quamuis inquit, huius rei certe de ſcripturis canonicis non proferatur exemplum,*

Digitized by Google

plum, earumdem tamen ſcripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuerſae placuit eccleſiae, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas; vt quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, quisquis falli metuit huius obſcuritate quaeſtionis, eandem eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſcriptura ipſa demonſtrat. Et vt reliqua SS. patrum teſtimonia taceamus, ſufficit nobis cum eodem S. AVGVSTINO *contr. epiſt. fundam. cap.* 5. dixiſſe: *Ego evangelio non crederem, niſi me eccleſiae catholicae commoueret auctoritas.*

§. LXXIX.

Adeoque friuola eſt proteſtantium obiectio

Confectum iam eſt, poteſtatem eccleſiaſticam ad eſſentialia quoque religionis ſe extendere, idque omni repugnantia carere. Quod enim aiunt proteſtantes, imperium humanum in conſcientias, in actus intellectus, et voluntatis admitti non poſſe, et liberum cuiuis iudicium adeo relinquendum eſſe, vt in credendis, et agendis non alterius arbitrium et praeſcriptum attendere debeat, ſed vt rationum momenta ſequi liceat, id catholicam noſtram doctrinam ne tangit quidem, tantum abeſt, vt eius veritatem vel in minimo labefactare poſſet.

Vid. GEORG. LVD. BOEHMER *princip. Iur. can. part. gen. Tit. I. §. 3. 7.*

§. LXXX.

§. LXXX.

Idem.

Neque enim de poteſtate vi phyſica aliquem cogendi, neque de eccleſia naturali tantum nobis vnquam ſermo fuit. Iſtud adſerimus, in intimas quoque actiones noſtras Deo imperium eſſe, eumque ſua ope ita adſiſtere hominibus poſſe, vt in interpretandis, et conteſtandis legibus diuinis tum naturalibus, tum reuelatis immunes eos ab erroris periculo praeſtet. Quod ſi hanc adſiſtentiam diuina bonitas eccleſiae ſuae promiſit, atque conceſſit, tum enimuero eiusmodi iudicio, etſi ab hominibus, Dei tamen nomine et auctoritate prolato, refragari impium eſt, et ab omni religione alienum.

Vid. *Reuerend* P. Ant. Schmidt. *inſtit. iuris eccleſ. p. II. cap. I. §. 2.*

§. LXXXI.

Extendit ſe 2) *ad accidentalia determinanda.*

Veneremur igitur eccleſiam noſtram tanquam religionis, et fidei, et omnium fidelium matrem et magiſtram perpetuam, *L.* 16. 24. *cod. de SS. eccleſ.* verbi diuini interpretem, et teſtem omni exceptione maiorem. Sed et aliam adhuc eius poteſtatem agnoſcamus, quae in iis determinandis nouiterque conſtituendis verſatur, quae ab ipſo Deo nondum determinata ſunt (ſup. §. 49.) Multa enim ſunt, quae pro temporum, locorum, perſonarum, circumſtantiarum denique omnium varietate, mo-

do fieri, modo omitti expedit, vt in ſancta *Dei civitate ad* COLOSS. *I.* 25. *omnia ordine et decenter peragantur I. ad Cor. XIV.* 40. Atque in his *diſciplina eccleſiaſtica* continetur, quam ordinandi, et iterum immutandi eccleſiae ius eſt, et poteſtas.

§. LXXXII.

Poteſtatem hanc Chriſtus exerceri voluit ab apoſtolis.

Cuius poteſtatis exercitium Chriſtus, cum inter mortales agere deſierat (ſup. §. 48.) apoſtolis, et electis ſibi diſcipulis demandauit, quorum iam proprium erat, et diuina lege iniunctum officium, vt poſt acceptum ſpiritum ſanctum eccleſiam Dei regerent, diſponerent, fidei capita ſibi ab eo tradita proponerent, atque gregis fidelium ſaluti, qua poſſent ratione, attenderent.

Quum enim congregati eſſent apoſtoli propter metum Iudaeorum, venit CHRISTVS ad eos, et dixit iterum: *Pax vobis: ſicut miſit me Pater, ita ego mitto vos.* IOAN. *cap. XX.* 21. id eſt, *paſtores, et doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in aedificationem* CORPORIS CHRISTI *ad* EPHES. *cap. IV.* 11. 12. eumque in finem dedit eis poteſtatem *infirmos ſanandi, mortuos ſuſcitandi, daemonesque eiiciendi* MATH. *X.* 8. *poteſtatem ligandi, et ſoluendi. Ibid. cap. XVIII.* 18. *inſufflauitque* SPIRITVM SANCTVM. IOANN. *XX.* 22. *qui cum illis maneret in aeternum, ap. eundem. cap. XIV.* 16. *et doceret eos omnem veritatem. ibid. XVI.* 13. *Tum vero ita inſtructis regendam commiſit eccleſiam. Et nunc ecce ego ſcio*, inquit Apoſtolus ACT. AP. *cap. XX.* 25. *ſeqq. Quia amplius non videbitis faciem vos omnes, per quos tranſiui praedicans regnum Dei. Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium,*

Non enim ſubterfugi, quo minus adnunciarem omne conſilium Dei vobis. Attendite vobis, et vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei. Quod et praeſtitum eſſe ab eis *iudicando controuerſias* Act. ap. *XV*. 28. *diſponendo* I. Corinth. *cap. XI.* 34. *praecipiendo* I. Thessal. *cap. IV.* 2. *dogmata*, quae cuſtodiant fideles, *tradendo* Act. Ap. *XVI*. 4. ex locis citatis ambiguum eſſe non poteſt.

§. LXXXIII.

Eamque in ſingulis voluit eſſe aequalem.

Illud autem hoc loco diligenter animaduertendum eſt, Chriſtum eandem, et aequalem, ſaluo tamen Petri primatu (infra §. 90.) omnibus apoſtolis in regenda eccleſia poteſtatem conceſſiſſe; omnibus enim dedit poteſtatem praedicandi euangelium, ligandi, et ſoluendi, paſcendi; omnes miſit, ſicut et ipſe a patre miſſus erat. (ſup. §. 80.) *Ita apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuit poſt reſurrectionem; hoc erant vtique et caeteri apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio praediti honoris et poteſtatis.* S. Cyprianvs *Lib. de vnit. eccleſ.* quod ſi dicas, *ſuper Petrum fundatur eccleſia*, ſcias, quod *hoc ipſum alio in loco ſuper omnes apoſtolos fiat, et cuncti claues regni coelorum accipiant, et ex* ÆQVO *ſuper eos eccleſiae fortitudo ſolidetur.* S. Hieron. *lib. I. aduerſ. Iouinian.*

§. LXXXIV.

Apoſtolorum ſucceſſores ſunt epiſcopi.

Quoniam vero eam fuiſſe diuini fundatoris mentem oſtendimus (ſup. §. 67. ſeq.) vt

quamdiu compages iſta rerum perſiſteret, immota perduraret ecclesia Dei, huic ſaltem voluntati conſentaneum fuit, inſtrui apoſtolos ea poteſtate, vt auctoritate ſibi aequali alios quoque poſt ſe conſtituerent presbyteros, pari, vt eſt ſucceſſionis natura, poteſtate, et continua ad conſummationem vſque ſeculorum regimini eccleſiae praefuturos.

Qua in re nihil vereor, ne quem habeam diſſentientem. Quin autem hac poteſtate vſi ſint apoſtoli, caue, dubites. ECCE! PAVLVS, et BARNABAS ACT. AP. *cap. XIV.* 22. conſtituerunt per ſingulas eccleſias PRESBYTEROS. Idem PAVLVS alio loco TITO ſuo *cap. I. 5. Huius rei cauſa* inquit, *reliqui te Cretae, vt ea, quae deſunt corrigas, et* CONSTITVAS *per ciuitates preſbyteros, ſicut et ego diſpoſui tibi.* Quod et SS. patrum auctoritate manifeſte euinci poteſt. *Ordo epiſcoporum*, inquit, TERTVLLIANVS aduerſus MARCIONEM *L. IV. cap.* 5. *ad originem recenſus in Ioannem ſtabit auctorem.* Quocum exacte conſentit id, quod CLEMENS ALEXANDRINVS *in orat. quis diues ſalu. de Ioanne* memoriae prodidit: quod *quum ex inſula Patmo Epheſum rediiſſet, ad finitimas quoque prouincias ſe contulerit, vt* EPISCOPOS *conſtitueret, et homines ſibi a diuino ſpiritu indicatos, in clerum quemdam, ſeu ſortem Domini ſeponeret.* Qui ipſi videntur fuiſſe *epiſcopi aſiatici*, de quibus ſermo eſt HIERONYMO *catal. ſcript. eccleſ. in* IOANN. *Nouiſſimum omnium ſcripſit euangelium rogatus ab Aſiae epiſcopis.* Quo referendi nobis ſunt etiam IRENAEVS, aliique omnes, qui huic fauentes ſententiae epiſcoporum originem, continuamque eorum ſucceſſionem iam inde ab apoſtolis deducunt. Cui ſane argumento ingens ineſſe pondus iam olim exiſtimauit TERTVLLIANVS *de praeſcript. cap.* 32. *Edant*, inquiens, *haeretici origines eccleſiarum ſuarum. Euoluant ordinem epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille epiſcopus aliquem ex apoſtolis, vel apoſtolicis viris, qui tamen cum apo-*

ſtolis

ſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorem, et anteceſſorem. Hoc enim modo eccleſiae apoſtolicae cenſus ſuos deferunt; ſicut ſmyrnaeorum eccleſia Polycarpum *a* Ioanne *collatum refert: ſicut romanorum* Clementem *a* Petro *ordinatum edit. Perinde vtique, vt caeterae exhibent, quos ab apoſtolis in epiſcopatum conſtitutos, apoſtolici ſeminis traduces habent.*

§. LXXXV.

Ergo aequalis eſt omnium epiſcoporum poteſtas.

Ex quo conſequens eſt, vt epiſcopis iuſtis quidem apoſtolorum in munere paſtorali ſucceſſoribus *parem* ex *diuina* inſtitutione regendi poteſtatem vindicemus.

Succeſſerunt nimirum epiſcopi in auctoritatem apoſtolorum, ita, vt quidquid poteſtatis ad regendam eccleſiam comparate apoſtoli habuerint, in totum ab iis tranſierit in epiſcopos. At enim, quae apoſtolis, non qua epiſcopis ſingularum eccleſiarum, ſed qua apoſtolis ſunt propria, vtpote ad eccleſiae adminiſtrationem non ita neceſſaria epiſcopis attribuenda non ſunt. Ex quo genere ſunt, plenitudo ſcientiae, donum linguarum, et miraculorum, cetera. Van-espen *iur. eccleſ. p. I. tit. XVI. cap. I. §. 7. 8. 9.* Atque ex his porro illud perſpicue conſequitur, vt epiſcopis, quod ad regimen eccleſiae, parem poteſtatem, auctoritatemque vindicemus, atque eam quidem non in his modo, quae *ordinis* ſunt *epiſcopalis*, verum etiam in iis, quae ad poteſtatem referuntur, quae ſcilicet ad rectam eccleſiae adminiſtrationem neceſſaria videntur. *Vbicunque fuerit epiſcopus*, auctor eſt S. Hieronymus *in epiſt. ad Euagrium apud* Gratian. *diſt. XCIII. can. 24. ſiue Romae, ſiue Eugubii, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegii, ſiue Alexandriae, ſiue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem eſt et ſacerdotii potentia diuitiarum, et paupertatis, humilitas*

 vel

vel ſublimiorem, vel inferiorem epiſcopum non facit: ceterum omnes apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Eſt quippe epiſcopatus vnus, cuius a ſingulis pars in ſolidum tenetur S. CYPRIANVS *apud eund.* GRATIAN. *cauſa XXIV. quaeſt. I. can.* 18. *§.* 1.

§. LXXXVI.

Et immediate a Deo.

Quae ſi ita ſint, vt ſunt ſane veriſſima, non eſt difficile admodum iudicare, immediate, et proxime a Deo, non a pontifice romano epiſcopos non ordinis ſolum, ſed et iurisdictionis poteſtatem habere. Definiuit CONCIL. TRIDENT. *Seſſ. XXIII. Cap.* 4. *de Sacram. ord.* epiſcopos in apoſtolorum locum *ſucceſſiſſe*, non de novo, a quocunque demum, *inſtitutos* fuiſſe: ab eodem ergo ſuam poteſtatem habeant, neceſſe eſt, a quo apoſtolicam acceperunt. Et ſi credendum ſit, primatum papae *immediate* inſtitutum a CHRISTO DOMINO, quia dictum eſt PETRO *ap.* MATTH. *XVI.* 19. *Tibi dabo claues regni coelorum*, atque item apud IOAN. *XXI.* 15. *Paſce agnos meos*: Ecquid cauſae eſſe poteſt, cur *immediate* inſtitutam a CHRISTO epiſcopatus jurisdictionem quisquam neget, quum omnibus apoſtolis dictum ſit MATTH. *XVIII.* 18. *et* IOAN. *XX.* 23. *Quaecunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata et in coelo.* Item MARCI *XVI.* 15. *Euntes in mundum vniuerſum, praedicate euangelium omni creaturae. Denique* IOAN. *XX.* 21. *Sicut me miſit Pater, ita et ego mitto vos:* Quibus addas licet illud ACT. AP. *XX.* 28. *Poſuit vos*

Spiri-

Digitized by Google

Spiritus ſanctus epiſcopos regere eccleſiam Dei.

Erat haec quaeſtio magnorum in concilio tridentino motuum cauſa: de quibus videri poteſt Pallav. *hiſt. conc. trid. Lib. XVIII. cap.* 14. 15. In eo epiſcoporum poteſtatem Chriſto immediate tribuerunt praeſules Hiſpaniae, atque Galliae. Itali contra pro aduerſa ſteterunt ſententia. Earum cauſam egit Petrvs Soto *ord. Praedicat.* His verba fecit Did. Lainezivs *Soc. Ieſ. praepoſ. general.* vid. Natal. Alexand. *hiſt. eccleſ. tom. VIII. diſſert. XII.*

§. LXXXVII.

Friuolae multorum obiectiones.

Verum quidem eſt, ſecundum recentiorem eccleſiae diſciplinam, epiſcopum electum et a papa confirmatum ante conſecrationem habere iurisdictionem ſine ordine, epiſcopo autem conſecrato, ſed a papa legitime depoſito poteſtatem ordinis ſine iurisdictione remanere. Qui autem inde concludunt, poteſtatem ordinis epiſcopalis quidem eſſe immediate a Deo, non ita iurisdictionis, ii ignorant, aut ſaltem ignorare volunt, ius confirmandi, conſecrandi, et deponendi epiſcopos poſterioribus primum ſeculis papam adquiſiviſſe, atque olim durante fori interni, et externi vnione inauditum fuiſſe, vt is, qui ordine epiſcopali non eſſet inſignitus, poſſet actus iurisdictionis epiſcopalis explicare (vid. infr. *Lib. V.* decretal. §. 256. ſeq. et 467. ſeq.) Aliud eſt poteſtatem ipſam conferre, aliud actum eſſe legitimum declarare, et poteſtatis

exercitium concedere vel auferre, iſtud hodierna praxis pontifici in epiſcopos permittit, dum eos confirmari ab eo, et deponi permittit.

§. LXXXVIII.

Diluuntur.

Reponunt: Pontifici iure diuino curam propriam et ſingularem incumbere illarum eccleſiarum, quae proprio carent epiſcopo. Pontificem igitur epiſcopo a ſe conſtituto plebem, et populum fidelem, officiumque illum regendi tradere: qua ratione omnem epiſcopalem poteſtatem a Chriſto in pontifice romano inſtitutam prius in eo, quam in ſingulis epiſcopis exiſtere, et ab illo ad omnes derivari adeo, vt epiſcopi eatenus tantum ſucceſſores apoſtolorum dici poſſint, quatenus ſummus pontifex in illos transfert iurisdictionem, quam habuerunt apoſtoli in illa particulari eccleſia, quam ipſi olim rexerant, in epiſcopatibus enim illis, qui poſt apoſtolorum tempora fundati ſunt, primos epiſcopos papae ſucceſſores potius eſſe adpellandos. Inde pontifici ius eſſe, reſtringendi epiſcoporum poteſtatem, eam adimendi, nouos epiſcopatus inſtituendi, et reliq.

Ita noſtra adhuc aetate diſcurrit P. ZECH. *de hierarch. tit. XV.* §. 164. *ſeq.* a quo an diſſentire audeat, fluctuat P. SCHMIDT *in inſtitut. iur. eccleſ. p. II. cap. I. ſect. V.* §. 95. ſed ſcrupulum omnem eis ademit vir doctiſſimus et egregie cordatus *Reuerend. P. Steph.* RAVTTENSTRAVCH *Abbas ordin. S. Benedicti in inſtitut. iur. eccleſ. tom. I. ſect. II. cap. IX.* §. 401. *ſeq.*

LXXXIX.

§. LXXXIX.

Idem.

Quaſi vero confectum iam eſſet, pontificem romanum eſſe vniuerſalem, et eccleſiarum omnium immediatum epiſcopum, reliquos vero epiſcopos non Chriſti, ſed papae vicarios, cum tamen idipſum in quaeſtione ſit. Quid ſi negetur, papam iure diuino eccleſiarum vacantium curam *propriam* habere, ei epiſcopos inſtituendi, confirmandi, conſecrandi, deſtituendi ius competere? qui enim in iure eccleſiaſtico antiquo vel mediocriter verſatus eſt, ignorare non poteſt, ea omnia olim in ſynodis prouincialibus, et per metropolitanos ſine interuentu romani pontificis geſta fuiſſe. Denique eccleſiam vacantem curare, eligere, confirmare, conſecrare epiſcopum, ei populum, et dioeceſim adſignare; et ipſam ſacram poteſtatem conferre adeo diuerſa ſunt, vt, etſi priora romano pontifici attribuas, alterum tamen eidem attribui nequeat, niſi eadem ratione poteſtatem ordinis quoque a papa primum in epiſcopos transfundi, dein neque papalem poteſtatem proxime a Deo eſſe dicere libeat.

§. XC.

Sed ita aequalem eſſe voluit, vt Petrus haberet primatum.

Quamquam autem apoſtolorum in poteſtate regendi eccleſiam, atque ob id etiam epiſcoporum aequalem eſſe auctoritatem dixerimus,

mus, ſapientiae tamen diuinae conſentaneum fuit, vnum aliquem primum conſtitui, qui auctoritate ad bonum eccleſiae conſeruandum, promouendumque ceteris antecelleret. Atque ſacrum hunc principatum inter apoſtolos omnes S. PETRO diuina inſtitutione obtigiſſe, ex plurimis S. ſcripturae locis luculenter adparet.

Quum PETRVS ſingulari Dei reuelatione inſtructus CHRISTI diuinitatem confeſſus eſſet, ita eum SERVATOR adloquitur ap. MATTH. *XVI.* 18. 19. *Et ego dico tibi, quia tu es* PETRVS, *et ſuper hanc petram aedificabo eccleſiam meam. . . Et tibi dabo claues regni coelorum, et quodcunque ſolueris etc.* Quibus verbis excellentiorem quamdam in PETRVM collatam fuiſſe poteſtatem, PATRVM traditio docet. Accedit huic et alter euangelii locus IOAN. XXI. 15. 16. 17. vbi, quum Dominus ſemel, iterum, ac tertio rogaſſet PETRVM, *Simon Ioannes, diligis me plus his?* ipſe autem reſpondiſſet CHRISTO: *Domine! tu ſcis, quia amo te:* Subiungit Dominus: *paſce oues meas.* Vt quid repetita haec de amore interrogatio, repetitumque paſcendi dominici gregis mandatum, ſi nullum peculiare, et a ceteris apoſtolis diſtinctum munus illi collatum fuiſſet? ſunt et alia primatus iſtius in ſacra ſcriptura non obſcura argumenta, veluti, quod, quoties apoſtolos ſimul recenſeri contingit, PETRVS honoratiori ceteris loco, ac plerumque primo ponatur MATTH. *X.* 2. deinde non raro ſeiunctus a ceteris refertur non ſine praerogatiuae ſignificatione, vt, cum MARCI *I.* 36. dicitur: *Simon et qui cum illo erant. Et* ACT. AP. *II.* 14. *ſtans* PETRVS *cum vndecim.* Porro, quum de ſurrogando aliquo in locum perfidi Iudae ageretur, *et ſurgens in medio fratrum* PETRVS, quid facto opus eſſet, praeponit ACT. AP. *I.* 15. *ſeqq.* qua ipſa poteſtatis praerogatiua vſus in celebri apoſtolorum ſynodo de obſeruantia legalium ACT. AP. *XV.* 7. *ſeqq.*

§. XCI.

§. XCI.

Quod ex ſacris litteris SS. Patres vnanimiter docent.

De eccleſiae autem conſenſione, quod eſt vnum omnium facile firmiſſimum argumentum, quid dicam? Infinitus ſim oportet, ſi vel SS. patrum teſtimonia omnia huic confirmandae ſententiae idonea adcumulare in animum induxerim. *Petrus apoſtolorum ſummus, et princeps* S. Cyrillvs *cathec. II. et XI. princeps, ac vertex apoſtolornm Petrus.* S. Ephrem. Syrvs *ſermon. de compunct. apoſtolici chori princeps et coriphaeus.* S. Gregor. *Niſſaen. ſerm. 2. de S. Stephan. in quo primatus apoſtolorum tam excellenti gratia praeeminet.* S. Avgvstin. *lib. II. de baptiſm. tom. IX. col. 97. edit. venet. Quis enim neſcit illum apoſtolatus principatum cuilibet epiſcopatui praeferendum?* S. Ambros. *lib.* X. *in Luc.* eique *eccleſiae praefectura per vniuerſum mundum traditur.* S. Chrysost. *homil V.*

Vid. Natal. Alexander *hiſt. eccles. tom. III. diſſert. IV.* et Petr. Gazzaniga *loc. cit. diſſert. III.* Duo autem extrema hic ſunt vitanda. Sunt enim 1.) plures romano pontifici nimium addicti, qui ex hiſce ſcripturae verbis, ſanctorumque patrum ſententiis concludunt, *ſoli* Petro, eiusque ſucceſſoribus totam eccleſiae poteſtatem collatam, atque ita quaſi *monarchiam* conſtitutam fuiſſe. Sed male: quod enim hic ſoli Petro ad primatum inter conregentes indigitandum dictum eſt, idem aliis in locis Chriſtus omnibus apoſtolis inculcauit (ſup. §. 83.) Itaque textus cum textibus conciliare oportet, atque cauendum eſt, ne eadem loquendi formula, qua Chriſtus alio in loco ad omnes apoſtolos vſus eſt, his nullam, Petro au-

autem omnem poteſtatem conceſſam eſſe dicamus. Sunt 2.) proteſtantes et hodierni graeci ſchiſmatici romano pontifici nimium infenſi, qui nullum omnino primatum; vel ſaltem ordinis tantum et honoris hic agnoſcunt. Sed cognoſcere deberent, diuinam ſapientiam non verbis ludere, nec ea nominis mutatione, qua, qui prius Simon vocabatur, iam Petri, ſeu petrae nomen a Chriſto accepit, nihil indicare, et ſine ratione toties ſoli Petro regimen eccleſiae inculcare, quod ſaepius iam omnibus apoſtolis conceſſerat, voluiſſe.

§. XCII.

Finis primatus eſt vnitatis conſeruatio.

Profecto huius primatus inſtitutio ſapientiae diuinae conuenientiſſima fuit: cum enim Chriſtus eandem, et parem omnibus apoſtolis regendi eccleſiam poteſtatem tribuerit (ſup. §. 83.) et ſimul vnitatem religionis a ſe traditae conſeruari voluerit (ſup. §. 90.) multa autem negotia ſaepius incidant, quae ſine ordinis confuſione a pluribus explicari non poſſunt: neceſſarium vtique fuit, vnum conſtitui, qui ad bonum, et vnitatem eccleſiae conſeruandam quoad exercitium poteſtatis eccleſiae praerogatiuam haberet. Atque haec eſt conſtans SS. patrum doctrina, cauſam inſtituendi primatus fuiſſe vnitatis in eccleſia conſeruationem.

Aptiſſime id expreſſit OPTATVS MILEVITANVS, quem S. AVGVSTINVS *lib. II.* de DOCTRINA CHRISTI *cap. 4. n. 6.* non dubitauit CYPRIANO, LACTANTIO, HILARIO comparare, *lib. II. contr.* PARMEN. *pag. 28. Negare*, inquit, *non potes, ſcire te in vrbe Roma* PETRO *primo cathedram epiſcopalem collatam, in qua ſederet omnium apoſtolorum caput* PETRVS, *vnde et Cephas adpellatus, in qua* VNA

ca-

cathedra VNITAS *ab omnibus ſeruaretur. Libro item II. p.* 104. *Bono* VNITATIS *beatus* PETRVS, *cui ſatis erat, ſi, quod negauit, ſolam veniam conſequeretur, praeferri apoſtolis omnibus meruit.* Atque huc etiam pertinet, quod S. HIERONYMVS *lib. I. aduers. Iouian.* ait *ſuper* PETRVM *fundatur eccleſia, licet id ipſum in alio loco ſuper omnes apoſtolos fiat, vt cuncti claues regni coelorum accipiant, et ex aequo ſuper eos eccleſiae fortitudo ſolidetur; attamen propterea inter duodecim vnum elegit, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Eadem eſt S. CYPRIANI *de vnit. eccles.* ſententia. *Quamuis apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat, et dicat: ſicut miſit me pater, ita et ego mitto vos: accipite ſpiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittentur ei, ſi cui retinueritis, retinebuntur: tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.*

§. XCIII.

Vnde iura primatus deduci debent.

Inde intelligimus *principium obiectiuum cognoſcendi omnia iura* ex Chriſti inſtitutione adeoque iure diuino *cum primatu connexa* eſſe hanc propoſitionem: *Ea omnia, et ſola ſunt primatus iura eſſentialia, ſine quibus vnitas eccleſiae chriſtianae conſeruari non poteſt.*

Si enim iura ex primatu fluentia quaſi eius effectus ſunt; effectus vero ex cauſa aeſtimari debent; tum ſane de hac propoſitione nemo dubitabit.

§. XCIV.

Petrus fuit Romae epiſcopus.

Ad vrbem Romam, poſteaquam antiochenam eccleſiam fundaſſet, Petrum veniſſe, ibique

que conſtitutae a ſe eccleſiae tanquam epiſcopum vſque ad finem vitae praefuiſſe, omnium SS. patrum, et ſcriptorum vnanimis conſenſus euincit. Ipſe S. Petrus ſui Romam aduentus teſtis eſt: Babylonem enim, qua ex vrbe ſuam ſe epiſtolam ſcripſiſſe teſtatur, EPIST. *I. cap. vlt.* 13. ipſam eſſe Romam ex APOCALYPS. *XVII.* 5. *ſeq.* adparet, vbi Ioanni Roma Babylonis nomine venit. Porro eandem veritatem hiſtoricam non PAPIVS modo Ioannis auditor hierapolitanus epiſcopus *ap.* EVSEBIVM *hiſt. eccles. lib. II. cap.* 15. et CLEMENS, qui PETRI diſcipulus fuit, in *epiſt. ad Corinth. ap.* COVSTANT. *in collect. epiſt. rom. pontif. tom. I. pag.* 12. §. 5. et IGNATIVS pariter apoſtolorum diſcipulus *in epiſt. ad roman.* §. 4 et DIONYSIVS epiſcopus corinthiorum *ap.* EVSEB. *hiſt. eccles. lib. II. cap.* 25. conteſtantur, ſed et alii plurimi, quos recenſere ſuperuacuum foret, quique non ſolum Petri Romae praeſentiam, verum et ſuſceptum ab eo romani epiſcopi officium demonſtrant.

Non iam hic adſcribam friuolas illorum obiectiones, qui conſentientem veterum, grauiſſimorumque ſcriptorum de Petri epiſcopatu romano doctrinam a ſeculo primum XVI. temeritate fere incredibili impugnare coeperunt. Eſt haec quaeſtio hiſtorica, quam attigiſſe ſufficiat. Qui enim plura cupit, adeat *celeb.* MAMACH. *orig. et antiq. eccles. tom. V. P. I.*

§. XCV.

Primatus debet eſſe perpetuus.

Quoniam autem eccleſia CHRISTI erat vsque ad conſummationem ſeculi futura: eadem,

quae

quae fuit inſtituendi a CHRISTO *Primatus* ratio, hunc in eccleſia perpetuum exigit. Quod igitur Dominus in principio munus eccleſiae paſtorale PETRO primum detulit, id pro ſapientia ſua cuique eius ſucceſſori legitimo intelligitur contuliſſe.

Solidum eſt hac ſuper re MELCHIORIS CANI ratiocinium in *loc. theolog. lib. VI.* quum ait: *regnum Chriſti futurum erat aeternum, ergo et eccleſiae principatus non fuit temporalis. Alioqui ſi* PETRI *poteſtas ad poſteros non eſt translata, ne ceterorum quidem apoſtolorum poteſtatem ad ſuccedentes epiſcopos transmiſſam agnoſcemus. Ita nunc in eccleſia nulla aut epiſcoporum, aut ſacerdotum poteſtas erit, et quod* inde ſequitur, eadem, quae Chriſti fuit tempore, eccleſia non erit.

§. XCVI.

Quare is epiſcopis romanis, tanquam Petri ſucceſſoribus competit.

Eum autem, quem e diuini legislatoris ſapientia ab obitu PETRI in eccleſia vniuerſa regenda ſucceſſorem dedimus, eſſe EPISCOPVM ROMANAE ECCLESIAE conſtans eſt non modo conciliorum vniuerſalium, ſed et ſanctorum patrum, aliorumque vetuſtioris aetatis ſcriptorum traditio.

Longus eſſet, et non neceſſarius labor conciliorum omnium, et patrum teſtimonia recenſere: neque enim veritas haec eorum eſt e numero, de qua dubitari merito poſſit. Conciliorum, et patrum tam orientis, quam occidentis teſtimonia non ſolum luculentiſſima, ſed etiam ab omni ſuſpicione quam alieniſſima ſunt. *Nam vt hoc vel ſolo argumento vtar, nemo ignorat, iam inde ab antiquiſſimis temporibus pontificem romanum vniuerſae orbis terrae patriarcham*

archam oecumenicum continentem ſedem principis apoſtolorum Petri, patrem patrum apoſtolico culmine ſublimatum, ſummum omnium praeſulum, pontificem, principis ſedis apoſtolicae, et vniuerſalis eccleſiae papam ab ipſis eccleſiae epiſcopis in conciliis congregatis adpellatum fuiſſe; vid. HARDVINVM *tom. II. col.* 10. 31. 1035. 1111. 1218. *Tom. III. col.* 734. *Tom. V. col.* 1323. Taceo propriam SS. pontificum omni pietatis, virtutumque omnium laude inſignium auctoritatem, cuius ſane momentum chriſtianae antiquitatis memoria teſtatiſſimum in dubium vocare ſit imperiti, negare autem praeter modum impudentis. Taceo etiam omnes primatus romani defenſores, quorum noſtro e numero exſtiterunt quam plurimi, et pietate et eruditione praeſtantes CARDIN. BELLARMINVS, SFONDRATVS, ACQVIRIVS, PETAVIVS, HABERTVS, LVPVS, SIRMONDVS, PETRVS DE MARCA, alii quam plurimi digna immortalitate nomina. *Conf.* CANVM. *in loc. theol. lib. VI. cap.* 4.

§. LXCVII.

Iure humano non diuino.

Vtrum vero epiſcopatui, et ſedi romanae hic primatus *iure diuino* adnexus ſit, adeo, vt iam nullus, qui epiſcopus romanus non ſit, verus Petri ſucceſſor dici poſſit, quaeritur. *Succeſſio romani pontificis in pontificatum* PETRI *ex inſtitutione* CHRISTI: *ratio autem ſucceſſionis, qua* ROMANVS PONTIFEX *potius, quam* ANTIOCHENVS, *vel aliquis alius ſuccedat, ex facto Petri initium habuit. Succeſſio ergo ipſa ex* CHRISTI *inſtituto, et iure diuino eſt, quia* CHRISTVS *ipſe inſtituit in* PETRO *pontificatum duraturum vsque ad finem mundi, et proinde quicunque* PETRO *ſuccedit,*

a

a Christo *accepit pontificatum. At vero quod epiſcopus romanus, quia epiſcopus romanus eſt, ſit* Petri *ſucceſſor, ex facto* Petri *ortum habuit, non ex prima* Christi *inſtitutione. Nam potuiſſet* Petrvs *nullam ſedem particularem ſibi vnquam eligere, ſicut fecit primis quinque annis, et tunc moriente* Petro *non epiſcopus romanus, neque antiochenus ſucceſſiſſet, ſed is, quem eccleſia ſibi elegiſſet, potuiſſet quoque ſemper manere Antiochiae, et tunc antiochenus ſine dubio ſucceſſiſſet. Quia vero Romae ſedem fixit, et tenuit vsque ad mortem, inde factum eſt, vt romanus pontifex ei ſuccedat.* Bellarmin. *Lib. II. de Rom. Pontif. cap. XII.* §. 15. *Quamdiu autem praeter merum illud Petri factum nihil profertur amplius: non ſatis nexus ille primatus cum ſede romana iure diuino neceſſarius intelligitur, vt neque adeo ſit, cur eccleſia pro ea; qua pollet in adminiſtrando imperio ſacro poteſtate, Ius electionis liberae attribui iſthic non debeat. Rev. Abbas* Steph. Ravttenstravch. *loc. cit. Sect. II. cap. I.* §. 114.

§. XCVIII.

Primatus definitio et diuiſio proponitur.

Quodſi ex his omnibus primatus hactenus deſcripti exactam definitionem exigas, eum ita definiendum eſſe exiſtimo, quod ſit *praerogatiua exercendi poteſtatem eccleſiaſticam ſingulis epiſcopis ex Chriſti inſtitutione alias ex aequo competentem, quae ad bonum, et vnitatem*

eccleſiae conſeruandam S. Petro eiusque ſucceſſoribus a Chriſto collata eſt.

Duplex primatus a doctoribus diſtinguitur, *honoris*, ſeu *ordinis* et *auctoritatis*, ſeu *poteſtatis*. Prior ille, qui in *praecedentia S. Petri*, *eiusque ſucceſſorum inter reliquos apoſtolos eorumque ſucceſſores* conſiſtit, ex poſteriore ſequitur, quem etiam ſolum in definitione expreſſimus.

§. XCIX.

Eccleſia eſt ſocietas inaequalis.

Eccleſiam eſſe poſſe ſocietatem inaequalem eiusque naturae et eſſentiae poteſtatem rectoriam adeo non repugnare, vt et pactis, a maieſtate diuelli, atque a populo vel ſibi reſeruari, vel tertio concedi queat, diximus, (ſup. §. 16. ſeq.) conſideremus nunc formam, quam Chriſtus eccleſiae ſuae dedit. Sub duce, et capite Petro apoſtolos, et tum illius, tum horum ſucceſſores religionem a ſe traditam omnibus praedicare, et interpretari, fideles dein per baptismatis ſacramentum initiatos cum omni ſollicitudine regere, et ad aeternam ſalutem perducere iuſſit, et ita reliquis audiendi, et obediendi obligationem impoſuit (ſup. §. 82.) Eſt ergo eccleſia chriſtiana ſocietas inaequalis, in qua duplex perſonarum genus reperitur, alterum paſtorum et rectorum: alterum ouium, et ſubditorum. Illi praeſunt, et negotia ſanctiſſimae ſocietatis dirigunt, et determinant: iſti eos tanquam Chriſti vicarios venerantur, ſequuntur, regulasque ab ipſis conſtitutas cuſtodiunt.

§. C.

§. C.

Diſtincta a ciuitate et independens.

Eodem modo conficitur, hanc ſacram poteſtatem rectoriam a ciuili imperio eſſe omnino ſeparatam, adeoque in ſuo genere ſummam, et independentem. Profecto iis eſt propria, et ab iis tantum iure exercetur, quibus a Chriſto tributa eſt. Atqui ſacrae ſcripturae, apoſtolorum, et totius antiquitatis auctoritate conſtat, eam Petro, et apoſtolis tantum, eorumque ſucceſſoribus eſſe datam. *Duo ſunt*, inquit, Gelasivs ad Anastasivm Imper. *Imperator auguſte! quibus hic mundus principaliter regitur: Auctoritas ſacra pontificum, et regalis poteſtas. Noſti enim fili clementiſſime! quod licet praeſideas humano generi dignitate, rerum tamen diuinarum praeſulibus deuota colla ſubmittis. — — — Quantum ad ordinem diſciplinae publicae cognoſcentes imperium tibi collatum, legibus tuis parent ipſi quoque religionis antiſtites. ap.* Hardvin. *Tom. IV. Col.* 1182.

Agnouerunt id ſane principes, et imperatores chriſtiani, iurium, quae ſibi competebant, non negligentes defenſores. Constantinvs M. *in concilio nicaeno I. quum ait: Deus vos conſtituit ſacerdotes, et nobis dati eſtis Dii: conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolum, de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deus iudicat* apud Hardvinvm *tom. I. col.* 383. Theodosivs, et Valentinianvs *Imp. in Epiſt. ad Synod. Ephes.* apud Hardvinvm *Tom. I. col.* 1346. *Igitur Candidianum praeclariſſimum ſacrorum domeſticorum comitem ad ſacram veſtram ſynodum abi-*

re iuſſimus, ſed ea lege, et conditione, vt cum quaeſtionibus, et controuerſiis, quae circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat; nefas eſt enim, qui ſanctiſſimorum epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum eccleſiaſticis negotiis, et conſultationibus ſeſe immiſcere. MARCIANVS *Imp. Act. VI. concil. calc.* apud HARDVIN. *Tom.II. col.* 466. *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam exemplo religioſi principis Conſtantini ſynodo intereſſe voluimus, ne vel vlterius populi prauis ſuaſionibus ſeparentur.* Et quum Hypatianus Heracleae Perinthi epiſcopus, ab epiſcopis Helleſponti, et Bithyniae rogatus a VALENTINIANO Imperatore peteret, vt eos ad corrigendam fidei doctrinam conuenire permitteret. Reſpondit ei: *mihi quidem in laicorum ordine conſtituto, fas non eſt huiusmodi negotia curioſius ſcrutari, ſacerdotes vero, quibus id curae eſt, ſeorſim vbicunque voluerint, conueniant.* Apud SOZOMENVM *Lib. VI. C.* 7. Denique IVSTINIANVS in *Nou.* 17. expreſſe *ſacerdotium* ab imperio diſtinguit, et illud *diuinis miniſtrare* agnoſcit. Grauibus verbis OSIVS cordubenſ. epiſc. ad CONSTANTINVM M. ap. ATHANAS. *in epiſt. ad ſolit. vit. agent.* hanc ſententiam expreſſit. *Tibi Deus*, inquit, *imperium comiſit, nobis, quae ſunt eccleſiae, concredidit. Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinae, ita et tu caue, ne quae ſunt eccleſiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quae ſunt caeſaris, caeſari, et quae Dei, Deo. Neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum, et ſacrorum poteſtatem habes imperator.*

§. CI.

Forma regiminis eccleſiaſtici non eſt monarchica.

Sed de forma huius eccleſiaſtici regiminis adhuc quaerere ſolent. Turba ingens theologo-

logorum, et canoniſtarum, qui curiae romanae plus, quam oportet, addicti ſunt, neglecta SS. litterarum, SS. patrum, et totius antiquitatis auctoritate formam abſolute monarchicam eccleſiae noſtrae adfingere non erubeſcunt. Eos, ſi audias, Chriſtus omnem poteſtatem eccleſiaſticam ſoli Petro, et pontifici romano contulit, reliquis epiſcopis, quantum ipſi viſum fuerit, communicandam, vel auferendam. Eiusmodi homines hic non moramur, quorum ſententiam recenſuiſſe, et eandem refutaſſe idem ſignificat. *Erras*, inquit S. Bernard. *Lib. III. de conſiderat.* ad ſummum pontificem, *ſi vt ſummam, ita et ſolam inſtitutam a Deo veſtram apoſtolicam poteſtatem exiſtimas.*

Non ignoro, quid Card. Orsivs *de rom. pontif. auct. Lib. VII.* quid nuper Mamach. *orig. eccleſ. Lib. V.* ſcripſerint. Verum prope abeſt, quin de his dici poſſit, quod Bossvetivs *in defenſ. declar. cler. gallic. Lib. XIII. cap.* 15. Bellarmino reſponderat: *Id inquam ſcripturis, et traditione demonſtrandum, non ex proprio cerebro, vaniſque ratiocinationibus chriſtianae reipublicae forma effingenda erat.*

§. CII.

Sed mixta.

Quoniam patrum traditione ſatis conſentiente conſtat, poteſtatem clauium originarie, atque, vt aiunt, *radicaliter* ipſi eccleſiae tributam fuiſſe (ſup §. 74. 77.) per epiſcopos (ſup. §. 82. ſeq.) quos omnes ipſe ſpiritus ſanctus poſuit regere eccleſiam Dei (ſup. §. 86.) exercendam, ita tamen exercendam, vt *ad romanam eccleſiam propter potiorem principalitatem*

tem neceſſe ſit omnem conuenire eccleſiam S. IRENAEVS *Lib. III.* 3. (ſup §. 90. ſeq.) Euidens profecto eſt regiminis eccleſiaſtici formam nec democraticam, nec ariſtocraticam, neque pure monarchicam, ſed, ſi tamen cum ſchola loqui velimus ex ariſtocratia, et monarchia mixtam adpellandam eſſe.

Ad formam regiminis eccleſiaſtici a Chriſto inſtituti ex fundo cognoſcendum legatur, et relegatur IOAN. DARTIS *Diſſert. de ſtatu eccleſ. apoſtol. tempor.*

§. CIII.

Quare negotia eccleſiaſtica grauiſſima in conciliis deciduntur.

Atque hanc eccleſiae formam abunde demonſtrant modi, queis antiſtites ſacri poteſtatem ſuam explicare ſemper ſolebant. Secuti enim apoſtolorum auctoritatem ACT. APOST. *XV.* negotia grauiſſima, et finali ſententia terminanda congregati in vnum, et collatis conſiliis expedienda eſſe iudicarunt, regulisque in eiusmodi conuentibus ſtatutis ſolemni formula: *viſum eſt ſpiritui ſancto, et nobis* ACT. APOST. *XV.* 28. praefati ſunt.

Nimirum illud perpetuo obtinuit, quod INNOCENTIVS I. in depoſitione CHRYSOSTOMI aiebat: *quid aduerſus iſta in praeſentia facimus? neceſſaria eſt cognitio ſynodi, quam etiam pridem congregandam eſſe diximus. Ea enim ſola eſt, quae huiusmodi tempeſtatum motus ſedare poſſit, epiſt. VII. ad cler. et pop. Conſtant.* §. 4. *ap. conſtant. col.* 799.

§. CIV.

§. CIV.

Aut conſenſu extra conciliari omnium eccleſiarum.

Quia vero non locorum, ſed doctrinae vnitas, et concordia veram eccleſiae vnitatem conſtituit, nunquam non id receptum erat, vt, quoties aut impoſſibile, aut non neceſſarium erat, epiſcopos per totum orbem diſperſos congregare, ſola eccleſiarum ſine ſynodi conſenſione capitales controuerſiae dirimerentur. Qua ratione plurimae haereſes ante nicaenam ſynodum exortae, oppreſſaeque ſunt.

Quaſi nulla haereſis aliquando ſine ſynodi congregatione damnata ſit? quid potius rariſſime inueniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis exſtiterit, multoque ſint itaque incomparabiliter plures, quae vbi exſtiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras deuitando innoteſcere potuerunt. S. Avgvstinvs *Lib. IV. ad Bonifac.* Atque hanc S. Auguſtini generalem doctrinam copioſe, et ſingillatim probat Evsebivs *hiſt. eccleſ. lib. IV. cap. VII. XI. Lib. V. cap. XVI.*

§. CV.

Reliqua Petri cathedrae ſaepius relinquuntur.

De cetero videmus, ſancti Petri ſucceſſores epiſcopos romanos (ſup. §. 92.) pro iure ſuo ſibi a Chriſto delato perpetuam vniuerſae eccleſiae curam impendiſſe, et magno poteſtatis pondere canonum cuſtodiam vniuerſis inculcaſſe, negotia denique omnia, quae ad vnam, ſanctam, ordinatamque religionem pertinent, ſuis conſtitutionibus definiuiſſe.

Digitized by Google

Quare COELESTINVS papa *in epiſt. ad epiſcopos Illirici* apud CONSTANTIN. inquit: *inter ceteras curas, et diuerſa negotia, quae ad nos ex cunctis veniunt ſemper eccleſiis, propenſiorem nos etiam veſtri ſollicitudinem gerere, et ex decretorum noſtrorum ſanctione diſcetis, et ipſarum qualitate cauſarum poteritis aduertere. Et in epiſt. IV. §. I. ad epiſcop. prouinc. vienn. et narbcn. ap.* CONSTANT. *col.* 1066. *In ſpeculis a Deo conſtituti ſumus, vt vigilantiae noſtrae diligentiam comprobantes, et quae coercenda ſunt, reſecemus, et quae obſeruanda ſunt, ſentiamus*, hoc eſt, *per ſeueritatem congruentem* auctoritatem regulis vindicemus.

§. CVI.

Erronea ergo ſunt proteſtantium ſyſtemata.

Quae cum ita ſint, non eſt admodum difficile adiudicandum, quam firmo nitatur talo, quum illa, quae poteſtatem ſacram cum politica indiuiſo cohaerere nexu adſerit: tum altera illa nouatorum ſententia, qua eccleſiam ſocietati, ſeu collegio aequali in republica ſine imperio exiſtenti adcenſere non dubitarunt.

Priore illa in ſententia fuit, olim VLR. HVBERVS *de iur. ciuit. lib. I. ſect. V. cap. §.* 2. 13. quam poſtea adoptauit CHRIST. THOMASIVS *in cautel. circa praecognita iur. eccleſ. cap. XVIII.* Alteri iam LVTHERVS auctor exſtitit in libr. von der weltlichen Obrigkeit, *Tom. II. ap. Genenſ. Germ.* latius propoſuit SAM. PVFFENDORFF. in *tract. de habitu relig. chriſt. ad vit. ciuil.* Atque huic ſane quidem quam lubrico fundamento totum *Ius eccleſ.* ſuperſtruxit IVST. HENNIG. BOEHMERVS id quod *in diſſert. praelim. §. IV. et tit. de maiorit, et obedient.* quam manifeſtiſſime liquet. Non eſt autem, cur profligando huic errori longiorem impendamus operam, neque enim vereor, ne hactenus a nobis

bis tradita ſatis intelligentis animum abalienent a veritate Christi doctrinae adprime conſentanea. Et vero ſatis otii fecerunt nobis virorum doctiſſimorum opera, quae omnium in manibus verſantur.

CAPVT VIII.

DE POTESTATIS ECCLESIASTICAE LIMITIBVS.

§. CVII.

Poteſtati eccleſiaſticae ſubſunt omnes fideles.

Poteſtati eccleſiaſticae omnes ſubſunt, qui per baptiſmum eccleſiam ingreſſi ouium, ſeu fidelium et ſubditorum numero comprehenduntur, adeo, vt nec principes, et reges chriſtiani vlla ratione exemti ſint. cumque ſacrum hoc imperium non penes vnum, alterumue reſideat; ſed toti epiſcoporum collegio, primas tenente romano pontifice competat, omnino ſequitur, epiſcopos *ſingulos*, quin et ipſum ſummum pontificem in his, quae ad ſubſtantialia religionis noſtrae, et vniuerſalem diſciplinam pertinent, vniuerſalis eccleſiae auctoritatem, poteſtatemque venerari debere. *Si quis enim eccleſiam non audierit*, quicunque demum ſit, *ſit tibi, ſicut ethnicus, et publicanus.* Matth. *XVIII.* 15.

Hoc argumentum ex Matth. *loc. cit.* deſumptum ita explicat, et urget Gerson. *in tract. de poteſt. eccleſ.*

eccleſ. conſiderat. IV. tom. II. col. 231. Fundatur absque omni calumnia poſſibili in hoc textu plenitudo poteſtatis gladii ſpiritualis, et executio eius in eccleſia ſuper quemlibet chriſtianum, qui eſt frater noſter, etiamſi papa fuerit. Nec accipiendum eſt hic, DIC ECCLESIAE, id eſt PAPAE; quoniam Chriſtus Petro loquebatur, qui non dixiſſet ſibi ipſi. Item quia ſubiunctum eſt pluraliter. *Quaecunque ligaueritis ſuper terram etc.* Denique ſi non haberet eccleſia talem poteſtatem, et executionem fruſtra dixiſſet Chriſtus: DIC ECCLESIAE, quia potuiſſet impune non audire, contra illud quod ſequitur: *ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi etc.* Fundatur etiam in hoc textu nedum poteſtas *excommunicandi*; ſed et poteſtas *definiendi*, determinandi, ſtatuendi, decernendi, conſtituendi praecepta, leges, et canones, procedendi denique contra non obedientes vſque ad ſententiam excommunicationis incluſiue; immo ſecundum canones nunc inſtitutos, vſque ad inuocationem brachii ſecularis, quia dicitur in textu, *quod ſi eccleſiam non audierit etc.* Audire igitur debet eccleſiam quilibet frater noſter, qui dicit ad Deum: *Pater noſter*, ſicut explicat alibi Chriſtus: *qui vos audit, me audit. Luc. X.* 16.

§. CVIII.

In negotiis eccleſiaſticis eſſentialibus, et accidentalibus.

Iſtud autem intelligendum eſt de negotiis, et cauſis poteſtati eccleſiaſticae ſubiectis, quales absque omni dubio ſunt, quae ſubſtantialia religionis concernunt, veluti, cum de ſacra ſcriptura, traditione diuina, aut legum naturalium ſanctitate diſceptatur. Negotia *diſciplinaria*, quae diximus in duas claſſes abeunt, ſunt enim alia *mere ſpiritualia*, quae nullum cum ciuitate nexum habent, et de quibus manife-

Digitized by Google

niſeſtum eſt, ea eſſe ciuiliter indifferentia: alia ſunt *mixta*, quae ad cultum Dei quidem ordinantur, ſed ciuitatis finem iam plus, minusue reſpiciunt. In *illis* abſoluta eſt eccleſiae poteſtas, et ab omni humana exceptione libera. Ita *mere ſpiritualia* ſunt ritus in adminiſtratione ſacramentorum v. g. baptiſmi adhiberi ſoliti, et reliq. *mixta* vero dierum feſtorum copia, ordinum religioſorum multitudo, proceſſiones, ſeu peregrinationes ad certa loca etc.

§. CIX.

Sunt negotia quaedam mixta, quae poteſtati eccleſiaſticae aliquando non ſubiiciuntur.

Mixtae vero diſciplinae eccleſiaſticae cauſae hanc habent ex legis diuinae naturalis, et poſitiua diſpoſitione conditionem imbibitam: *Si ſalus ciuitatis eas patiatur.* (ſup §§. 17. 19.) Hac conditione praeſente piae ſunt, religioſae, et poteſtati obnoxiae: Ea deficiente iam nulla iis ineſt religio, adeoque ceſſant eſſe obiectum poteſtatis eccleſiaſticae, quae tota ad aedificationem populi fidelis, non ad deſtructionem comparata eſt; eo vsque ergo ſe non extendit, vt arbitrarium cultus diuini modum in detrimentum, et perniciem ciuitatis vrgere poſſit, cum alio loco, alio tempore, alio modo aeque bene pietatem exercere licet.

Pium eſt certis diebus ab omni alio negotio abſtinere, et ſoli diuino cultui vacare. Quodſi maieſtas edicat, tantam eſſe dierum feſtorum multitudinem

dinem, vt omnes abſque populi, et ciuitatis detrimento graui obſeruari non poſſint. An tu exiſtimas adhuc pium eſſe, et a poteſtate eccleſiaſtica dependere, vt etiam exceſſus feſtorum obſeruetur?

§. CX.

Cauſarum eccleſiaſticarum ambitus, et iura ſacri regiminis generatim ſiſtuntur.

Ex his ſatis liquet, quam late pateat *cauſarum eccleſiaſticarum*, in quibus dirigendis poteſtas eccleſiaſtica verſatur, ambitus. Quoniam vero cum iure ad finem connexa ſunt iura ad omnia media, haud difficulter porro perſpicitur, *poteſtatem legum ferendarum*, *iudicandi*, et *coercendi* in regimine ſacro contineri, atque triplici hoc modo cauſas eccleſiaſticas dirigendas eſſe; id quod ſacrae ſcripturae auctoritas, et continua eccleſiae praxis abunde demonſtrant. *I. ad* COR. *XI.* 2. 21. 34. *VII.* 10. 12. *V.* 3. *II. ad* COR. *XIII.* 2. *X.* 6. *I. ad* THESSALON. *IV.* 2. ACT. APOT. *XVI.* 4.

Iura ſummi imperii ſacri, id eſt, poteſtatem legiſlatoriam, coercitiuam, et iudiciariam eccleſiae ex ordinatione diuina; primigenia ECCLESIAE *praxi*, *et continua eiusdem traditione* competere, et ab ea ſemper fuiſſe exercita inuictis argumentis adſeruit celeberrimus tum quidem in vniuerſitate *Würceburgenſi S. S. Canonum Profeſſor P. R. D.* IOAN. CASP. BARTHEL. *in diſſert. de iure reform. antiquo*, quem ſecutus ſum in mea *introductione ad vniuerſ. ius eccleſ. diſſ. praeuia ſect. I. §. XXII. ſeqq.*

§. CXI.

§. CXI.

Sacri, et ciuilis imperii eſſentialis differentia.

Sed inſignis hic adnotanda eſt imperii ciuilis, et ſacri differentia ratione mediorum, queis vtrumque utitur ad executionem eorum, quae ſalubriter ſtatuta ſunt. Cum enim in eccleſia eo omnia vltimato tendant, vt vera pietas, qua ad aeternam ſalutem peruenitur, infidelium animis effloreſcat, ſequitur omnia media, quibus eccleſia vtitur, vt hunc a ſe intentum finem adſequatur, ita eſſe comparata debere, vt ad intellectum, voluntatemque, a quibus omnis dependet religio, non ad corpus, bonorumque temporalium deminutionem pertineant. Aliud in ciuitate contingit, quae viribus phyſicis nunc ſuſtinetur, nunc euertitur.

Neque intellectus hominis, neque voluntas vi externa cogi poteſt. quare media, quibus eccleſia vtitur in actionibus fidelium ad ſalutem aeternam dirigendis cum remediis coactiuis externis coniuncta eſſe non oportet. *Eccleſiae eſt docere, rogare, hortari, verbis increpare, proemia, poenasque externas diſtincta, ac viua quaſi imagine depingere*, omnia alia facere, quibus inſtruatur intellectus et voluntas flectatur, quin et ſi paterna haec ac mitiora remedia minora ſunt, quam vt emendetur improbitas, *communione priuare*, ſuaeque peccatorem improbitati committere; vltra haec, quid quid poteſtatis ſibi vindicat eccleſia, praeter naturam ſuae poteſtatis facere cenſenda eſt. Dicam de his adcuratius, cum de poenis ſuo loco acturus ſum. *Omnia carnalia in neceſſitate ſunt poſita, non in voluntate: ſpiritualia autem in voluntate, non in neceſſitate. Sic et principum ſpiritualium principatus in dilectione*

ſubie-

ſubiectorum debet eſſe poſitus, non in timore corporali. ORIGENES *in* MATTH. *cap. XII.* Hoc intereſt inter regem et epiſcopum, *quod ille nolentibus proſit, hic volentibus: ille terrore ſubiiciat, hic ſeruituti donetur: ille corpora cuſtodiat ad mortem, hic animas eruat ad ſalutem.* S. HIERON. *epiſt. III. ad Nepot.*

§. CXII.

Negotia temporalia, et ciuilia deſcribuntur.

Negotia, et cauſae *mere temporales, et ciuiles* illae adpellandae ſunt, quae cum notione religionis, eccleſiae, et chriſtiani nullum nexum habent, hominesque et ciues, *qua tales*, reſpiciunt. Ita contractus, teſtamenta, tutelae, modi adquirendi, vel ammittendi dominia, ius ſuum in iudicio perſequendi: dein bella, pacem, aut foedera inire, formam ciuitatis determinare, regem, vel magiſtratum, vel ſubditum diuitem, vel pauperem eſſe, et reliqua plurima ſunt cauſae merae temporales, et illis etiam, qui vel nullam vel falſam religionem habent, communes.

§. CXIII.

In hac nulla eſt eccleſiae poteſtas.

Omnis poteſtas ex fine ſuo menſuram accipit; finis poteſtatis eccleſiaſticae eſt ſalus religionis, et eccleſiae, quarum negotia mere temporalia nexum habent omnino nullum. Igitur palmaris eſt veritas, poteſtatem eccleſiaſticam in iis, quae ad felicitatem hominum externam, et ciuilem eorum ſtatum pertinent, nullam eſſe.

Pro-

Profecto ſalus eccleſiae adeo non pendet a ciuili et exteriore hac felicitate; vt ſi CHRYSOSTOMO credimus, etiam infirmior euadat: *Quum imperialem thronum conſcendit is, qui nobiſcum in fide, ac opinione conſentit.* Scribit *lib. adu. gentil. hinc ſequiores efficiuntur res chriſtianorum: tantum abeſt, vt illae per humanos honores conſiſtant. Rurſus, quum impius aliquis imperator regnat, qui nos vndique vrget, qui nos infinitis malis exercet, tunc eaedem pretium accipiunt, atque inclareſcunt; tunc proemiorum ac triumphorum tempus, tunc coronarum, preconiorum, ac virtutis omnis oſtendendae tempus.*

§. CXIV.

Quod ex ſacra ſcriptura demonſtratur.

Et quaenam alia in eccleſia poterit eſſe poteſtas praeter eam, quam Chriſtus ipſe exercuit, quamque apoſtolis ſuis conceſſit? Is primo ſaepius proteſtatur, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo IOAN. *XVIII.* 36. et *cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* IOAN. *VI.* 15. qui diuiſionem haereditatis paternae petenti ſatis aperte reſpondet: *Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos? Luc. XII.* 14. Dein apoſtolis, omnibusque eorum ſucceſſoribus id commiſit, vt regnum Dei praedicarent, omnesque gentes diuinas veritates docerent, atque per viam verae religionis ad ſalutem aeternam perducerent. Quare S. BERNARDVS *lib. I. conſider. cap.* 6. eccleſiae praeſules inclamat: *non in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra, quoniam propter illa non propter has* ac-

accepiſtis claues regni coelorum, praeuaricatores vtique excluſuri, non poſſeſſores.

§. CXV.

Et imperii ciuilis independentia.

Igitur ſacrum, quod hactenus deſcripſimus, imperium ab imperio ciuili ex diuina ordinatione licet diſtinctum, eius tamen iura, quae in temporalia iſti competunt, nec tollit, nec minuit, adeo, vt respublicae chriſtianae aeque libera, ſumma et independente maieſtate vtantur, eadem ſane, qua populi religione naturali tantum inſtructi ante aduentum religionis chriſtianae vtebantur, vtpote, quae imperium ciuile vbique confirmauit, ſuisque vinculis magis roborauit.

§. CXVI.

Ulterius euincitur.

Reddite, ergo, *quae ſunt caeſaris caeſari, et quae ſunt Dei Deo.* MATTH. *XXII.* 21. *ſubiecti eſtote omni humanae creaturae propter Deum, ſiue regi tanquam praecellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis.* *I.* PETR. *II.* 13. *Non eſt enim poteſtas niſi a Deo, quae autem ſunt, a Deo ordinatae ſunt. Itaque, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem adquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illo. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si au-*

Digitized by Google

autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat; Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim, et tributa praeſtatis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. ad Roman. *XIII.* 1. *ſeq.*

§. CXVII.

Impia illorum ſententia, qui dependentiam directam ſtatuunt, recenſetur.

Aeſtimate iam, quanta ſit illorum malitia, aut inſania, qui nihilominus poteſtati eccleſiaſticae totum imperium ciuile ita ſubiiciunt, vt respublicae, et principes chriſtiani non amplius propriam, ſed ex imperantium eccleſiae gratia demandatam maieſtatem exercere dicendi ſint. Fuerunt ſane, qui romanum pontificem iure diuino regem regum, totiusque orbis dominum eſſe, atque omnia regna, et imperia in eius ditionem veniſſe, gladiosque, vt vocare ſolent *temporalis*, *ſpiritualisque* poteſtatis pontificis eiusdem eſſe proprios imponere populis turpiter conati ſunt; cuius opinionis conſectarium euidentiſſimum *in cap. un. de Inſul. noui orbis in VII. lib. I. tit. IX.* deprehendimus.

Inter eos, qui directam hanc pontificis poteſtatem in temporalia docuerunt Bellarminus *de rom. pont. lib. V. cap. I.* recenſet Avgvstinvm trivmphvm *in ſumma de poteſtate eccleſ. quaeſt. I. art. I.*

ALVARVM PELAGIVM *lib. I. de planctu eccleſ. cap.* 13. HOSTIENSEM *in cap. quod ſuper his, de vot. et v t. redemt.* alioſque, aduerſus quos egregie ipſe BELLARMINVS *laud. loc.* diſputauit, praeter alios nobis hinc inde commemorandos.

§. CXVIII.

Et iam ex SS. patribus oſtenditur, 1.) maieſtatem a ſolo Deo eſſe.

Quos quia ſacrarum literarum (ſup. §. 116.) auctoritas cohibere non potuit, mirum non eſt, quod SS. Patrum doctrinam neglexerint, qui vno conſenſu chriſtianos omnes admonent, vt ſanctiſſimam, et ſummam imperii ciuilis maieſtatem a Deo poſitam venerarentur. IVSTINVS MARTYR. *apolog. II.* ſic imperatores alloquitur: *Vectigalia, et collationes eis, qui a vobis ſunt ordinati, exactoribus prae omnibus vbique inferre contendimus, quemadmodum ab eo, (Chriſto) ſumus inſtituti. Proinde nos ſolum Deum adoramus, et vobis in aliis rebus laeti inſeruimus, imperatores, ac principes hominum eſſe profitentes, et ſimul precantes, vt cum imperiali poteſtate ſanam quoque mentem obtinere comperiamini.* S. IRENAEVS *lib. V. cap.* 24 *miniſtri Dei ſunt,* inquit, *qui tributa a nobis exigunt, in hoc ipſum ſeruientes poteſtates a Deo ordinatae ſunt, cuius iuſſu homines naſcuntur, cuius iuſſu et reges conſtituuntur. Sciunt imperatores,* ait TERTVLLIANVS *in apolog. quis illis dederit imperium; ſentiunt enim Deum eſſe ſolum, in cuius ſolius poteſtate ſunt, et a quo ſunt ſecundi, poſt quem primi. Et in lib. ad ſcapul. colimus*

Digitized by Google

ergo imperatorem ſic, quomodo nobis licet, et ipſi expedit, vt hominem a Deo ſecundum et quidquid eſt a Deo conſecutum, ſolo Deo minorem; hoc et ipſe volet: ſic enim omnibus maior eſt, cum ſolo Deo minor eſt.

§. CXIX.

2.) *Eidem ipſos eccleſiae antiſtites ſubiici.*

Eodem modo docent, in temporalibus, et his, quae ad ſtatum ciuilem pertinent, ſolius imperii ciuilis poteſtatem valere, eique chriſtianos omnes, etiam eccleſiae antiſtites obedire debere: *Orbis hic vniuerſus, imperator ſub manu veſtra eſt, ſuperna ſolius Dei ſunt, inferna vobiscum Deo communia* Gregorivs Nazianz. *orat. II. de ſe ipſo. Ne quis ex eo, quod a domino ſuo in libertatem vocatus eſt, factus chriſtianus, extollatur in ſuperbiam, et non arbitretur, in huius vitae itinere ſeruandum eſſe ordinem ſuum, vt poteſtatibus ſublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt, exiſtimet non ſe eſſe ſubdendum.* S. Avgvstin. *expoſ. quarund. propoſ. ex epiſt. ad Roman. tom. III. col.* 920. *Omnis anima poteſtatibus ſublimoiribus ſubdita eſt, etiamſi apoſtolus ſis, ſiue euangeliſta, ſiue propheta, ſiue quisquis tandem fueris: neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.* S. Chrysostomvs *in cap XIII. epiſt. ad Roman. Siue ſit ſacerdos, ſiue antiſtes, ſiue monachus iis cedat, quibus ſunt mandati magiſtratus.* Theodoretvs *in eundem loc. Add. cap. 7. qui fil. ſint legit. cap.* 13. *de iudic. cap. 7 §. 1. de adpell.*

§. CXX.

3.) *Principes malos a ſolo Deo poſſe puniri.*

Porro demonſtrant, reges ipſos, licet peſſime ſua poteſtate abutentes, a nemine, niſi a ſolo Deo poena temporali puniri poſſe. *Tibi ſoli peccaui*, exclamauit poenitens Dauid. *Rex vtique erat, nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt, neque a vinculis delictorum, neque enim vllis legibus ad poenam vocantur, tuti imperii poteſtate. Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius.* S. Ambros. *apolog. Dauid. cap. IV. quia rex omnibus ſuperior eſt, et a Deo ſolo puniendus.* Cassiodor. *in Pſalm. 50. Si quis e vobis, o rex, iuſtitiae limites tranſcendere voluerit, a te corripi poteſt; ſi vero tu receſſeris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, ſi volueris, audis, ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronunciauit eſſe iuſtitiam?* S. Gregor. *Turonens. hiſt. lib. III. cap.* 17.

§. CXXI.

4.) *Adeoque maieſtatem a ſacra poteſtate omnino independentem eſſe.*

Denique propoſitionem iuris canonici, omnium maxime fundamentalem de mutua vtriusque poteſtatis independentia adeo perſpicue exponunt, vt dubitare quis iure poſſit, an fuerint unquam, qui eam non cognouerint. *Quantum pertinet ad huius temporis vitam in eccleſia nemo pontifice potior, et in ſeculo chriſtiano imperatore nemo celſior inuenitur.* Ful-

FVLGENT. *de verit. praedeſt, et grat. L. 3. confe- ramus honorem imperatoris cum honore ponti- ficis, inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, hic diuinarum: tu imperator a pontifice baptiſmum accipis, ſa- cramenta ſumis, orationem poſcis, benedi- ctionem ſperas. poenitentiam rogas: poſtremo tu humana adminiſtras, ille diuina diſpenſat.* SYMMACHVS *in apolog. aduers. Anaſt.* Infinitus forem, ſi omnia SS. patrum, et pontificum loca adſcribere in animum inducerem, queis vtriusque poteſtatis limites diſtinquuntur, ita, vt nihil liceat ſeculari in eccleſiaſtica, aut eccleſiaſticae in ſecularia, et pariter euinci- tur, antiſtites obedire legibus principum, ac principes epiſcoporum admonitionibns parere debere.

§. CXXII.

Qui dependentiam indirectam defendunt.

Ergo poteſtas ciuilis nullo modo dependet ab eccleſiaſtica. Ii quidem, qui modeſtiores videri volunt, iſtud haud diffitentur, ſi de *de- pendentia*, vt aiunt, *directa* ſermo ſit; *indi- rectam* tamen omnino ſtatuendam eſſe pro aris et focis pugnant. Ne autem nobis cum turba res ſit, demus eis aduocatum, et quem potius, quam doctiſſimum BELLARMINVM, *qui con- trouers. l. V. cap. 6. de ſummo pontifice,* poſtquam eorum ſententiam, qui directam pon- tificis poteſtatem in temporalia ſtatuerunt, ibi- dem lib. V. c. I. ſolide refellit, ſuam de po- teſtate pontificis *indirecta* his verbis ſubiun-

git, *pontificem, vt pontificem, etſi non habeat vllam poteſtatem mere temporalem, tamen habere in ordine ad bonum ſpirituale ſummam poteſtatem diſponendi de temporalibus rebus omnium chriſtianorum.* Quae ſententia, quot malis cauſam dederit, et etiamnum dare poſſit, penitus animis recepta, nemo ſapiens non videt.

Nouiſſime, quem ſenſum habeat dependentia indirecta poteſtatis ciuilis a ſacra adcuratius et ſubtilius expoſuit MAMACHIVS *t. IV. orig. eccles. pag.* 181. *ſic ſtatuunt*, ait, *imperione princeps religionis violatae cauſa exciderit, ſolutique ſubditi iurisiurandi religione ſint, qua ſuam illi obligaſſent fidem, declarare pontificem poſſe, deturbare autem quemquam de principatu non poſſe. Nam regem, qui iurans promiſerit ſeſe orthodoxum perpetuo futurum, daturumque operam, ne quid capiat detrimenti religio, quique deinceps ad ethnicos, haereticosque defecerit; eccleſiaeque damnum attulerit, principatu, quo potiebatur, priuari, obſtrictumque ſibi aut pactis, aut iureiurando habere neminem. Sed huius ſiue priuationis ob violatam religionem regni ſiue ſolutionis a iureiurando, quod adfirmatio religioſa eſt ſubditorum, ſynodum oecumenicam, Petrine ſucceſſorem, qui primas in eccleſia partes obtinet, eſſe iudicem, priuatorem autem, minoreue auctoritate praeditorum antiſtitum, omnino nullum. Iam vero, quidquid hoc iuris eſt, poteſtatem indirectam in regum temporalia fuiſſe a theologis adpellatum propterea, quod in rebus ſacris verſetur, neque ipſum per ſeſe in temporalia, quae vocant, ſed vnius religionis cauſa, ferri poſſit. Quod ſi fuerunt, qui pontifices, et ſoluere iurisiurandi religione ſubditos, et regem impietatis reum multare principatu poſſe defenderent, hos verbis diſſidere, re conuenire, cum poteſtatem declarandi, ſitne imperio priuatus princeps, dici quoque poteſtatem deponendi commode poſſe arbitrarentur.*

CXXIII.

§. CXXIII.

Neque I.) ex ratione,

Vtinam deſinerent aliquando viri ceteroquin docti illotis veluti manibus quaeſtionis iſtius grauiſſima, huicque ſimilium tractationem ſuſcipere, et iuri publico vniuerſali prius operam darent, quod illos genuina ſocietatis ciuilis principia, maieſtatisque iura docebit, et in viam veritatis ac iuſtitiae deducet. Quid autem his principiis, rectaeque rationi magis contrarium eſſe poteſt, quam imperanti ciuili chriſtiano ſummum, et a ſolo Deo pendens imperium in temporalia adſtruere, eundemque imperantem alterius cuiusdam iuri et poteſtati in ordine ad temporalia ſaltim indirecte ſubiicere, hocque modo principi infideli integram et plenam, fideli et chriſtiano autem mutilatam, et cum alio ſaltem indirecte communicatam maieſtatem ſolummodo attribuere.

Plura non addo, repetantur ea, quae iam ſuperius §. 113. et ſeq. pleniſſime in hanc rem dicta ſunt.

§. CXXIV.

Neque II.) ex reuelatione euincere poſſunt.

Sed neque ex reuelatione huic ſententiae vllum praeſidium adcerſiri poteſt. Satis enim conſtat noui ſacerdotii inſtitutione in noua lege facta nihil omnino eſſe immutatum in ſummo illo neminique obnoxio populos regendi iure et poteſtate. Si enim aliqua mutatio hac in re contigiſſet, deberet id conſtare aut ex ſcripturis, aut certe ex apoſtolorum traditione. Ex

ſcripturis nihil habemus, niſi datas pontifici claues regni coelorum, de clauibus regni terrarum nulla mentio: traditionem apoſtolorum nullam aduerſarii proferunt.

Hoc argumento vſus eſt BELLARMINVS ad confutandam ſententiam eorum, qui eccleſiae poteſtatem directam in reges propugnarunt, quid iam prohibet, quo minus eodem aduerſus BELLARMINVM poteſtatem indirectam adſerentem vtamur? Qua de re, vt perſpicue conſtet, videamus, ecquid poteſtatis Chriſtus apoſtolis ſuis dederit? duplicem eam fuiſſe poteſtatem docent paſſim plerique omnes, *ordinariam* atque *extraordinariam*. Indirectam hanc in reges poteſtatem haud dubie (quandoquidem extraordinaria per miracula ſeſe exſerit) ad ordinariam referunt. Quod an verum ſit, videamus. Poteſtatis ordinariae fons et caput eſt *verbi diuini praedicatio*, quam conſequuntur ſacramentorum adminiſtratio, tum regiminis ſacri partes, quae *exhortatio*, *caſtigatio*, *ac cenſura diuina*, vt TERTVLLIANVS ait *in apolog*. Et quamquam paſcendi poteſtas ſatis late pateat, non ita tamen euagatur libere, quin ſeſe intra eosdem contineat limites, quibus ſe CHRISTVS ipſe continuit: paſcit autem oues CHRISTVS, vt paſcua inuenirent. IOAN. *cap. X. v.* 9. *verbum* ſcilicet, *et vitam aeternam: oues enim meae vocem meam audiunt, et ego cognoſco eas, et ſequuntur me, et vitam aeternam do eis, et non peribunt, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* IOAN. *cap. X. v.* 27. Hanc ampliſſimam in ſpiritualibus poteſtatem, quam eis dediſſet Chriſtus, in temporalibus tamen, et ciuilibus nihil eis praecepit, quam vt morem gerant eis, qui rerum ſumma potirentur. Idque docere voluit: quum ap. MATTH. *cap. XXII.* 21. dixit. *Reddite ergo, quae ſunt caeſaris caeſari, et quae Dei Deo.* Porro cum denuntiaſſet CHRISTVS *apoſtolis ſuis* mala, quae eis imminere praeuiderat, MATTH. *cap. X. v.* 18. *ad praeſides, et reges ducemini.* Primum eis commendat apertam doctrinae profeſſionem: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure audi-*

tis,

tis, praedicate ſuper tecta. ibid. v. 27. ſpe praemii propoſita his verbis: *omnis ergo, qui confitebitur me, confitebor et ego eum* ibid. v. 32. atque vtne quid reſponderent ſapientibus, ambigui haererent, adſtiturum ſe eis promiſerat. *Ego enim dabo vobis os, et ſapientiam, quibus non poſſint reſiſtere, et contradicere omnes aduerſarii veſtri.* LVC. *XXI. v.* 15. Perſecutiones ne metuant hortatur. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* MATTH. *X. v.* 28. Quo certa ſalus conſtat, ſed in patientia; *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, LVC. *XXI. v.* 19. Ceteroquin *obediendum eſt regibus* docuit apoſtolus *in epiſt: ad Rom. cap. XIII. v.* 1. vnica illa, quae eſt in ACT. AP. V. 29. exceptione.

§. CXXV.

Examinamus igitur BELLARMINI *de poteſtate eccleſiaſtica indirecta argumenta, et quidem primum.*

Quare operae pretium me facturum exiſtimaui, ſi, vt eorum praecipue, qui iuri eccleſiaſtico operam daturi ſunt, vtilitate commodisque ſtudeamus, praecipua BELLARMINI argumenta, quibus ad confirmandam ſuam de indirecta poteſtate ſententiam vtitur, in medium adduxerimus: Ac primum quidem, quod *lib. V. de rom. pontif. c. VII.* proponit, tale, ait: *Poteſtas ciuilis ſubiecta eſt poteſtati ſpirituali, quando vtraque pars eſt eiusdem reipublicae chriſtianae. Ergo poteſt princeps ſpiritualis imperare principibus temporalibus, et diſponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum ſpirituale. Omnis enim ſuperior imperare poteſt inferiori ſuo.*

At falſum inprimis eſt, quod pro vero, ac ſolido fundamento in hac prima ratione ponit BELLARMINVS, ciuilem nimirum poteſtatem ſubiectam eſſe ſpirituali tum, quum vtraque pars eſt eiusdem reipublicae, niſi id ea, qua nos ſupra diximus, ratione intelligat, ſubiectam eſſe in ſpiritualibus, et contra hanc in temporalibus illi parere. Quare nihil neceſſe eſt, vt huic immoremur.

§. CXXVI.

Quod continuatur.

Sed praeuiderat BELLARMINVS rationem primo loco a ſe propoſitam non eſſe ita comparatam, vt per ſeſe illa quemquam moueat, eam tribus argumentis, ſiue mediis, vt aiunt, demonſtrare conatur: quorum hoc eſt primo loco deſcriptum: §. 3. *Quod autem poteſtas politica ſit ſubiecta eccleſiaſticae, vt talis eſt, primo demonſtratur ex finibus vtriusque. Nam finis temporalis ſubordinatur fini ſpirituali, vt patet, quia felicitas temporalis non eſt abſolute vltimus finis, et ideo referri debet ad felicitatem aeternam. Conſtat autem ex* ARISTOTELE *lib. Ethic. cap.* I. *ita ſubordinari facultates, vt ſubordinantur fines.*

Adcuratiſſime huic reſpondit eruditiſſimus BARCLAIVS *cap. XIX. Nego*, inquit, *conſtanter talem ordinationem, et ſubordinationem finium harum poteſtatum eſſe, quatenus ipſae poteſtates tales ſunt. Nam finis politicae, ſeu ciuilis poteſtatis, quatenus politica eſt, nihil aliud abſolute complectitur, quam felicitatem temporalem, commune ſcilicet bonum, et vitae degendae ordinatam tranquillitatem . . . nec vlterius progreditur haec poteſtas ciuilis, nullumque alium in finem refertur, vt talis eſt. Nam quod ad aeternam felicitatem adſpiret; id non a ſe ipſa habet, non inquam: quatenus*

tenus politica eſt, eo tanquam in vltimum ſcopum conatus ſuos dirigit; ſed qua ſpiritualis, ſiue eccleſiaſticae poteſtatis ſocietate, et conſiliis adiuuatur, vt patet ex innumeris populis, et ciuitatibus, apud quos ciuilis poteſtas ſeuere viguit, licet exiguam, vel plane nullam aeternae felicitatis, de qua loquimur, notionem habuerint.

§. CXXVII.

Continuatur.

Alteram eiusdem rationis confirmationem propoſuit BELLARMINVS §. 4. his verbis: *Reges et pontifices, clerici, et laici non faciunt duas reſpublicas, ſed vnam, id eſt, vnam eccleſiam. Sumus enim omnes vnum corpus. Rom. XII. 5. I. ad Corinth. X. 7. At in omni corpore membra ſunt connexa, et dependentia vnum ab alio: non autem recte adſeritur: ſpiritualia dependere a temporalibus. Ergo temporalia a ſpiritualibus pendent, illisque ſubiiciuntur.*

At haec ratiocinatio BARCLAIO bilem plane mouit: ait enim: *Secundum argumentum vsque adeo friuolum eſt, et fallax, vt nihil inſcitius dici, aut vitioſius colligi poſſit, quam quod eo concluditur. Ecqua enim anus tam excors eſt, vt neſciat, non valere hanc conſecutionem: ſunt membra vnius corporis, ergo vnum ab altero pendet? Nam neque pes a pede, neque brachium a brachio, neque humerus ab humero pendet, ſed alicui tertio, et medio connexa ſunt per ſe, vel per alia membra, quibus cohaerent. An non eadem ratiocinandi forma, et eodem plane argumento colligitur: brachia vnius cuiusque hominis ſunt membra vnius corporis; at in omni corpore membra ſunt connexa, et dependentia vnum ab alio. Non autem recte adſeritur, dextrum pendere a ſiniſtro. Ergo ſiniſtrum cuiuslibet hominis brachium a dextro pendet, eique ſubiicitur.*

Quis

Quis eiuſcemodi argumenta futilitatis plena non rideat? cit. loc.

§. CXXVIII.

Continuatur.

Tertia eſt eiusdem confirmatio (§. 5.) *Si temporalis adminiſtratio impedit ſpirituale bonum, omnium iudicio tenetur princeps temporalis mutare illum modum adminiſtrandi etiam cum detrimento temporalis boni. Ergo ſignum eſt, ſubiectam eſſe temporalem poteſtatem ſpirituali.*

Audiamus iterum BARCLAIVM ita reſpondentem: *Tertium argumentum, quam ſubleſtum ſit, vel ex eo patet, quod nihil inde colligi ab auctore potuerit, quam quod ſignum ſit, ſubiectam eſſe temporalem poteſtatem ſpirituali. Suſcepit rem demonſtrandam, et ſignum tantum profert, et illud quidem non* τεκμήριον, *ſed* εἰκός *quod falſo indicio decipit. Ad argumentum igitur reſpondetur, negando conſequentiam. Quamuis enim verum ſit, principem temporalem teneri mutare regiminis modum, ſi eo impediatur bonum ſpirituale. Non tamen inde efficitur neceſſaria conſecutione, ſubiectam eſſe temporalem poteſtatem ſpirituali: ſed hoc tantum, ſpirituale bonum temporali bono eſſe praeſtantius, quod verum eſt, et nos fatemur. Non enim ſi vnum alio dignius eſt, protenus conſequitur, minus dignum a magis digno pendere, eique ſubſterni. Poſſunt namque generibus ſiue ordinibus adeo diuerſis contineri, vt neutrum ab altero pendeat, nec ſubiectionis vinculo teneatur. Concedimus itaque principem in caſu propoſito mutare debere formam politicae adminiſtrationis, et vt id faciat, ab eccleſia vel eius capite, et ſummo paſtore in terris papa cogi poſſe, ſed poenis tantum ſpiritualibus . . . non autem poenis temporalibus, qualis eſt bonorum amiſſio, regnique priuatio, quum princeps in temporalibus nullum ſuperiorem agnoſcat. Itaque quantum ad poenas attinet, diuino iudicio, et vltioni relinquendus eſt. Hinc Iſidorus, cuius ſententia inter ca-*

nones refertur CAVS. XXII. Q. V. *can.* 20. *in fin. Siue augeatur pax, et diſciplina eccleſiae per fideles principes, ſiue ſoluatur, ille ab illis rationem exigit, qui eorum poteſtati ſuam eccleſiam tradidit.*

CXXIX.

Secundum.

Secunda ratio BELLARMINI eſt ab eo *cit. loc.* §. 8. his verbis perſcripta: *Reſpublica eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, et ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem. Tales enim ſunt omnes reſpublicae bene inſtitutae. Ergo debet habere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum; ſed neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem poteſtas vtendi, et diſponendi de temporalibus rebus, quia alioqui poſſent mali principes impune fouere haereticos, et euertere religionem, igitur et hanc poteſtatem habet.*

Sed hic iterum ſumit aliquid BELLARMINVS, quod illi praecipue demonſtrandum fuerat: ſcilicet poteſtatem de rebus temporalibus diſponendi eſſe medium omnino neceſſarium ad finem eccleſiae conſequendum. Id eſſe falſum liquet; alias fateri cogimur, imperfectam fuiſſe eccleſiam prioribus tribus ſeculis, quibus papae de rebus temporalibus diſponendi poteſtatem competiiſſe ne ipſe BELLARMINVS adfirmare auſus eſt. Duas igitur iſtas ſupremas poteſtates, quibus reſpublica chriſtiana regitur, omnibus iis iuribus inſtructas eſſe, quae ad fines ſuos obtinendos cuique neceſſaria, dubio caret; ceterum quemadmodum poteſtati ciuili ad ſuum finem obtinendum non eſt neceſſaria ſpiritualis poteſtas; ita nec huic illa eſt neceſſara. *Omitto, quod ſi ratio iſtorum bona eſſet*, inquit, BARCLAIVS *cap. XVII. ſequeretur e contrario, rempublicam temporalem, vt illi loquuntur, habere poteſtatem diſponendi de rebus ſpiritualibus, et deponendi ſupremum*

mum reipublicae eccleſiaſticae principem: quia debet eſſe perfecta, et ſibi ſufficiens in ordine ad finem ſuum, et habere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem conſequendum, ſed neceſſaria eſt ad finem temporalem poteſtas diſponendi de rebus ſpiritualibus, et deponendi principem eccleſiaſticum, quia alioqui poſſent mali principes eccleſiaſtici turbare ſtatum, et quietem reipublicae temporalis, et impedire finem ciuilis gubernationis, vt de facto nonnulli ſummi pontifices aliquando perturbarunt. Igitur poteſtatem habet reſpublica temporalis. Vides ratiocinationem prorſus ſimilem, conſequentiam prorſus falſam.

§. CXXX.

Continuatur.

Pergit porro BELLARMINVS (§. 9.): *Poteſt quaelibet reſpublica, quia perfecta, et ſibi ſufficiens eſſe debet, imperare alteri reipublicae non ſibi ſubiectae, et eam cogere ad mutandam adminiſtrationem, imo etiam deponere eius principem, et alium inſtituere; quando non poteſt aliter ſe defendere ab eius iniuriis. Ergo multo magis poterit ſpiritualis reſpublica imperare temporali reipublicae ſibi ſubiectae, et cogere ad mutandam adminiſtrationem, et deponere principes, atque alios inſtituere, quando aliter non poteſt bonum ſuum ſpirituale tueri.*

Enimuero tam varie hic peccatum eſt a BELLARMINO, vt proximum vero ſit, aut totum id ex alio eum perfunctorie tranſcripſiſſe, aut eorum, quae prius ſcripſerat, non ſatis meminiſſe. Primo enim, quum paulo ante negaſſet, clericos, et laicos duas facere reſpublicas, hoc loco ipſe palam, ſed falſo, duas conſtituit. Deinde, quis iuris eius, quo liberae inter ſe gentes vtuntur, gnarus non moueatur priore huius propoſitionis parte, quae ſi vera eſſet, actum foret de humani generis tran-

quil-

quillitate, actum de libertate gentium, et tam ſancta illis aequalitate? Quod autem poſtremo ait, multo etiam magis poſſe rempublicam eccleſiaſticam imperare reipublicae temporali, *ſibi ſubiectae*, quam id eſt, quaeſo, abſonum! ſuſceperat demonſtrandam ciuilis poteſtatis ſubiectionem, qua obſtringatur eccleſiaſticae, ea probandi forma, quae, niſi id, quod probandum erat, ante ſupponas eſſe verum, robur omnino nullum habet.

§. CXXXI.

Continuatur.

Atque ita eſſe intelligendum contendit verba S. Bernardi *Lib. IV. de conſid.* Et Bonifacii VIII. *In Extrau.* Vnam sanctam *de maiorit. et obed.* S. Bernardi verba ad Evgenivm P. haec ſunt: *Quid tu denuo vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo et ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus: alioquin ſi nullo modo ad te pertinet et is, dicentibus Apoſtolis: Ecce gladii duo hic; non reſpondiſſet Dominus, ſatis eſt, ſed nimis eſt. Vterque ergo eccleſiae, et ſpiritualis gladius, et materialis; ſed is quidem pro eccleſia, ille vero et ab eccleſia exercendus eſt. Ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſane ad nutum ſacerdotis, et iuſſum imperatoris.*

Interpretem vero S. Bernardi dabo primi ſubſellii Bossvetivm *cit. op. P. II. Lib. VII. cap.* 16. Ita autem ille: *Quae vltima verba manifeſte ſpectant* Bernardi *epiſtolam* 265. *ad* Evgenivm P. *in qua quidem*

dem epiſtola de duobus gladiis eadem habet, quae in libro de conſideratione mox legimus, vt hos profecto locos eodem collimare conſtet. Iam in ea quid ageret, quaue occaſione de duobus gladiis dixerit, audiamus: Agebat autem cum EVGENIO *de magna chriſtiani exercitus ſtrage in Palaeſtina, de qua item in libris de conſideratione multis agit, ac poſtquam in epiſtola hac hanc ſtragem memorauit, haec ſubdit: Exercendus ne vterque gladius in paſſione Domini,* CHRISTO *denuo patiente, vbi et altera vice paſſus eſt, per quem omnino niſi per vos? Petri vterque eſt. Alter ſuo nutu, alter ſua manu, quoties neceſſe eſt, euaginandus:* Ac paulo poſt: *Tempus et opus eſſe exiſtimo, ambos educi in defenſionem orientalis eccleſiae. Iam ergo facile intelligis,* pergit BOSSVET, *quatenus gladius materialis non modo ſit imperatoris ſed etiam pontificis, quatenus pontificio nutu, imperatoris vero iuſſu exercetur. Si quis nutum eo ſenſu accipiat, vt imperatores, et principes ſtatim, atque pontifex arma capienda, vel nutu ſignificauerit, ea capere teneantur; is profecto nec nutum a iuſſu ſecreuit, et id adſeruit, quod neque pontifices cogitauerunt.* Tum porro; *Quod autem* GREGORIVS IX. *ac* BONIFACIVS VIII. *euangelii locum, in quo* BERNARDVS *Epiſt. 7. pie luſerit, ita vrgere videamur, vt materialem gladium proprie ac ſtricto iure ſuum eſſe defendant, id quidem, ad hoc ſtabiliendum dogma, reluctante omni antiquitate, non ſufficit: ac ſubit admirari* BARONIVM, *qui haec eorum dicta ad fidem catholicam pertinere nouo exemplo adſerit: Quum profecto conſtet, neque ad credendum propoſita, neque pro certo fidei dogmate recepta fuiſſe vnquam; maiora enim ſunt, quam vt aut vno verbo, et loco quamuis clarus eſſet, vnaque allegoria probari poſſint.* Cf. LOCHSTEIN *P. II. c.* 3. *et* BARCLAIVM *cit. tract. cap.* 18. *et* 19.

§. CXXXII.

§. CXXXII.

Tertium.

TERTIA ratio BELLARMINI eſt §. II. *Non licet*, inquit, *chriſtianis tolerare regem infidelem, aut haereticum, ſi ille conetur pertrahere ſubditos ad ſuam haereſim, vel infidelitatem; at iudicare, an rex pertrahat ad haereſim, nec ne, pertinet ad pontificem, cui eſt commiſſa cura religionis. Ergo pontificis eſt iudicare, regem eſſe deponendum, vel non deponendum.*

Verum falſum eſſe, quod ait BELLARMINVS, ſcilicet, *non licere chriſtianis tolerare regem haereticum, vel infidelem*, certiſſimum eſt; alioqui damnanda eſt tota antiquitas, quae reges haereticos, et infideles, eccleſiam deſtruere omni vi contendentes, ſubmiſſe pertulit, *non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, id eſt, non quod deeſſent vires ad exigendos impios principes, ſed quod id ſibi per legem Dei non licere iudicaret. Verum quia errorem hunc rebus publicis perniciosiſſimum alii ſatis refutarunt, non eſt, quod et confutando diutius immoremur. Videatur BARCLAIVS *cit. tract. cap.* 7. et in libris contra monarchomachos *lib. III. cap.* 6. *ſeqq.* et *lib. IV. cap.* 5. *ſeqq.* BOSSVET. *cit. loc.* GROTIVS *de I. B. et P. L. I. c.* 4. *§.* 2. *ſeqq.*

§. CXXXIII.

Continuatur.

Primum ad confirmandam hanc rationem argumentum ducit ex DEVTERONOMIO *cap. XVII.* 15. vbi, *prohibetur*, inquit, *populus eligere regem, qui non ſit de fratribus ſuis, id eſt, non iudaeum, ne videlicet pertrahat iu-*

Digitized by Google

daeos ad idololatriam. Ergo etiam chriſtiani prohibentur eligere regem non chriſtianum. Nam illud praeceptum morale eſt, et naturali aequitate nititur. Rurſum eiusmodi periculi, et damni eſt eligere non chriſtianum, et non deponere non chriſtianum, vt notum eſt: ergo tenentur Chriſtiani non pati ſuper ſe regem non chriſtianum, ſi ille conetur auertere populum a fide.

Sed videamus, ne hoc argumentum nihil probet; nobis enim hoc loco ſermo eſt de poteſtate pontificis, de qua in hoc Deuteronomii loco ne vno quidem verbulo mentio iniicitur. Deinde etſi demus, vt eſt verum, non licuiſſe Iudaeis eligere regem non fratrem, non continuo ſequitur, etiam legitime electum, aut alio modo conſtitutum, non eſſe tolerandum. Vid. BARCLAIVS *cit. tract. cap. XX.* Sane Iudaei Babylonios, Medos, Perſas, Graecos, Romanos, etſi e numero fratrum non eſſent, poſteaquam ſub eorum poteſtatem legitimo modo redacti ſunt, colere reuerenter debuerunt. Quid? Ethnicus non fuit Caeſar, cui, quae ſua ſunt, reddenda docuit CHRISTVS? Ecquis auſit dicere, deponi debuiſſe ACHAZ, MANASSEN, et alios poſt regnum adeptum ad idola delapſos, quos prophetae, ac piiſſimus quisque tanquam reges veros coluit, et obſeruauit? vid. BOSSVET. *cit. loc. cap.* 8. *ſeqq.* Nam quod D. THOMAM, quem laudat, attinet, nihil moramur, quem ab hac ſententia, quam ei tribuit vir doctus, fuiſſe alienum ipſi aduerſarii haud diffitentur. Vid. BARCLAIVM *cit. tract. cap. XXI.*

§. CXXXIV.

§. CXXXIV.

Continuatur.

Quod ſi pergit vir doctus §. 13. *Chriſtiani olim non depoſuerunt* NERONEM, DIOCLETIANVM, *et* IVLIANVM *apoſtatam, ac* VALENTEM *arianum, et ſimiles, id fuit, quia deerant vires temporales chriſtianis. Nam quod alioqui iure id potuiſſent facere, patet ex* APOST. *I. ad* CORINTH. *VI. 4. vbi iubet, conſtitui nouos iudices chriſtianis temporalium cauſarum, ne cogerentur chriſtiani cauſam dicere coram iudice Chriſti perſecutore.*

Haec quoque, quam ſine vlla ratione a BELLARMINO deſcripta ſint, facile intelligi poteſt; nam primum, quod ait, defectum virium in cauſa fuiſſe, cur chriſtiani olim imperio non exuerint NERONEM, DIOCLETIANVM, IVLIANVM, VALENTEM, et ſimiles, id falſiſſimum eſſe, dudum eſt, quod probatum fuit. Si ſapientia, et non reſiſtentia veterum chriſtianorum acerrimis imperatorum romanorum perſecutionibus agitatorum defectui virium foret adſcribenda, imprudens certe, et impudens fuiſſet TERTVLLIANVS *in ſua apolog. cap.* 37. in facie horum perſecutorum ita gloriari auſus: *Si enim hoſtes, et apertos non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſetne nobis vis numerorum, et copiarum? Plures nimirum mauri, et marcomani, ipſique parthi, vel quantocunque vnius tantum loci, et ſuorum finium gentes, quam totius orbis. Externi ſumus, et veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, ſola vobis reliquimus, templa: cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam copiis impares, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere.* APOSTOLI vero auctoritatem ad falſae ſuae ſententiae fidem faciendam allegare, neſcis

 an

an ſatis prouide a BELLARMINO factum ſit. Ecquis enim veterum docuit BELLARMINVM, iuſſiſſe APOSTOLVM eligere ſibi chriſtianos alium iudicem, coram quo in iudicio ſtarent? audi enim S. THOMAM in eum APOSTOLI locum: *Sed videtur*, inquit, *eſſe contra id, quod dicitur I.* PETRI I. *ſubditi eſtote omni humanae creaturae propter DEVM, ſiue regi tanquam praecellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis. Pertinet enim ad auctoritatem principis iudicare de ſubditis. Eſt ergo contra ius diuinum prohibere, quod eius iudicio non ſtetur, ſi ſit infidelis. Sed dicendum, quod apoſtolus non prohibet, quin fideles ſub infidelibus principibus conſtituti in eorum iudicio compareant, ſi vocentur: hoc enim eſſet contra ſubiectionem, quae debetur principibus. Sed prohibet, quod fideles non eligant voluntarie infidelium iudicium.* Quod idem THEODORETVS, et LYRANVS in eundem locum docuerunt: APOSTOLVS, inquit, *non prohibet hic fideles ſub principibus infidelibus conſtitutos comparere coram eis, quando vocantur. Hoc enim eſſet contra ſubiectionem, quae principibus debetur; ſed prohibet, ne voluntarie recurrant ad iudices infideles in illis negotiis, quae determinari poſſunt per fideles tanquam arbitros.* vid. VAN-ESPEN *in iur. eccleſ. vniu. p. I.*

§. CXXXV.

Continuatur

Praeterea, inquit §. 14., *tolerare regem haereticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad ſuam ſectam, eſt exponere religionem euidentiſſimo periculo. Qualis enim rector eſt ciuitatis, tales et inhabitantes in ea.* ECCL. *X.* 2. *Vnde eſt illud: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Et experientia idem docet. Nam quia* HIEROBOAM *rex idololatra fuit, maxima etiam regni pars continuo idola colere coepit. III.* REG. *XII.* 30. *et poſt Chri-*

ſti

ſti aduentum regnante Constantino *florebat fides chriſtiana — —* Poſt concludit §. 15. *At non tenentur chriſtiani, imo nec debent cum euidenti periculo religionis tolerare regem infidelem. Nam quando ius diuinum, et ius humanum pugnant, debet ſeruari ius diuinum omiſſo humano. De iure autem diuino eſt, ſeruare veram fidem, et religionem, quae vna tantum eſt, non multae. De iure autem humano eſt, quod hunc aut illum habeamus regem.*

Elegantiſſime totum: quidquid eſt huius argumenti, eneruauit Barclaivs *cit. tract. cap. XXII.* cuius, vt fecimus ſaepius, verba adſcribere operae pretium eſt. Poſteaquam is vitium in ratiocinando oſtendiſſet, tum ita pergit: *Sed vt aliquid ei largiamur, demus eum optima forma ratiocinationem confeciſſe, et ad vim argumenti reſpondeamus. Dico igitur, propoſitionem eius falſam eſſe, dico, inquam, non verum eſſe, quod tolerare regem haereticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad ſuam ſectam ſit exponere religionem euidentiſſimo periculo, ſed eſt tantum pati religionem verſari in periculo, in quod incidit vitio regis haeretici, aut infidelis, et cui iam ſine culpa populi expoſita eſt, quum nullum eius liberandae iuſtum, et legitimum remedium, praeter conſtantiam, et tolerantiam populo ſuperſit. Hoc autem chriſtianis vitio verti non poteſt, niſi eadem opera priſcos illos patres, et chriſtianos omnes acriter incuſemus, qui* Constantio, Ivliano, Valenti, *et aliis catholicae religionis deſertoribus, quod imperium legitime eſſent adepti, ſine vlla tergiuerſatione, aut minimo rebellionis indicio ſubmiſſe paruerunt. . . Iam vero ad illud, quod deducit ex pugna iuris diuini, et humani, reſpondeo breuiter, illum valde falli in eo, quod putet eſſe, ibi concurſum, et conflictum diuini, et humani iuris; non ſunt enim pugnantia ſeruare veram fidem, et religionem, et tolerare*

 regem

regem haereticum, vel infidelem, nec alterum de iure diuino eſt, alterum de iure humano, vt ille putat. Sed ſunt duo praecepta iuris diuini, colere DEVM vera religione, et ſeruire, atque obedire regi, quae ſimul ſeruari et expleri poſſunt, ac debent... atque ita reddere CAESARI, *quae ſunt* CAESARIS, *et quae ſunt DEI, DEO.*

§. CXXXVI.

Continuatur.

Supereſt poſtremum eius argumentum, quod ſubtili interrogatione proponit §. 16. *Denique cur non poteſt liberari populus fidelis a iugo regis infidelis, et pertrahentis ad infidelitatem, ſi coniux fidelis liber eſt ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge chriſtiana ſine iniuria fidei? vt aperte deducit ex* PAVLO *I. ad* CORINTH. *VII.* 15. INNOCENTIVS *III. cap.* GAVDEMVS 8. *de diuortiis. Non enim minor eſt poteſtas coniugis in coniugem, quam regis in ſubditos, ſed aliquando etiam maior.*

Hoc quoque argumentum belle diſſoluit eruditiſſimus BARCLAIVS *cit. tract. cap. XXIII.* cuius quum ſit reſponſio paulo vberior, in pauca contraho: ita vero ait: aut BELLARMINVS loquitur *(a)* de coniugibus, qui, quum eſſent ambo fideles, matrimonium contraxerunt, et alter ad haereſim, vel infidelitatem poſtea delapſus eſt; aut de coniugibus *(b)* ethnicis, et infidelibus, quorum alter ad fidem chriſtianam converſus eſt, altero pertinacius in ſuam ſuperſtitionem paganicam incumbente. Quod ſi de prioribus argumentum intelligit, male, inquit, auctorem laudat INNOCENTIVM, qui de tali coniugio non modo nullam in dicto capitulo mentionem facit, ſed et aperte con-

coniugem liberari negat in *cap. 7. de diuort.* Si vero de poſterioribus coniugibus papam capiendum ducit, ipſe INNOCENTIVS reſponſum ſubminiſtrat. Quid enim mirum eſt, liberari coniugem conuerſum, quum et, ſi vterque in infidelitate permanſiſſet, mutuo diſſenſu diſſolui matrimonium potuiſſet? Quare adparet totum hoc argumentum aut probare contra ipſos aduerſarios, ſi priorem cauſam ſumis, aut ſi in poſteriore perſiſtas, nihil omnino aduerſus hanc noſtram ſententiam ex eo colligi.

§. CXXXVII.

Quartum.

Eſt autem haec his verbis ab eo deſcripta §. 17. *Quando reges, et Principes ad eccleſiam veniunt, vt chriſtiani fiant, recipiuntur cum pacto expreſſo, vel tacito, vt ſceptra ſua ſubiiciant Chriſto, et polliceantur, ſe Chriſti fidem ſeruaturos, et defenſuros, etiam ſub poena regni perdendi. Ergo, quando fiunt haeretici, aut religioni obſunt, poſſunt ab eccleſia iudicari, et etiam deponi a principatu, nec vlla eis iniuria fiet, ſi deponantur.*

Grauiter VEREMVND de LOCHSTEIN *in ſuo tractatu:* Gründe ſowohl für, als wider die geiſtliche *Immunität* in geiſtlichen Dingen. *c.* 3. *§.* 7. Woher, inquit, nimmt wohl Bellarmin. den Beweis für ſein geträumtes Pactum, oder Vertrag, vermög deſſen ein Regent, ſo bald er in den Schos der Kirche trit, ſich und ſeinen Staat dem Oberhaupte derſelben auch in zeitlichen Dingen vollkommen unterwirft? geſchieht dies Pactum in der Taufe, oder bey ſeiner Krönung? Nirgends wo. Soll es aber ein ſtillſchweigendes Pactum heiſſen, ſo müßte es in der Natur und Weſenheit der chriſtlichen Religion ge-

gegründet ſeyn. Nun haben wir aber bewieſen, daß das Reich Chriſti nicht von dieſer Welt iſt, und Chriſtus Jeſus alle weltliche Herrſchaft von ſeiner Kirche ausgeſchloßen. (§. 4.) Folglich iſt das vorgebliche ſtillſchweigende Pactum nicht in der Natur, und Weſenheit der chriſtlichen Religion gegründet. Eſt iſt daher ein bloßes Hirngeſpinnſt, eine Chimäre der neuern Canoniſten, welche der Kirche Gottes ſo viele Jahrhunderte hindurch unbekannt geweſen. Et §. 8. ita pergit: Der ganze Grund, auf welchen die Canoniſten ihre ſeltſame Lehre von der zeitlichen Gewalt der Päbſte über die weltlichen Fürſten bauen, ruhet auf einer Zweydeutigkeit und Verwirrung der Begriffe. Die chriſtlichen Fürſten, ſagen ſie, ſind eben ſowohl Kinder der Kirche, als alle andere gemeine Gläubigen. Nun ſind dieſe insgeſammt der Gewalt der Kirche und des Pabſts unterworfen: Folglich müßen es auch die Fürſten ſeyn. Die Antwort und Diſtinction darauf iſt ganz leicht: Die Fürſten und alle andere Gläubige ſind als Kinder der Kirche dem Pabſte unterworfen in geiſtlichen Dingen, das iſt, was den Glauben, die Geheimniße und Sitten in Abſicht auf die Religion angeht: in ſo weit iſt der Schluß durchaus wahr. In blos zeitlichen Dingen aber, in Abſicht auf die menſchliche und bürgerliche Geſellſchaft, ſind weder die Fürſten, noch andere Gläubige der Kirche und dem Pabſte unterworfen ꝛc.

§. CXXXVIII.

Quintum

Quinta, et poſtrema ratio eſt ex cura, et officio paſtorali deducta. *Quum* PETRO *dictum eſt*, inquit, PASCE OVES, IOAN. *vlt.* 17. *data eſt illi facultas omnis, quae eſt paſtori neceſſaria ad gregem tuendum: at paſtori neceſſaria eſt poteſtas triplex: nimirum* VNA *circa lupos, vt eos arceat omni ratione, qua* *po-*

poterit: ALTERA *circa arietes, vt ſi quando cornibus laedant gregem, poſſit eos recludere, et prohibere, ne gregem vlterius praecedant.* TERTIA *circa oues reliquas, vt ſingulis tribuat conuenientia pabula. Ergo hanc triplicem poteſtatem habet ſummus pontifex.*

Atque haec quidem vera ſunt omnia, fateor, ſed et ſimul ita comparata, vt eius, quod vult BELLARMINVS, oppoſitum colligi ex iis poſſit. CHRISTVS enim, dum commendat oues ſuas PETRO, dedit vtique ei omnem poteſtatem neceſſariam ad tuendum gregem; non autem dedit poteſtatem temporalem: vt ipſe fatetur BELLARMINVS *cap.* 6. quo duas iſtas poteſtates tempore apoſtolorum ſeparatas fuiſſe docuit; poteſtas igitur temporalis ad tuendum gregem non eſt neceſſaria. Quo fundamento ſublato nihil neceſſe eſt, cur explicandis tribus argumentis ab eo §. 19. 20. 21. deductis immoremur, praecipue cum eis ita a BARCLAIO *Cap. XXV. ſeqq.* ſatisfactum ſit, vt adhuc nemo quidquam ſani ei opponere potuerit.

§. CXXXIX.

Sextum.

Atque hae ſunt omnes BELLARMINI rationes, quibus *lib. V. de rom. pontifice cap. VII.* ſuam de romani pontificis temporali poteſtate ſententiam tueri adgreſſus eſt. Reliquum nobis erat examinare facta, quorum plura *eiusdem libri cap. VIII.* recenſet. Velut illud OZIAE regis ex *II.* PARALIP. *XXVI. ſeqq.* ATHALIAE *II.* PARALIP. *XXIII.* 11. *ſeqq.* S. AMBROSII ex THEODORETO *Lib. V. hiſt.* cap. 17. GREGORII I. tum porro GREGORII II. ZACHARIAE. Demum LEONIS III.

Digitized by Google

GREGORII V. et GREGORII VII. Poſtremo denique INNOCENTII III. et IV. atque CLEMENTIS VI. quoniam tamen inſtituti rationem iam nunc prope neglеximus, ac praeterea nullum eorum ſit, quod defenſorem ſuum non habeat, veniam ſpero daturos aequos lectores, ſi perfecto ab aliis cum laude negotio ſuperſedere conſtituimus.

Fortaſſe haud inepte huc transferri poſſet, quod de illicitis olim diſpenſationibus ſcripſit IOAN. DE TVRRECREMATA. *Quod ſi ita aliquando fuerat factum per aliquem ſummum pontificem, aut ignarum in litteris diuinis, aut excoecatum cupiditate pecuniarum, quae pro talibus exorbitantibus diſpenſationibus ſolent offerri, aut, vt complaceret hominibus: non ſequitur, quod potuerit iuſte facere: eccleſia iuribus, et legibus regitur, ſiue debet regi, non talibus actibus, ſiue exemplis.* Ceterum, vt ne deſit auditoribus meis, vnde, quid de vnoquoque eorum ſentiendum ſit, diſcant, iuuerit auctores indicare, quos conſulant. De OZIA rege vid. BOSSVET. *P. II. Lib. V. cap.* 12. et BARCLAIVM *cap.* 37. De ATHALIA eundem BOSSVETVM ibid *cap.* 11. et BARCLAIVM *cap.* 38. De S. AMBROSII cum THEODOSIO geſtis BOSSVET. *lib. VI. cap.* 5. BARCLAIVM *cap.* 39. LOCHSTEIN. *cit. loc.* De GREGORII I. priuilegiis, BOSSVET. *Lib. VI. cap.* 9. et 10. BARCLAIVM *cap.* 39. in fin. GREGORIVM II. nihil in imperatorem haereticum mouiſſe docuit BOSSVET. *Lib. VI. cap.* 12. *ſeqq.* BARCLAIVS *cap.* 40. ZACHARIAM pontificem in obſequio perſtitiſſe euicit BOSSVET. *cit. lib. cap.* 19. BARCLAIVS *cap.* 41. et generatim de reliquis, quibus BELLARMINVS innititur, nunquam ſatis laudandam praeſtitit operam laudatiſſimus BOSSVETVS *lib. VII. cit. operis*, quem quisque vt et priores duos, quisquis harum rerum intelligendarum ſtudio tenetur, diligenter legat, vehementer auctor ſim. Sunt enim alia non pau-

ca,

ça, quae SANDERVS, quaequae alii congeſſerunt, quorum nihil a duumuiris his eſt praetermiſſum. Haec ſatis ſunto.

§. CXL.
Huius noſt. ſent. patroni.

Eſt autem haec a doctiſſimis non Galliae modo, ſed et Germaniae noſtrae ſcriptoribus ſatis probata ſententia, quorum omnium inire numerum nunc ſuperſedeo, ne ſim, quam oporteat, longior.

Paucos eosque praecipuos indicabo. LVDOVICVS ELIAS DVPINIVS *de antiq. eccleſ. diſcipl. diſſ. VII.* NATALIS ALEXANDER *hiſt. eccleſ. ſecul. XVII. diſſ. V.* IACOBVS BENIGNVS BOSSVETVS *in defenſ. declarat. cleri. gallic. p. II. lib. IV.* MAIMBVRGVS *traité hiſt. de l'etable. prer. de l'egliſ. de rom. CXXVI.* FACVLTAS PARISIENSIS omnis, vt patet ex cenſura in librum ANTONII SANCTARELLI *de haereſi, ſchiſmate, apoſtaſia*, lata die IV. April. A. 1626. quam integram retulit BOSSVETVS *cit. loc. p. II. lib. IV. cap. IV.* Quin et OMNIS CLERVS GALLICANVS in conuentu celebrato A. 1682. eam, quam modo deſcripſimus, de eccleſiaſtica poteſtate ſententiam, probauit his verbis: *Primum* BEATO PETRO *eiusque ſucceſſoribus* CHRISTI *vicariis, ipſique eccleſiae rerum ſpiritualium et ad aeternam ſalutem pertinentium, non autem ciuilium, ac temporalium, a* DEO *traditam poteſtatem dicente* DOMINO REGNVM MEVM NON EST DE HOC MVNDO: *et iterum*: REGNVM NON EST HINC: REDDITE ERGO, QVAE SVNT CAESARIS, CAESARI: ET QVAE SVNT DEI, DEO. *Ac proinde ſtare apoſtolicum illud*: OMNIS ANIMA POTESTATIBVS SVBLIMIORIBVS SVBDITA SIT. NON EST ENIM POTESTAS NISI A DEO: QVAE AVTEM SVNT, A DEO ORDINATAE SVNT. ITAQVE QVI POTESTATI RESISTIT,

DEI

DEI ORDINATIONI RESISTIT. *Reges ergo et principes in temporalibus nulli eccleſiaſticae poteſtati* DEI *ordinatione ſubiici, neque auctoritate clauium eccleſiae directe, vel indirecte deponi, aut illorum ſubditos eximi a fide, atque obedientia, ac praeſtito fidelitatis iuramento ſolui poſſe, eamque ſententiam publicae tranquillitati neceſſariam, nec minus eccleſiae, quam imperio vtilem, vt verbo* DEI, *patrum traditioni, et ſanctorum exemplis conſonam omni modo retinendam.* Adde *tractatum* von dem Recht des Landesfürſten die geiſtlichen Güter zu beſteuren a ME iam A. 1765. idiomate germanico conſcriptum, et poſtea a filio meo IOS. ANT. DE RIEGGER Friburgi editum. Conferatur inſuper *ſupracit. tract.* VEREMVND LOCHSTEIN.

CAPVT IX.

DE HIERARCHIA.

§. CXLI.

Hierarchia definitur.

Quod eſt in ciuitate maieſtas, id in eccleſia eſt HIERARCHIA, quam definire licet, quod ſit *poteſtas a Chriſto ſuis apoſtolis et diſcipulis, ac eorum ſucceſſoribus legitimis eum in finem collata, vt eccleſiam regant, et diuina religionis myſteria in ea celebrent et diſpenſent.*

S. DIONYSIVS, vel quisquis demum ſit auctor tractatus *de coeleſti hierarchia*, eam definit, quod ſit, *ordo ſeu ordinatio comprehendens ſub ſe diuerſos gradus.* IOAN. GERSON. *de poteſt. eccleſ. conſid. I.* eam finit *poteſtatem, quae a* CHRISTO *ſu-*

per

pernaturaliter et ſpiritualiter collata eſt ſuis apoſtolis, et diſcipulis ac eorum ſucceſſoribus legitimis vsque ad finem ſeculi ad aedificationem eccleſiae ſecundum leges euangelicas pro conſecutione felicitatis aeternae. Auctores, qui de hierarchia egerunt, multi illi quidem ſunt, ſed non omnes eadem eruditione, ac doctrina commendandi. Eminent prae caeteris Dion. Petavivs, Alb. Pighivs, Ioan. Dartis.

§. CXLII.

Diuiditur.

Theologi et canoniſtae duas ſtatuere ſolent hierarchiae ſpecies, *ordinis* ſeu *miniſterii*, et *regiminis* ſeu *iurisdictionis*. Scilicet, quos Chriſtus *paſtores* et *rectores* eccleſiae conſtituit, eosdem *miniſtros* et *diſpenſatores miſteriorum Dei I. ad Cor. IV.* 1. eſſe voluit, quorum ſummum et praecipuum cum in euchariſtia contineatur, ideo multi hierarchiam ordinis ad ſolam poteſtatem conficiendi euchariſtiae ſacramentum, et circa iſtud miniſtrandi reſtringunt.

Veteribus ignota fuiſſe videtur haec diſtinctio, quibus vocabula *ordo*, *gradus*, *poteſtas*, *iurisdictio* vnum idemque ſignificant. Vid. Bingham. *orig. eccles. vol. I. lib. II: cap. I. §. I.*

§. CXLIII.

Idem.

Denique hierarchiam regiminis in duas formas iterum diſpeſcunt, quatenus *eccleſiae regimen* vel *internum* eſt vel *externum*. Iſtud conſiſtit in poteſtate erudiendi et perficiendi popu-

populum fidelem pro doctrina et ſacramentorum adminiſtratione, et purgandi per baptiſmi et poenitentiae ſacramenta. Qua in re doctoris et medici officia cernuntur. Hoc conſiſtit in poteſtate eccleſiam regendi per leges, iudicia et poenas ſpirituales, quod magis paſtorum et rectorum officium eſt.

§. CXLIV.

Vnde fidelium in clericos et laicos diuiſio.

Itaque duplex perſonarum genus in eccleſia exiſtit. Sunt enim, qui eam regunt, et diuina myſteria diſpenſant; ſeu *clerici* ſunt, qui reguntur, et queis bona ſpiritualia diſpenſantur; ſeu *laici* vid. *can. 7. XII. q. I.*

Quidam acatholici hanc *diſtinctionem nominum* ab initio in eccleſia inauditam, et nouam plane eſſe, atque ab ambitione clericorum ſeculi tertii, cum antea omnes chriſtiani clericorum titulo adpellabantur, profectam aiunt. Alii vlterius progreſſi ſunt, qui non nomina tantum clericorum et laicorum; ſed et *officia* inter ſe confundunt, quaſi omnes et ſinguli chriſtiani eodem iure et pari ratione ſacerdotes eſſent. Sed iſtos omnes praeter Petrvm de Marca *diſſertat. de diſcrim. cler. et laic.* ipſe quoque Ios. Bingham. *loc. cit. lib. I. cap. V.* ſatis refutauit.

§. XLV.

Ordines.

Clericorum eſt, hierarchiam exercere, cuius varia ſunt munia: igitur et iura officiaque clericorum diuerſa ſunt; nobiliora aliis

alia,

alia, vnde graduum diuerſitas, et ſubordinatio naſcitur. Diuerſi clericorum gradus in exercenda hierarchia *ordines* adpellantur, quorum alii ſunt iure diuino inſtituti, alii iure eccleſiaſtico, et quidem tam ordinis, quam iurisdictionis hierarchiae ratione.

§. CXLVI.

I.) Hierarchiae miniſterii 1.) ex iure diuino.

Reſpectu hierarchiae ordinis iure diuino nituntur 1.) *Epiſcopatus* Act. apost. *XX.* 28. qui eſt ordo, ex inſtitutione diuina habens poteſtatem conferendi ſacramenta confirmationis et ordinationis, regendique eccleſiam 2.) *presbyteratus* Lvc. *XXII.* 19. Ioan. *XX.* 22. 23. ſeu ordo, cui competit poteſtas conſecrandi corpus Chriſti, et peccata remittendi 3. *Diaconatus* Act. apost. *VI.* 3. *XXI.* 8. *ad* Philipp. *I.* 1. *I. ad* Tim. *III.* 8. id eſt, poteſtas miniſtrandi ad altare, baptizandi, et praedicandi. *Si quis dixerit, in eccleſia catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quae conſtat ex epiſcopis, presbyteris, et miniſtris anathema ſit.* Conc. Trident. *ſeſſ. XXIII. can.* 6. *de ſacr. ordin.*

Non ignoro huic concilii tridentini canoni aduerſum videri proteſtantibus S. Hieronymvm *in comment. in epiſt.* ad Titvm *tom.* 3. *col.* 104. vbi ita ſcripſit: *idem eſt ergo presbyter, qui et epiſcopus, et in epiſt. LXXXV.* id Evragivm, *Audio quendam* (verba ſunt Hieronymi) *in tantam erupiſſe vecordiam, vt diaconos presbyteris*, id eſt, *epiſcopis anteferret.* Et vero in eccleſia, quae apoſtolorum aetate, et paulo poſt fuit, nullum epiſcopum inter

ter et presbyterum diſcrimen fuiſſe. CLAVD. SALMASIVS, et DAVID BLONDELLVS editis ſcriptis demonſtrare adlaborarunt: ſed vtrique ſolide, copioſeque reſpondit, veterumque loca, quae videri poſſent contraria, omnia elegantiſſime interpretatus eſt vir ſummus DIONYSIVS PETAVIVS in libris *de hierarchia eccles. editis in tom. IV. theol. dogmat. Antwerpiae de an.* 1700.

§. CXLVII.

2.) *Ex iure eccleſiaſtico.*

Iure eccleſiaſtico his ſuperadditi ſunt 1.) *Subdiaconatus*, 2.) *oſtiariatus*, 3.) *lectoratus*, 4.) *exorciſtatus*, 5.) *acolytatus*, qui omnes ad miniſterium altaris et euchariſtiae ſacramenti pertinent. *Ab ipſo eccleſiae initio ſequentium ordinum nomina, atque vniuscuiusque eorum propria miniſteria*, SVBDIACONI ſcilicet, ACOLYTI, EXORCISTAE, LECTORIS, et OSTIARII *in vſu fuere*. CONCIL. TRIDENT. *ſeſſ. XXIII. cap.* 2.

Quamquam enim horum omnium nominum altum in actis apoſtolorum atque epiſtolis eſſe ſilentium haud diffitear, neque ea aut ex libris conſtitutionum apoſtolicarum, aut ex S. IGNATII ea, quae eſt ad Antiochenos ſcripta *epiſtola* indubitate probari poſſe putem, propterea, quod et eos libros non genuinos, et hanc multis ſuſpectam eſſe epiſtolam ſciam; nihil tamen quidquam impedit, quo minus TERTVLLIANI ſcriptoris ſeculi II. auctoritatem ſequamur, qui in lib. *de praeſcript. cap.* 41. carpens haereticorum leues, atque temerarias ordinationes: *Itaque alius hodie epiſcopus*, inquit; *alius cras: hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus* S. CYPRIANVS etiam hypodiaconi meminit *lib. III. epiſt.* 22. in qua ad presbyteros, et diaconos ita ſcribit: *Feciſſe me*

ſcia-

ſciatis lectorem Satvrvm: *et hypodiaconum* Optatvm *confeſſorem, quos iam pridem communi conſilio clero proximos feceramus.* His Cypriani temporibus ſcripta eſt egregia illa Cornelii P. epiſtola, quam integram ad nos transmiſit Evsebivs *lib. VI. hiſt. eccleſ. cap.* 43. in qua adfirmat, fuiſſe in eccleſia romana praeter ſuperiores ordines, *ſubdiaconos ſeptem, quadraginta duos acolythos, exorciſtas autem, et lectores quinquaginta duos.* Quumque haec ſcribat Cornelivs medio fere tertio ſeculo, et haec ſcribat de eccleſia ſua, qualis tunc erat, omnis innouationis iam inde ab apoſtolicis temporibus inſolens, manifeſtum eſt, minores iſtos ordines iam olim, et ab ipſa vsque origine floruiſſe. Vid. Berti *de theolog. diſcipl. tom. VIII. lib.* 36. *cap. II. prop.* 1.

§. CXLVIII.

Hi ordines in maiores et minores diuiduntur.

Praeterea omnes iſti ordines in *maiores* ſeu *ſacros*, et *minores* diuiduntur. *Sacros autem ordines dicimus diaconatum ac presbyteratum; hos ſiquidem ſolos primitiua legitur eccleſia habuiſſe.* Vrbanvs II. *in concil. benevent. an.* 1091. *can. I.* a ſeculo tamen XII. *ſubdiaconatus* etiam inter ſacros ordines computari coepit. *cap.* 9. *de aetat. et qual. ord. praefic.* Concil. Trident. *ſeſſ. XXIII. cap.* 2. Reliqui omnes minoribus adcenſentur, quos inter et maiores haec eſt praecipua quaedam differentia, quod hi ſtabilitatem inducant in ſtatu clericali, praecluſo aditu ad vitam laicalem, qui in minoribus conſtituto adhuc patet.

Digitized by Google

§. CXLIX.

Ordines II.) hierarchiae iuriſdictionis 1.) ex iure diuino.

Ratione hierarchiae iuriſdictionis iure diuino inſtitutus eſt, 1.) *Primatus* S. Petri eiusque ſucceſſorum in vniuerſa eccleſia 2.) *epiſcopatus* reliquorum apoſtolorum eorumque ſucceſſorum. Id quod ex his, quae iam praedicta ſunt, ſatis intelligi poteſt.

§. CL.

2.) *Ex iure humano.*

Sicut autem S. Petro eiusque ſucceſſoribus primatus *iure diuino* competit ad vnitatem eccleſiae conſeruandam: ita multiplicatis epiſcopis, et per totum orbem diſperſis neceſſarium eccleſiae videbatur, vt vnum aliquem inter multos epiſcopum reliquorum praeſulem conſtitueret, eique certam poteſtatem ac priuilegia in vtilitatem publicam conferret. Inde deſcendit epiſcoporum poteſtatem ex inſtitutione aequalem habentium, quae ad *exercitium* poteſtatis eccleſiaſticae *iure humano* introducta inaequalitas utique introduci potuit, cum ordo et vnitas et bonum eccleſiae eam poſtulauerint.

§. CLI.

Quo pertinent a) Patriarchae.

Primum inter epiſcopos alias aequales gradum iure eccleſiaſtico obtinent 1.) *patriarchae* ſeu ex vocis huius graecae interpretatione *ſummi patres can.* 1. *diſſ.* 21. qui prouinciis

ciis pluribus et earum archiepiſcopis praeſunt. Dignitas haec, quae dudum ante concilium NICAENUM I. vſu et conſuetudine inualuit, per *concilium* CONSTANTINOPOLIT. *I. can.* 2. *Ephefin. I. act.* 7. *in decret. de epiſcop. Cypr. et Chalcedonens. act. I.* firmata fuit, licet nomen patriarcharum primum in ſynodo chalcedonenſi vſurpatum fuerit.

CLII.

b) Primates.

His ſuccedunt 2.) *primates*, qui poſt publicatam Pſeudo - Iſidori collectionem diſtinctum in hierarchia eccleſiaſtica gradum faciebant. Antea enim et patriarchae et archiepiſcopi primates vocati ſunt, et illi quidem ſatis diſtincte *primates dioeceſeon Concil. chalcedon. can.* 9. 19. quod Iſidorus non intellexit forſitan, adeoque inter patriarchas et metropolitanos, primates intermedios ſubſtituit, iisque archiepiſcopis hunc titulum adplicandi occaſionem dedit, queis in eccleſia occidentali poteſtatis patriarchalis exercitium aliquando delegari ſolebat, vt illam in alios archiepiſcopos vice pontificis romani tanquam occidentis patriarchae explicarent.

PETRI DE MARCA *diſſert. de primat. lugdunenſ.*

§. CLIII.

c) Archiepiſcopi ſeu metropolitani.

Sequuntur 3.) *archiepiſcopi* ſeu *metropolitani*, qui in qualibet prouincia epiſcopis praeſident: praeſidere autem reliquis in pri-

maeua eccleſia iubebatur ille, qui epiſcopatum tenebat, in prouincia metropoli, vnde ipſum metropolitani nomen deſcendit *can.* 2. *IX. q. III.* Horum origo eſt antiquiſſima, etſi non apoſtolis coaeua, ſeculo tamen ſecundo poſt Chriſtum natum adſcribenda.

BINGHAM. *loc. cit. lib. II. cap.* 16.

§. CLIV.

Omnium ordinum fons eſt epiſcopatus.

Omnes autem ordines vtriusque hierarchiae *epiſcopatus* eminenter continet, *qui reliquorum ordinum fons eſt, et origo, et ſacerdotum apex.* Nam vtramque hierarchiam totam Chriſtus apoſtolis conceſſit, ab his eadem tota in epiſcopos translata eſt.

Diſerte id adferit S. HILARIVS eorum auctor commentariorum in PAVLVM, qui olim AMBROSIO adſcribebantur in *epiſt. ad Ephes. c.* 4. *In epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus ſacerdos eſt:* id eſt, *princeps ſacerdotum, et propheta, et euangeliſta, et ad cetera adimplenda officia eccleſiae in miniſterio fidelium.* Pulchre iſtud docuit antiquitatum eccleſiaſticarum peritiſſimus THOMASINVS *de vet. et nou. eccleſ. diſcipl. p. I. lib. I. c. I. et* 2.

SEC-

SECTIO II.

DE

PRINCIPIIS

IVRIS ECCLESIASTICI.

Digitized by Google

CAPVT I.

DE IVRE ECCLESIASTICO EIVSQVE PRINCIPIIS GENERATIM.

§. CLV.

Ius eccleſiaſticum definitur.

In eccleſia dantur plurimae, eaeque variae leges, quod ex hactenus dictis haud difficile quiuis perſpiciet. Inde oritur *ius eccleſiaſticum*, quod alias etiam *diuinum*, *ſacrum*, *canonicum*, et *pontificium* adpellatur, atque eum *legum eccleſiaſticarum complexum*, ſeu *ſyſtema*, tum ipſam eorundem *ſcientiam deſignat*. Atque haec IVRISPRVDENTIA *eccleſiaſtica* eſt *habitus leges eccleſiaſticas interpretandi, iisque caſus obuenientes adplicandi.*

Vid. Io. DOVIAT. *in praenot. iur. can. Lib. I. cap. I.*

Digitized by Google

§. CLVI.

Diuiditur.

Iuris huius diuiſiones quod attinet, eae quidem ex variis legibus eccleſiaſticis a quouis in ordinem redigi poſſunt, nos praecipuas ſolum hic dabimus. Diuiditur 1.) in *diuinum*, idque vel *ſcriptum* vel *traditum*, et *humanum*, quod cum modo per totam eccleſiam auctoritatem ſuam exerat, modo intra limites alicuius regni vel prouinciae contineatur. Vel *vniuerſale* eſt, vel *particulare* 2.) in *publicum*, et *priuatum*; eſt enim eccleſia ſocietas inaequalis, cuius ſtatum publicum Chriſtus ipſe ordinauit, formamque ſacri regiminis praeſcripſit, vt vel ex hoc ſolo adpareat, quam inepti ſint illi, qui in quaeſtionibus iuris eccleſiaſtici publici ad ſolas ſuas decretales confugiunt; ſed et illud iam intelligitur, quam ſumme neceſſarium ſit ius hoc publicum tota, vt aiunt, opera addiſcere, illudque fundamenti loco prae oculis ſemper habere.

Iuris eccleſiaſtici particularis germaniae principia ante aliquot annos a me edita, iam denuo emendaui, atque recudi curaui. *Iuris* autem *eccl. Hungariae p. II.* paucis abhinc menſibus in lucem data eſt. *De neceſſitate ſtudii iuris eccleſiaſtici publ.* elegantiſſimam praeluſionem conſcripſit Filius meus Ios. Ant. de Riegger *profeſſor iur. can. Friburg.* quamque auctam, et emendatam opuſculis ſuis inſeruit. Ibidem invenies orationem inauguralem *de Amoenitate ſtudii iuris eccleſ.* cum ius eccleſiaſticum in Caeſar Reg. collegio thereſiano explanare aggrederetur.

§. CLVII.

§. CLVII.

Differt a theologia.

Cum iuriſprudentia eccleſiaſtica *Theologia*, ſiue *dogmatica*, ſiue *moralis* commiſcenda haud eſt. Illa enim in explicandis legibus *credendorum* verſatur, iſta *agenda*, et officia hominis chriſtiani pertractat cum relatione ad forum ſolum internum. Ius autem noſtrum in legibus et iuribus eccleſiae catholicae interpretandis, quatenus iſta ad forum praecipue externum ſpectant occupatur.

Equidem multas quaeſtiones dogmaticas, et theologicas hinc inde immiſcere noſtris ad ius canonicum inſtitutionibus placuit, easque et fuſius aliquando explicare. Sed perditiſſimi ſeculi conditio id exigere nobis videbatur. Quantus enim eſt illorum numerus, qui ſatis ſe doctos, et gloriam quoque aucupari ſe putant, ſi vniuerſae religioni, quam ignorabant, hactenus impudenter inſultare didicerint. Omnes autem intelligunt de iſtis auditoribus meis, qui ſcientiis theologicis ſe dederunt, ſermonem mihi nullum eſſe.

§. CLVIII.

In iure eccleſ. neceſſaria ſunt principia.

Scientia eſt: habitus adſerta ſua demonſtrandi: demonſtraſſe autem veritatem tum videmur, quando ea ex principiis certis, atque evidentibus nexu quodam perſpicuo deducta eſt; quia igitur iuriſprudentia eccleſiaſtica eſt ſcientia, dubium nullum eſt, quin propoſitiones in ea omnes, niſi imponere nobis velimus, demonſtrandae ſint.

Quando autem veritates in iurisprudentia eccleſiaſtica demonſtrandas eſſe dico, non is mihi animus eſt, vt mathematicis vſitatam illam ſeu rigoroſam demonſtrationem principiis rationis lumine cognitis exigam. Hoc, qui in illis diſciplinis requirunt, nae illi mihi ſcepticiſmo quam proxime eſſe videntur. Id vnum volo, propoſitionum veritatem non in auctorum ita ſentientium numero ſitam eſſe, quae ſcholaſticorum fere methodus eſt, ſed in principiorum, quibus innituntur, firmitate. Equidem auctoritatem omnem humanam contemnere ſuperbum eſt; ſed et ieiuni animi teſtimonium eſt, et neſcio, an temerarii, relictis rationibus, auctoritatem vnam ſequi. Hinc illa ſententiarum varietas, quae opprimit magis, quam adiuuat veritatem.

§. CLIX.

Ea, quae ſint inquirendum.

Hoc igitur datum nobis negotii putemus, vt quae ſint ea, quibus iuris noſtri prudentia innititur, principia paucis quidem, vt inſtitutionum ratio fert, ſed quantum ſatis eſſe poſſit, explicemus.

Ego enim ita ſentio, omnibusque, qui me audiunt, auctor ſum, nullam vt ſibi propoſitionem veluti certam putent, niſi quam ſuis e principiis ſatis probatam peruiderint. Hoc ſi diligenter, atque adcurate obſeruarent omnes (et quidni facimus) incredibile dictu eſt, quot opiniones eliminandae ſint, quae poſteaquam demiſſae in animum ſunt, et iuſtitiam peruertunt, et pietatem. Caueamus igitur ſcopulum tot infamen naufragiis, et exiſtimemus non maius, quam rationi, quae adfertur ſententiae pondus ineſſe.

§. CLX.

Digitized by Google

§. CLX.

Ex varietate legum eccleſiaſticarum.

Religionis naturalis praecepta immutabilia, et ordine, cognitioneque prima (ſup. §. 9.) ex iure naturae haurienda ſunt. Leges diuinae poſitiuae in ſacra ſcriptura (ſup. §. 42. ſeq. §. 50. ſeq.) et traditione diuina (ſup. §. 53. ſeq.) continentur, cuius interpretes, et teſtes fidiſſimi ſunt ſancti patres. Dein canones ab eccleſiaſtica poteſtate propoſitos in conciliis, et conſentiente praeſulum doctrina inueniuntur, magnaque illorum pars ab eccleſiae capite romano pontifice dependet. (ſup. §. 103. ſeq.) Tandem quae principum auctoritate conſeruandae, et promouendae religionis cauſa accedunt, nullatenus praemittenda eſſe in iure noſtro aliunde conſtat (ſup. §. 19.)

§. CLXI.

Determinantur.

Igitur haec ſunt iuris eccleſiaſtici vniuerſi principia: I.) Ius naturae, II.) ſacra ſcriptura III.) Traditiones. IV.) Concilia. V.) Conſenſus eccleſiae extraconciliaris. VI.) Conſtitutiones pontificum. VII.) Scripta ſanctorum patrum. VIII.) Conſtitutiones principum.

CA-

Digitized by Google

CAPVT II.

DE IVRE NATVRALI.

§. CLXII.

Multae leges ſunt eccleſiaſticae, quae originem ſuam debent iuri naturali.

Innumera prope ſunt in *decreto* GRATIANI capita, quibus moralia naturae praecepta aut exponuntur, aut eorumdem praecipitur obſeruatio. Quod idem videre licet in multis decretalium GREGORII IX. titulis, qui ad moralium praeceptorum doctrinam, et executionem pertinent.

Hinc eſt, quod legum eccleſiaſticarum aliae ſint *auctoritate*, et *origine* tales, aliae autem *auctoritate duntaxat*, quarum proinde origo non e lege naturali petenda eſt. Mere *eccleſiaſticas*, ſeu *origine*, et *auctoritate* tales adpellant, quas poteſtas eccleſiaſtica omnino ſanxit, nec alicui alteri poteſtati originem ſuam debent, quales fere ſunt, quae ad ritus exteriores pertinent, et pleraeque, quarum vis in iudiciis exercendis verſatur. Quarum autem legum originem a iure naturali petere debemus, eccleſiaſtica vero poteſtas illarum vim explicauit, et addita poena obſeruantiam confirmauit, eas *auctoritate* duntaxat, non etiam *origine* eccleſiaſticas vocant. Cuius generis ſunt, quae de pactis, de vſuris, de teſtamentis, de honeſtate clericorum leges ſunt proditae.

§. CLXIII.

§. CLXIII.

Intereſt autem ſcire, an origine ſint naturales, vel eccleſiaſticae.

Atque hoc quidem legum eccleſiaſticarum diſcrimen non vtile modo, ſed et maxime neceſſarium eſt, ad ſolidam multarum rerum intelligentiam, quae omnino ad iurisprudentiam eccleſiaſticam pertinet. Ex hoc enim id inprimis conficitur, genus illud legum eccleſiaſticarum, quas et *origine*, et *auctoritate* eccleſiaſticas diximus, quia a poteſtate eccleſiaſtica omnino pendent, mutationi obnoxium eſſe.

Scite admodum S. Leo M. in epiſtola ad Rusticum Narbonenſem epiſcopum: *ſicut*, inquit, *quaedam ſunt, quae nulla poſſunt ratione conuelli, ita multa ſunt, quae aut pro conſideratione aetatum, aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari.* Quae verba retulit Gratianus *Diſt. XIV. can.* 2. Iſtas enim leges ſolui, relaxari, temperari, abrogari saepiſſime contingit, et vt S. Avgvst. *t. IX. col.* 98. *lib. II. de Baptis. cap.* 3. loquitur: *quoties ex ipſis rerum experimentis demonſtratur, quod prius erat obſcurum; quoties depromitur, quod latebat; quoties aperitur, quod conducibilius eſt eccleſiae; tunc cum ſancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate, abſque vllo ſuperbiae typho, abſque vlla inflata ceruice arrogantiae, abſque vlla contentione liuidae inuidiae commutatur in melius. Neque enim debet*, vt ſcribit Innocentivs III. *in cap.* 8. *de conſang. et affinit. reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana.* Et vt Bonif. VIII. *in c.* 24. *de ſent. excomm. in* 6. loquitur *ſaepe alma mater eccleſia nonnulla rationabiliter ordinat, et conſulte, quae ſuadente ſubiectorum vtilitate poſtmodum conſultius, ac rationabilius reuocat.* Sed in hac mutandi leges eccleſiaſticas poteſtate ita verſandum eſt, vt ea non abu-

abutamur. *Sicuti publice expedit*, inquit CONCIL. TRIDENT. *Seſſ. XXV. cap.* 18, *de reform. legis vinculum quandoque relaxare, vt plenius euenientibus caſibus, et neceſſitatibus pro communi vtilitate ſatisfiat, ſi frequentius legem ſoluere exemplo potius, quam certo perſonarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud eſt, quam vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire.*

§. CLXIV.

Origine naturales immutari nequeunt.

Sed quae ad alterum illud genus ſpectant, nimirum, quae *auctoritate* eccleſiaſticae ſunt, *origine* autem naturales, quia ius naturae immutabile eſt, et leges ipſas, pro qua parte naturales ſunt, ſtabiles eſſe, atque immutabiles oportet, quae adeo neque aliis legibus abrogari, neque vlla tolli conſuetudine poſſunt.

Nam vt ſcribit S. AVGVST. *t. I. col.* 93. *lib. III. confeſſ. c.* 8. *Flagitia, quae ſunt contra naturam, vbique ac ſemper deteſtanda, atque punienda ſunt, quae ſi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur.* Quare nemo ſe his legibus ſolutum opinetur, quae a iure naturali proficiſcuntur, etſi poenae humana poteſtate adiectae ſibi remiſſionem fieri contigerit. Sanctio enim ab humano pendens arbitrio, remitti poteſt, obligatio non poteſt, quae eſt ex naturali iure: Pulchre cumprimis CICERO *lib. III. de republ. ap.* LACTANTIVM *lib. VI. Diuin. inſt. cap.* 8. *Eſt quidem vera lex, recta ratio, naturae congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos fruſtra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando monet. Huic legi nec abrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per ſenatum, aut per populum ſolui, hac lege poſſu-*

poſſumus. Neque eſt quaerendus explanator, aut interpres eius alius. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac, ſed et omnes gentes, et omni tempore vna lex et ſempiterna, et immutabilis continebit, vnusquisque erit communis quaſi magiſter, et imperator omnium DEVS, *ille legis huius inuentor, diſceptator, lator, cui, qui non parebit, ipſe ſe fugit, ac naturam hominis adpernabitur, hoc ipſo licet maximas poenas, etiamſi cetera ſupplicia, quae putantur effugerit.*

§. CLXV.

Vſus iurisprudentiae naturalis magis explanatur.

Haec vniuerſim dicta ſunto. Enimuero iuuerit ſingulas iurisprudentiae noſtrae partes diligentius expendere, atque vſum ſcientiae legum naturalium ſingillatim, ſed pro inſtituti ratione breuiter indicare.

Nam argumentum hoc pro dignitate tractare, etſi vtiliſſimum, ab hoc tamen opere alienum, in quo prima iuris eccleſiaſtici elementa tradere conſtitui. Vniuerſalis certe haec eccleſiaſtica iurisprudentia perpetuo coniungenda eſt in explicandis ſingulis iuris eccleſiaſtici materiis. Operae pretium eſſet, vt catholicorum doctorum aliquis ex inſtituto hoc argumentum exequeretur, in quo omnia iuris eccleſiaſtici capita ex ſolis, ac veris iuris naturae principiis etiam iis, quae facto quodam poſito locum habent, elaborentur; quae ſane opera ad interpretandum ius eccleſiaſticum poſitiuum iſtud inſignem adferret vtilitatem. Nobis in hoc capite propoſitum eſt, ſpecimen duntaxat aliquod eius commentationis dare, ſuffecturum tamen, niſi mea me fallit opinio, ad id, vt intelligant homines minus aequa de iure naturae imbuti ſententia, nihil adcurata, et ſoli-

Digitized by Google

ſolida illius intelligentia eſſe poſſe vtilius, nihil ad firmandam veritatem validius.

§. CLXVI.

Quibus modis ſocietas eccleſiaſtica a ciuili differat?

Eccleſia atque respublica duae ſunt hominum ſocietates adeo ad communem felicitatem neceſſariae, vt ſine huius iactura illis carere genus humanum nequeat. Quare nihil mirum eſt, nullam paene exiſtere in orbe vniuerſo hominum multitudinem ſine conſociatione ciuili, ſine religione. Id quod tamen non impedit, quo minus *origine*, *interna conſtitutione*, atque *fine* a ſe mirum quantum differant.

Quaecunque ad veritatem proprius adcedere exiſtimetur, tot inter, et tam varias eruditorum de *origine* ciuitatum ſententias, illud tamen omnino indubium eſt, ſine facto humano interueniente ciuitates non conſtitui: Contra autem eccleſiae initia multo fuiſſe auguſtiora, vtpote quae a Chriſto generis humani redemtore ſine vllo facto immediate profecta, et per viros ab eo miſſos ad nos vſque propagata eſt. Quod ad *internam eccleſiae conſtitutionem* pertinet, quamuis in eo cum omni inaequali ſocietate . ac proinde etiam ciuitate conueniat, vt ordine conſtet imperantium, et parentium, exiſtimo tamen vehementer falli omnes, quicunque ſolennes illas rerumpublicarum formas in eccleſiam transferre, et ex iis modum regendae eccleſiae deriuare nituntur. *Finis* denique ciuitatum non alius eſt, quam felicitas externa; at in religione, in eccleſiaſtica ſocietate ſalus interna animae, atque aeterna quaeritur felicitas, etiam reiectis his vitae praeſentis commodis.

§. CLXVII.

§. CLXVII.

Societatis ciuilis intereſt religionem cuſtodiri.

Tantum vero abeſt, vt propter hoc ſocietatum iſtarum diſcrimen pugna aliqua iure ſtatui poſſit, ut etiam inter ſe amiciſſime conſpirent. Quemadmodum enim nulla eſt pars ciuilis maieſtatis, quam auctoritate ſua religio non confirmet, ita non vltima curarum ciuilis imperii religionis tutela ſit oportet.

Si in originem malorum, quae vitam ciuilem non raro infelicem reddunt, inquirere ferret animus, non eſſet difficile oſtendere, quod pleraque eorum a prauis hominum cupiditatibus, ſui amore, alienae rei auiditate profluant. Ecquid autem eſt vitiorum omnium, cuius turpitudinem vera religio non perſequatur? Haec enim docet coercere libidinem, fugere inimicitias, abhorrere ab inuidia, odio, aliisque humanae corruptionis monſtris. Sane haec natura, ac vis propria religionis eſt, vt homines placidos, obſequii amantes, patriae ſtudioſos, iuris, et aequi retinentes efficiat. Beatam vero rempublicam, cuius ciues ad talem ſe viuendi normam componunt. Quae quum ita ſint, nihil ſane impedit, quin vnus atque idem homo ſacrae ſimul ac ciuilis ſocietatis membrum eſſe poſſit, ita vt vtriusque ſtatus obligationibus exacte ſatisfaciat. Ciuis, et chriſtiani officia ſibi aduerſa nec ſunt, nec ſi recte conſideres, eſſe poſſunt; ab eodem enim auctore rerum omnium Deo proficiſcuntur.

§. CLXVIII.

Religio chriſtiana Imperium ciuile nec tollit nec minuit.

Quare alienus a ratione eſt error, non eorum modo, qui ob praetenſam neſcio quam chriſtianam libertatem imperium omne ciuile eliminandum olim contendebant, ſed et illorum, qui religione chriſtiana, vel imminui quidquam de iure maieſtatis falſa opinione ſibi perſuadent.

Qui chriſtianam libertatem iactant, et ob eam poteſtatem ciuilem omnem a ſe amoliri conantur, ii viderint, quomodo ſatisfaciant doctrinae apoſtoli, qua neceſſe eſſe ait, vt *ſubiecti ſimus non propter iram tantum, ſed etiam propter conſcientiam ad* Rom. *XIII.* 5. Deinde qua ratione ei, cui munus imperantis gerendum commiſſum eſt, ea diminui iura poſſunt, ſine quibus nec tueri dignitatem ſuam, nec officio ſuo, vt par eſt, ſatisfacere poteſt? Quae autem ea iura ſint, nunc quidem non inquiro, id ſatis eſt, religionem imperio aduerſam eſſe non poſſe.

§. CLXIX.

Fides imperio ciuili ſubiecta non eſt.

Ex eo, quod alium finem eſſe reipublicae, alium eccleſiae docuimus, iam omnes facile mihi conſenſuros eſſe plane confido, religionem, atque adeo eccleſiam per ſe ab imperio ciuili liberam, nec in his, quae ad fidem pertinent, ei ſubiectam eſſe.

Nihil poteſt in fidem admitti, niſi quod Deus veluti credendum reuelauit; quare ciues, cum in eam ſe

ſe ſocietatem dederunt, religionem, et fidem voluntati principum, neque ſubmiſiſſe cenſendi ſunt; neque etiam, ſi voluiſſent, ſubmittere potuerunt: quae enim haec renunciatio eſt monſtro ſimilis, credere ex beneplacito alterius, non quemadmodum reuelauit Deus? colere ſupremum Numen, non perfectionibus eius conuenienter, ſed vt viſum fuerit ei, qui imperium tenet. Teneamus igitur liberam ſuis in negotiis eccleſiaſticis ab imperio ciuili eſſe eccleſiam.

§. CLXX.

Imperium ciuile iuribus eccleſiae non aduerſatur.

Ex quo conſequens eſt, vt quemadmodum ſupra docuimus, eccleſiam de iuribus maieſtatis ciuilis nihil detrahere, ita nunc viciſſim imperium ciuile iuribus eccleſiae aduerſari non poſſe fateamur.

Operae pretium fuerit veritatem hanc per ſumma quaedam capita illuſtrare. Reipublicae non eſt tanta poteſtas, *vt prohibere* valeat, ne ciues eum celebrent *cultum*, *quem aeternae ſalutis cauſa praeſtandum eſſe Deus praecipit*. Neque vero hoc quidquam iuribus reipublicae derogat. *Non poteſt vetita a Deo iubere*, *prohibere praecepta*. Hinc eſt, quod apoſtoli nulla habita prohibitionum ratione, euangelium Chriſti ſtrenue praedicarent. Atque hinc quoque hodie verbi diuini praedicatio et ſacramentorum praeſtatio inhiberi non poſſunt, veluti media procurandae ſalutis aeternae a Deo inſtituta. Quod de *mediis* diximus, idem de *forma* quoque intelligendum eſt, ſecundum quam, ſi iis vtamur, gratiam nobis diuinam conciliant. Quare nihil innouandum in forma baptiſmi. Pari ratione ordo miniſtrorum eccleſiae a Deo inſtitutus partes officii diuini ſingulis a Deo adſignatae imperio humano exemtae ſunt, nec a republica

tolli poſſunt, aut viciſſitudinem pati. Idem denique iudicium eſto de eccleſiaſtica diſciplina, quae vt talis reipublicae noxia cenſeri non poteſt; ad nihil enim aliud tendit, quam ad probitatem morum inducendam, et religionis externae quemdam ſplendorem. Ad quem ſine dubio quoque pertinet curare, vt debitus honor miniſtris eccleſiae conſtet: neceſſarii illis ſuppeditentur ſumtus ad cultum externum decore peragendum: vbique enim paupertas iacet, quanta demumcunque virtute praedita. Haec illuſtrandi cauſa ſcripta ſunt.

§. CLXXI.

Eccleſiaſticae poteſtatis quantitas ex ſine metienda eſt.

Quanta ordinis in eccleſia imperantis ſit poteſtas, ex ſine eius demetiendum eſt. Nemo ſibi eam adrogare, niſi legitime *electus* poteſt. In qua quidem electione populi fidelis conſenſionem non omnino negligendam eſſe, rationi conſentaneum eſt.

Obſeruandum tamen eſt, congruentiam quandam duntaxat me tueri conſenſus populi fidelis in electione, non *neceſſitatem.* Non omnia, quae recte fieri poſſunt, neceſſario etiam facienda ſunt. Non eſt facile alia aliqua eccleſiaſticae diſciplinae pars, quae tantis fuerat obnoxia mutationibus, ac haec ipſa, de qua modo ſermo eſt, miniſtrorum electio. Lex diuina poſitiua ea de re ſpecialis nulla exſtat. Apoſtolos ubique in eccleſiis a ſe conſtitutis ordinaſſe viros ad munus hoc ſacrum gerendum idoneos ex variis noui teſtamenti locis conſtat; at quam in eligendo rationem ſecuti ſint, nemo facile determinabit. Poſt obitum apoſtolorum populo chriſtiano ſuas in eligendo fuiſſe partes, ex monumentis eccleſiaſticis a multis inuicte demonſtratum eſt, hoc iure eccleſiae primorum ſeculo-

rum

rum diu vſa, quod tamen ſecutis ſeculis reſtringi coepit. Ivstiniani ſane aeuo inferior plebs ab electionibus excluſa eſt. *Nou. XXIII. cap. I. et nou. CXXXVII. cap. 2.* In ditionibus per gentium incurſiones ab imperio romano auulſis imperantes in electionum eccleſiaſticarum ſocietatum venerunt. Ex qua conſecutae ſunt diſſenſiones illae de inueſtitura epiſcoporum per baculum, et annulum compoſitae per transactionem, donec Fridericvs II. *per auream bullam egrenſem* in germania electiones Praelatorum libere, et canonice fieri praecepit, qui modus *in concordatis nationis germanicae* confirmatus eſt.

§. CLXXII.

Quibus inſtructum dotibus oporteat doctorem eccleſiae.

Quibus autem animi dotibus inſtructum eſſe oporteat eum, qui docendo populo fideli praeficitur, quamquam naturali ratione paene adſequi eas poſſimus, non tamen aliunde melius intelligere poſſumus, quam e doctrina Pavli, quam hoc loco integram referre operae pretium eſt.

I. ad Tim. III. 2. ſeq. oportet ergo, inquit, *epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed domui ſuae bene praepoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuae praeeſſe neſcit, quomodo eccleſiae Dei diligentiam habebit? Non Neophytum: ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum et teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes:* ha-

habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Etſi autem probentur primum, et ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus. His de cauſis multa clericis interdicuntur, quae aliis licita habentur, de quibus *ad tit. de vita, et honeſt. cler.* dicemus.

§. CLXXIII.

Regula generalis circa cultum Dei externum.

De cultu religioſo, qui etiam rei eccleſiaſticae adpellatione latius accepta continetur, ſup. §. 12. a nobis expoſitum eſt. Vnam, quod ad cultum Dei externum ſpectat, praeterire regulam non poſſum rationis rectae decreto firmiſſimam, qua tradi ſolet: *Omnes, et ſolas illas actiones in cultu Dei externo admittendas eſſe, quae vel ex ratione, vel ex reuelatione ſiue ſcripta, ſiue tradita hauriri, atque intelligi poſſunt.*

Siquidem inſtituti id pateretur ratio, poſſem ſane infinitis iſtud exemplis, iisque luculentiſſimis ſimul, atque ad hanc rem quam aptiſſimis commonſtrare. Imaginum quippe et ſacrorum rituum vſus, ſi ad hoc principium exigatur, quid habet, quod leues animi ſugillent? Qui in Miſſae ſacrificio adhibentur ritus: quam pulchre ob oculos ponunt grande illud myſterium! quam blando dolore pias mentes adficit tanti amoris recordatio! quanta ſpe reficit bonitas infinita Numinis mortem ſubeuntis ignominiae, vt tunc erant tempora, pleniſſimam, vt nos patri ſuo coeleſti placaret, et gratioſos redderet! quantum habet momenti ad excitandos ſuauiores illos animi adfectus, vel ſola cruci adfixi imago ob oculos poſita! quam ſalutari horrore concutit diuina iuſtitia eodem illo ſpecimine expreſſi.

Digitized by Google

preſſi. Quare non video, quid ſibi velit BOEHMERVS *in iure eccleſiaſtico*, *proteſt. lib. V. tit. V.* §. 3. quando ſcribit: *Imaginum venerationem non aliunde, quam ex ſuperſtitione coeca natam.* Vt autem venerationem imaginum, quam eccleſia catholica eis tribuit, recte intelligamus, iuuerit adſcribere locum elegantiſſimum *ex epiſtol.* GREGORII P. *de ſacris imaginibus ad* LEONEM ISAVRVM IMP. quae eſt *apud* HARDVIN. *tom. IV. in princ.* Ita autem pontifex: *ſcripſiſti autem*, inquit, *non eſſe manufacta veneranda, nec vllam effigiem ad ſimilitudinem effictam ſicut dixit Deus, neque in coelo, neque in terra. At demonſtra mihi, quis tradiderit, veneranda et adoranda eſſe manufacta, tum ego Dei eſſe mandatum fatebor. Quare vero tanquam imperator, et caput chriſtianorum ſapientes non percontatus es, qui experientia pollent, et ab ipſis edoceri potuiſſes, propter quae manufacta Deus haec dixerit.* Explicat deinde Papa praeceptum illud diuinum, mox ſubiicit: *Et dicit nos lapides, et parietes, ac tabellas adorare. Non ita eſt, vt dicis, imperator! ſed vt memoria noſtra excitetur, vt cuſtodia, et imperita craſſaque mens noſtra erigatur, et in altum prouehatur per eos, quorum haec nomina, et quorum adpellationes, et quorum haec ſunt imagines, et non tanquam Deos, vt tu inquis, abſit, non enim ſpem in illis habemus. Ac ſi quidem imago ſit Domini dicimus: Domine Ieſu Chriſte fili Dei, ſuccurre, et ſalua nos. Sin autem ſanctae matris eius: dicimus ſancta Dei genitrix Domini Mater intercede apud filium tuum verum Deum noſtrum, vt ſaluas faciat animas noſtras.* Haec eccleſiae catholicae de cultu imaginum doctrina eſt, quam velim, vt aduerſarii pacato animo excipiant. Quae certo, niſi recta erret ratio, erronea eſſe non poteſt.

Digitized by Google

§. CLXXIV.

Veritas religionis cuique defendenda.

Vera religio non niſi vna eſſe poteſt. Neceſſe itaque eſt, alteram diſſentientium partem aut in errore verſari, aut certe propius ab illo abeſſe. Quamobrem danda praecipue opera eſt, vt illi, qui ſe tenere veritatem ſciunt, hanc non patiantur indefenſam.

Quemadmodum enim *omnes trahimur, et ducimur ad cognitionis, et ſcientiae cupiditatem: in qua excellere pulchrum putamus: labi autem, errare, neſcire, decipi, malum et turpe ducimus* CIC. *de offic. lib. I.* §. *6.* ita non minori cupiditate ducimur ad defendendam veritatem, eamque deſerere non minus malum, atque turpe putamus. Quare non contemnendus eſt, imo laudandus pro religione zelus, modo is ita comparatus ſit, vt religioni, et iuſtitiae, et humanitati conformis non ſuam, ſed aliorum veram felicitatem intendat.

§. CLXXV.

Tolerantia tamen religionis diuerſae non eſt omnino iniuſta.

Id dubio caret, meliorem fore chriſtianorum conditionem, ſi inter eos ea floreret ſententiarum circa mores, et fidem conſenſio, quam Chriſtus, et apoſtoli diuinam amplectentibus religionem tantopere commendant; Atque ideo curam omnem, atque cogitationem noſtram omnium eo dirigendas eſſe, vt ſtudioſi eius ſimus vnitatis, quam ad ſanctiſſima chriſtianae religionis officia pertinere nemo igno-

ignorat: Sunt tamen multae ex natura religionis ipſius, et humanae voluntatis indole petendae rationes, quae tolerantiae religionum ſuis circumſcriptae limitibus iuſtitiam ſatis certam reddunt.

Docet nos ratio, atque etiam experientia ipſa teſtatur, quiete et tranquille viuere poſſe in vna eademque republica, qui diuerſas tamen circa nonnulla doctrinae coeleſtis capita fouent opiniones: neque tamen, vt recte monet Bvddaevs *in theol. moral. part II. cap. III. ſect. VII. §. 21. in not. tolerantiae limites vltra quam par eſt extendendi. Tolerandi ſunt diſſentientes, ita tamen vt veritati nullum inde creetur periculum, et qui noſtrae curae concrediti ſunt, in diſcrimen amittendae ſalutis aeternae non coniiciantur. Tolerandi ſunt, non tamen ſtatim facultas impune, et pro lubitu errores diſſeminandi, et alios ſeducendi illis eſt concedenda. Tolerandi ſunt, ſimul tamen in viam veritatis ea, qua decet, ratione reuocandi. Paucis: tolerantia non debet excludere curam conſeruandi, propagandique veram religionem.* Inprimis autem commendari meretur Cel. Barthel *opp. recent. part. II. cap. VI.* Hinc autem perſpicuum eſt: tolerandos non eſſe, qui fouent doctrinas morum honeſtati, ordinationibus ciuilibus, paci, et tranquillitati publicae noxias. Quo in genere ſunt Athei: ita recte Wolffivs In den vernünftigen Gedanken von dem geſellſchaftlichen Leben der Menſchen §. 368. Weil ein Atheiſt, inquit, leugnet, daß Gott, oder die Vorſehung Gottes ſey, ſo hält er auch die Religion für nichts, da man nun aber über die Religion mit allem Ernſt halten ſoll, ſo kann man auch die Atheiſten die ſich blos geben, im gemeinen Weſen nicht dulden. *De Deiſtis, vniuerſariis, irreligionariis* idem ferendum eſſe iudicium res ipſa docet. Deinde haruſpices, veneficos ad tolerandorum numerum minime pertinere nulla indiget probatione. Diſtinguendos etiam iudico *indigenas ab aduenis, fideles ab infideli-*

bus, paucoſa multitudine diſſentientium; de quibus vt ne longior ſim, in praelectionibus quaedam dicemus.

§. CLXXVI.

Quid religio adprobata, tolerata, reprobata.

Hoc reſpectu triplex in republica diſtingui religio poteſt, *adprobata*, *tolerata*, et *reprobata.* Quamquam enim vera religio ad ſui ſubſiſtentiam publica principum adprobatione non indiget, tamen ratione effectuum iuris, quo eccleſia gaudet in ciuitate diſcrimen iſtud negligendum non fuit.

Reprobatam ciuiliter religionem eam voco, quae introducitur in republica inuito eo, qui imperium ſummum tenet, atque renitente. Exemplum praebent chriſtiani trium primorum ſeculorum, dum gentiles imperatores ſupremam obtinerent poteſtatem. Eccleſia quamdiu hoc in ſtatu eſt, nullo fruitur communi iure ciuium, quorum in numero non habentur eidem addicti. *Toleratae* religionis duae ſunt ſpecies eius, quae *gratioſa*, et quae *neceſſaria* gaudet tolerantia. Huius iura ex *transactione* petenda ſunt ſancte vtique, et inuiolate ſeruanda: illius exercitium valde ſolet eſſe reſtrictum, et priuatos ſaltem intra parietes conceſſum. Iuris tamen tutela non omnino deſtituitur. At his omnibus gaudet *adprobata*, quae publicae reipublicae adprobatione ſuſtinetur. Haec publico vtitur, liberoque exercitio, gaudet iuribus omnibus, quae aliis perſonis in republica competunt, imo, et priuilegiis, immunitatibus, quae aliis facile concedi non ſolent. Atque hinc, vt hoc obiter moneam, intelligi poteſt, quem vſum ciuilem *libri Simbolici* habeant, qua de re alibi plura.

§. CLXXVII.

Digitized by Google

§. CLXXVII.

Exemtio clericorum omnimoda non eſt iuris naturalis.

Quamquam porro publicos eccleſiae miniſtros debita perſequendos eſſe veneratione, ratio ipſa percipiat, id tamen ex ea nequidquam elicere nituntur nonnulli, vt ordinem hunc omnino imperio ciuili ſubducant, etiam iis in negotiis, quae ad eccleſiam referri nullo modo poſſunt.

Non examinabo nunc textus ſacrae ſcripturae, et iuris canonici, quos ad ſtabiliendam opinionem ſuam obtorto, vt dicitur, collo trahunt. Neque veritatem poſitionis magno nunc adparatu demonſtrare adlaborabo, vnam eam naturalem rationem examinare, nunc operae pretium fuit, qua aduerſae ſententiae patroni probare conantur ordinis ſacri omnimodam exemtionem. Ita autem P. Oddo Scharz *lib. II. decret. tit. II. §. VII. num.* 47. *Perſpicuum eſt*, inquit, *quod nulla poteſtas, vel iurisdictio poſſit ferri propria virtute extra limites, et genus ſui obiecti, ſic oculus non poteſt ferri ad perſpiciendum ſonum, nec auditus ad colorem, quia haec ſunt obiecta extra genus, et ſphaeram talium potentiarum, ergo etiam poteſtas, et iurisdictio laica, vtpote reſpiciens finem temporalem, et pro obiecto habens perſonas profanas, res temporales, et politicas, non poteſt ſe extendere ad perſonas eccleſiaſticas, perinde ac viſus non poteſt percipere ſonum, eo quod ſit extra eius obiectum.* Aliquoties miratus ſum potuiſſe viros alias non indoctos ſibi perſuadere, vt huic argumento aliquid ineſſe ponderis exiſtimarent. Nam vt hoc primo loco aduertam, totam vim eius ſitam eſſe in ſuppoſita eius veritate, quam tamen probandam ſumunt, ſcilicet *perſonas eccleſiaſticas non eſſe obiectum*, vt ille ait, *iurisdictionis ciuilis.* Nam niſi ita ſit, non video quam vim paritas ab oculo ducta habere queat.

Deinde quis ferat argumentum a potentia phyſica ad moralem poteſtatem ductum? Denique quando auctor negare non poteſt, res temporales laicorum imperio ciuili ſubiectas eſſe, negare vtique non poteſt, etiam clericos eidem ſubeſſe intuitu rerum temporalium, quarum ratione, vt clerici reſpici non poſſunt, clericus eſt, quamdiu ea peragit, quae ex clericali ſtatu fluunt. In ceteris communi totius populi iure vtitur, niſi priuilegio ſe munitum oſtendere valeat. De quo alias copioſius agemus.

§. CLXXVIII.

Immunitas localis non eſt iuris naturalis.

Quemadmodum rationi locum ſacris peragendis deſtinatum a commercio humano ſeparatum eſſe conſentaneum eſt; ita niſi rationem ſecum ipſa pugnare volumus, fatendum eſt, religionem eius loci nihil impedire, quo minus in eo peragi eae poſſint actiones, quas expediri exigit reipublicae neceſſitas.

Eadem enim recta ratio, quae locis ſacris reuerentiam praeſtare docet, rempublicam negat eſſe negligendam. Quemadmodum religio ipſa tota, ita haec eius pars exterior de iure ciuilis maieſtatis derogare nihil poteſt Quare adſentior plane illis, qui *immunitatis* illius, quam *localem* dicimus, ſeu *aſyli* ſolitum ex ratione fundamentum reperiri poſſe negant. *Et ſane*, ait, Van Espen *in diſſert. de aſylo templ. cap. I. §. 5. Quandoquidem Deus principem miniſtrum conſtituerit in ira ei, qui male agit, atque hunc in finem ſcilicet ad punitionem malorum gladium eum portare iuſſerit, hanc in principe auctoritatem nec per templorum, aliorumque locorum ad diuinum cultum dedicatorum exſtructionem, aut per epiſcoporum intercesſionem tollere, aut vel in minimo minuere, aut labefactare intendit, ſed*

in-

integram conſeruatam voluit, vt ea princeps vtatur, et gladio ſuo materiali in malefactores animaduertat, prout tranquillitas reipublicae, et pacis conſeruatio, et bonum religionis exigere iudicauerit.

§. CLXXIX.

Immunitas realis quatenus ſit iuris naturalis.

Cultus religionis chriſtianae externus indiget aliquo rerum temporalium adparatu ad miniſterium ſacrum obeundum, ſuſtentationemque miniſtrorum. Hactenus earum vſu eccleſiae interdici nefas eſt. At illud nimium eſt, imperio ciuili res ad eccleſiam, perſonasque eccleſiaſticas, vtrumque pertinentes, plane ſubtrahere.

Hinc quid de iure decimarum dicendum ſit, iudicari poteſt. Quodſi enim decimarum nomine intelligantur generatim ſubſidia ad ſuſtentationem clericorum neceſſaria, quae frequens huius vocis eſt ſignificatio, nemo negauerit, naturalis iſtud, et diuini iuris eſſe, vt neceſſaria ſacro huic ordini vitae ſubſidia impertiamur. Quoniam autem hoc multis fieri modis poteſt, decimas tum tantum iuris eſſe diuini dicemus, quando in genere pro congrua ſuſtentatione accipiuntur. Enim vero ſi decimae ſumantur proprie, nondum me fateor capere, quomodo ex iurisprudentiae naturalis principiis decimarum praeſtandarum obligatio probari queat. De quo alibi.

C A-

CAPVT III.

DE SACRA SCRIPTVRA.

§. CLXXX.

Sacra ſcriptura.

Scripta, quae religionis reuelatae originem, progreſſum, et doctrinam complectuntur, atque ab hominibus *ſapientibus*, *prophetis*, et *apoſtolis Spiritu S. inſpiratis* *II.* PETRI *I.* 21. ad perpetuam generis humani memoriam, multiplicemque inſtructionem, et imitationem ſpeciali Dei nutu, et voluntate concinnata ſunt, volumen iſtud diuinum abſoluunt, quod variis quidem nominibus, per excellentiam vero SCRIPTVRA adpellari conſueuit. ACT. APOST. *VIII.* 32. *ad* GALAT. *IV.* 30.

Non raro in numero plurali occurrit nomen *ſcripturarum* MATTH. *XXI.* 42. *XXII.* 29. IOAN. *V.* 39. Item ſacrarum literarum *II. ad* TIMOTH. *III.* 15. Sicut nempe verbum regis ſcriptum regia epiſtola, regiae literae dicitur, ita verbum Dei ſcriptum ſacrae literae, bibliorum adpellatio rurſus per eminentiam ſcripturae tribuitur. Biblia enim a graeco βιβλιον libros denotant. Denique vocatur etiam *teſtamentum* ad HEBR. *XV.* 15. 16. *et* ad GALAT. *IV.* 24. SACRR CODEX *epiſtola omnipotentis Dei ad ſuam creaturam* a GREGORIO *M. l. IV. ep. ad Theodorum medicum.*

§. CLXXXI.

§. CLXXXI.

Definitur.

Eſt igitur SACRA SCRIPTVRA *verbum Dei ab hominibus adflante ſpiritu ſcriptum, eccleſiae iudicio determinatum, primum, ac fundamentale credendorum, et agendorum principium continens.*

Quo in ſenſu adcipienda ſit librorum diuinorum *inſpiratio*, acriter olim inter theologos diſputatum eſt; vid. TOVRNELLIVS *de controvers. ort. inter doctores lovaniens. et duacens. et patres S. I. T. I. de Deo quaeſt. IV. de loc. theol.* et ad hanc vsque diem diſputari videas: ſunt, qui non *reuelationem* quidem (nam *reuelationem*, *inſpirationem*, *adſiſtentiam* diſtinguunt acutiores) ſed inſpirationem non ad rem modo, ſed et ad *ſingulas propoſitiones*, imo *verba* ipſa et *ſyllabas* pertinere exiſtimant. Alii minus rigidi ſacrae ſcripturae ſatis conſultum exiſtimant, etſi leviora iſthaec hominum induſtriae adſcribantur, modo eam his demus Dei adſiſtentiam, vt errore labi non potuerint in iis: quae ad dogmata et mores pertinent. Vtriusque ſententiae argumenta paſſim exhibent theologorum libri, quos hac in re conſulere oportet.

§. CLXXXII.

Duplex eius inſtrumentum.

Duplex eſt ſacrae illius ſcripturae pars, quarum altera *vetus*, *nouum* altera FOEDVS continetur. Nimirum DEVM ſemel, atque iterum cum humano genere foedus pepigiſſe, diuina auctoritate conſtat.

Primum cum Abrahamo, eiusque poſteris A. M. 2104. quo circumciſione in ſignum foederis obſignatos ſibi

ſibi coniunxit GENES. *XVII.* 1. *ſeqq.* Quod firmauit ad radices montis HOREB, etiam SINAI dicti in diſerto SINAI A. M. 2513. EXODI *XIX.* DEVTER. *IV.* ; Alterum in ſublimiore illa mortalium reparatione a CHRISTO in crucis ligno facta, quod omnibus per orbem gentibus baptiſmo initiatis commune eſſe voluit diuinus teſtator. Ex quo S. SCRIPTVRAE in *vetus*, et *nouum teſtamentum* profecta eſt diuiſio.

§. CLXXXIII.

Extiterunt ſacrae ſcripturae corruptores.

Non defuere primis eccleſiae ſeculis, qui quosdam huius S. ſcripturae libros vel penitus reiicere, vel adulterinos pro genuinis ſupponere, aut hos ſaltem deprauare, interpolare, et mutilare, qua dolo, qua ſimplicitate inducti attentarunt. Quin ea aetate nec ſanctis patribus, nec conciliis particularibus de ſacrorum librorum numero, et auctoritate eadem haeſit ſententia.

Impiam veterum haereticorum audaciam in corrumpendis ſacris codicibus tam firmis, atque apertis teſtimoniis demonſtrauit vir doctiſſimus BARTHOLOMAEVS GERMON in ſuo libello *de veter. haeret. eccleſ. cod. corruptoribus c. I. ſeqq.* vt iam de ea dubitare prudenti non liceat. Non video autem, quomodo inde eruditiſſimus COVSTANTIVS in *vind. vet. cod.* pag. 47. pyrrhoniſmum in religionem ab eo inuehi contendant, qui ſacrilegii haereticos reos facit. Quin potius ad laudem id pertinere eccleſiae putamus. Sed hoc argumentum diligenter exſecutus eſt *cit.* GERMON *P. II.* tota.

§. CLXXXIV.

§. CLXXXIV.

Quare iudice opus eſt.

In hac ergo rerum iſtarum ambiguitate iudice opus erat, qui auctoritate infallibili vniuerſis, et ſingulis vtriusque foederis libris diuinos ſuos natales adſereret, eosque decretoria ſententia contra quoscunque ſtabiliret, atque hoc modo fideles certos redderet; quos codices pro diuinitus inſpiratis ſequi poſſent, et deberent.

§. CLXXXV.

Qui alius eſſe non poteſt praeter eccleſiam infallibilem.

Iudicium hoc prouidentiſſimus fundator eccleſiae ſuae fallere, et falli neſciae, reipublicae omnium perfectiſſimae, et ordinatiſſimae commiſit, et pro infinita ſua ſapientia, ne in neceſſariis defeciſſe videretur ad euitandam perpetuam, et ineuitabilem confuſionem alias orituram, committere debuit, quia ipſe huius rei nihil definire voluit. Illius enim eſt in quolibet regno, adeoque et multo magis in hoc ſacro, libros legales probare, interpretari, alios reprobare, cuius eſt *leges* condere, quod poſtremum eccleſiae competere fide diuina ſcimus.

§. CLXXXVI.

Diuiſio librorum S. ſcripturae.

Iam ad diuiſionem librorum vtriusque teſtamenti progrediamur. Prima ea eſt, quae,

vt mihi quidem videtur, ad memoriam adiuuandam pertinet, partitio, qua in *legales*, qui legum diuinarum promulgationem nobis exhibent, *hiſtoricos*, quibus rerum geſtarum memoria continetur, *ſapientiae*, qui vera ſapientiae praecepta explicant, et *propheticos*, qui futura praenunciant, diſtribui ſolent.

Ad *primam claſſem* pertinent GENESIS, EXODVS, LEVITICVS, NVMERI, DEVTERONOMIVM, et libri quatuor EVANGELIORVM. *Ad alteram* IOSVE, IVDICVM, RVTH, libri REGVM, duo PARALIPOMENON: duo ESDRAE, IOB, duo MACHAB, et ACTVS APOSTOLORVM — *Tertii generis* ſunt PROVERBIA, ECCLESIASTES, CANTICA, SAPIENTIA, ECCLESIATICVS, EPISTOLAE PAVLI, IOANNIS, PETRI, IACOBI et IVDAE. *Ad quartum* denique genus referuntur: Octodecim libri PROPHETARVM, et APOCALYPSIS IOANN. V. INTRODVCT. NOST. ad *ius eccleſ. diſſ. de S. Scriptura* §. 18. et *canon librorum vet. et nou. teſtam. in duabus tabulis exhibitus, ad finem cit. diſſ. noſt.*

§. CLXXXVII.

Alia diuiſio.

Magis digna animaduerſione eſt altera illa ſacrorum librorum diuiſio, qua alii ſtatuuntur *canonici*, alii *non canonici*. Illi ſunt, qui ab eccleſia in canonem relati ſunt: hi autem, qui ab ea aut omnino reiecti, aut ſaltem *canonicis* non ſunt adſcripti. Porro canonicos diſtribuunt in *proto-canonicos*, qui citra vllam controuerſiam ſemper, et vbique pro diuinis recepti ſunt: et *deutero-canonicos*, de quorum diuina origine aliquando dubitatum

eſſe

eſſe conſtat. Denique eos, quos diximus non *canonicos*, in *apogryphos*, et *dubios* partiuntur.

Apogryphi, quamuis huius vocis non vna eſt ſignificatio, ex communi paene vſu loquendi adpellantur illi, qui auctori, cuius eſſe dicuntur, falſo ſuppoſiti ſunt, et ab eccleſia penitus repudiantur. Ex hoc genere ſunt euangelia ſecundum aegyptios, et ſecundum hebraeos, proto-euangelium S. Ioannis, reuelationes S. Pauli, alia. vid. Nat. Alexand. *hiſt. eccl. tom. III. ſec. I. art.* 2. *§.* 6. *Dubios* vocamus, qui genuini ſint, nec ne, ad hanc diem ambigitur, quales ſunt *tertius, et quartus* Esdrae, item *tertius, et quartus* Machabaeorvm, vid. vir doctiſſ. Gregorivs Zallwein *tom. I. app. quaeſt. c. I. §.* 4. *p. m.* 116. — — Quid autem in tanta varietate chriſtianus faciat? audiamus S. Avgvstinvm *tom. III. col.* 23. *lib. II. de doctr. chriſt. c.* 8. *In canonicis ſcripturis*, inquit, *eccleſiarum catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur, vt eas, quae ab omnibus accipiuntur eccleſiis catholicis praeponat eis, quas quaedam non accipiunt. In eis vero, quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures, grauioresque accipiunt.*

§. CLXXXVIII.

Canon librorum vtriusque teſtamenti.

In canone hebraeorum, ſi auctoritatem patrum ſequimur, libri *duo, et viginti* continebantur, quamquam alii alios in eo collocandos cenſeant. Contra ea patres concilii tridentini in *canone* abs ſe edito libros numerant vniuerſim *ſeptuaginta duos*: noui teſtamenti *viginti, et ſeptem*, veteris *quinque et quadraginta*. Quem licet non exacte confectum contendant noſtrae aetatis ſectarii, iam

 pri-

primis ſeculis in eccleſia obtinuiſſe grauiſſima veterum auctoritate conſtat.

Sane eosdem libros, quos recenſet Concil. Trid: *ſeſſ. IV*. Concilivm Carthaginense III. *A* 397. *can.* 47. ap. Hardvin. *tom. I. col.* 968. Ac praeter S. Avgvstinvm *lib. II. de doctr. chriſt. c.* 8. etiam Innocentivs I. *A.* 405. veteri inhaerens traditioni comprobauit *in epiſt.* ad Evsebivm apud Covstant. in epiſt. *roman. pontif. col.* 789. Quibus omnibus acceſſit Gelasivs in concilio romano I. ab LXX. epiſcopis celebrato *A.* 494. ap. Hardvin. *tom. II. col.* 937. vid. etiam Gratianvs *diſt. XV. can.* 3. et demum Evgenivs IV. mox a concilio florentino in decreto pro Iacobinis ap. Hardvinvm *tom. IX. col.* 1021. Qui vberiorem harum rerum illuſtrationem deſiderat, adire poteſt Dvpin. *diſſert. praelim. nou. bibl. aut eccleſ.* Nat. Alexand. *hiſt. eccleſ. tom. III. ſec. I. et traité hiſtorique du canon des livres de la Sainte ecriture par le P.* Iean. Mattianay *Paris* 1703. 8.

§. CLXXXIX.

Quo idiomate ſcripti ſint libri ſacri?

Quo primum idiomate ſcripti ſint libri veteris, et noui teſtamenti, quaeri ſolet. Non conuenit inter omnes. Illud videtur ad veritatem proxime accedere, libros *veteris teſtamenti*, ſi nonnullos excipias, hebraice, *noui* autem graece, demto euangelio Matthaei, perſcriptos fuiſſe.

De libro Iob, Tobiae, Ivdith, duobus Machabaeorvm, Sapientiae, Ecclesiastici, Barvch, et aliquot Estheris, et Danielis capitibus, ambigitur, qua primum lingua deſcripta ſint. Ceterum nugae ſunt, quod de corruptione tex-

Digitized by Google

textus hebraici a iudaeis, odio chriſtianorum facta, delirant profani. Illud rectius animaduertitur, hebraici textus characteres, queis hodie vtimur ab hebraeis, demum poſt babylonicam captiuitatem Esdra auctore, adſumtos fuiſſe. Quid de punctorum, quae in textu hebraeo vices ſubeunt vocalium, aetate ſtatuendum ſit, ipſi adhuc inter ſe litigant eruditiores. Hoc monuiſſe iuuerit, *chaldaicam*, *ſyriacam*, et *ſamaritanam* merito ad hebraeam referri; ex ea enim natae ſunt, ac primam illam quidem exiguae eſſe auctoritatis, vtpote incerto auctore propoſitam, fabuliſque iudaeorum maculatam, eruditi omnes norunt. *Syriaca* lingua hebraeis poſt captiuitatem babylonicam familiari deſcripta, (vid. Diss. nostr. *de S. Scriptura*) incerti auctoris, et auctoritatis dubiae; id quod de *ſamaritana* quoque, ſi credimus viris doctis, ſentiendum eſſe conſtat. Ad nouum teſtamentum veniamus. Marcvm latine ſcripſiſſe magna auctoritate adſeruit Baronivs ad *A.* 45. §. 42. ſed nemini perſuaſit Io. Hardvin. in *comment. ad nou. teſtam. p.* 244. Ioannem quoque latine ſcribentem fingit. Quin nouum teſtamentum omne idem vir latino exaratum idiomate coniicit; ſed haec quoque opinio intra coniecturae limites ſubſtitit. Illud probabile; epiſtolam ad hebraeos hebraice ſcriptam fuiſſe vid. Cornelivs a Lapide *in comment. in epiſt.* Pavli *ad hebraeos.*

§. CXC.

Verſio ſeptuaginta interpretum.

In numero graecarum verſionum conſtituendo variant doctores. Has inter primum antiquitate locum obtinet verſio illa *ſeptuaginta duorum interpretum*, quae iam tum aetate apoſtolorum in omnium verſabatur manibus, ipſis adamata apoſtolis, et ſola naſcenti eccle-

ſiae vſitata adeo, vt *communis*, et *vulgata* adpellaretur.

Occaſionem huius verſionis ex. S. IRENAEO refert EVSEBIVS *hiſt. eccleſ. lib. V. pag.* 141. *edit.* VALESII. Dici non poteſt, quam viri docti de hiſtoria huius verſionis diſſentiant. vid. FABRICIVM *bibliot. graeca lib. III. c.* 12. *§.* 2. *p.* 317. *ſeqq.* HVMPH. PRIDEAVX *tom. III. p.* 43. *ſeqq.* Recte, an ſecus, ego nunc non diſputo. vid. DOVIAT. *praenot. can. lib. I. cap.* 21. Id certum eſt, hac vna verſione ante, et poſt CHRISTVM natum *iudaeos helleniſtas* ſuis in ſynagogis vſos fuiſſe, tantaeque apud omnes etiam chriſtianos fuiſſe auctoritatis, vt eorum plerique, vtrum alia ſit aliqua ignorarent; S. AVGVST. *t. III. col.* 28. *de doct. chriſt. lib. II. c.* 15. *t. VII. lib. XVIII. de ciuit. DEI c.* 43. *conf.* DISS. NOSTR. *de S. Scriptura §. XXVII. ſeqq.*

§. CXCI.

Verſiones aliorum graecae.

Sed haec quoque verſio non quidem in iis, quae ad dogmata, et mores pertinent, in ceteris tamen, paulo poſt apoſtolorum tempora parem cum aliis omnibus libris fortunam ſubire debuit: Ex quo iam ORIGENIS aeuo: *Siue propter ſcriptorum quorumdam indiligentiam, ſiue propter nefariam aliquorum ſcripturas emendantium audaciam; ſeu propter eos, qui dum emendant, pro arbitrio addunt, vel detrahunt, magna exemplarium exſtitit differentia.* Variae deinde, AQVILA, THEODOTIONE, SYMMACHO, aliisque incertis auctoribus emerſerunt translationes. Qua commotus varietate ORIGENES medio ſeculo tertio conſilium coepit, de reſtituenda ſeptuaginta inter-

interpretum lectione, eaque cum aliis diuinorum librorum editionibus lectori vno veluti obtutu ſiſtendis. Coepit opus ſuis in Tetraplis, et Hexaplis; ſed immortuus operi Origenes non admota licet ſuprema manu, reliquit tamen editionem omni conſenſu adcuratiſſimam. Verum, vt ſunt res humanae, iniuria temporum iam inde a ſeculis nouem intercidit opus immortale. Neque defuerunt tamen antiqui doctores chriſtiani, qui verſionem ſeptuaginta virorum ad opus origenianum, dum adhuc extaret, corrigerent, et hac ratione ab interitu vindicarent.

De antiquiſſimorum etiam exemplarium diſcrimine conqueſtus iam olim eſt Origenes *in Matth. tom. III. opp. edit.* P. Delarve p. 671. De Aqvilae, Theodotionis, et Symmachi verſionibus legi meretur Fabricivs *loc. cit. §. 8. ſeqq. p.* 332. Montfavcon *praelim. ad hexapl. Origen.* Ivstinianvs *in nou. CXLVI.* Denique, qui in reſtituenda, conſeruandaue vetere illa ſeptuaginta interpretum verſione operam impenderunt, laudandi ſunt ex antiquis Pamphylvs Martyr, Evsebivs caeſarienſis, S. Lvcianvs nicomedienſis epiſcopus, et Hesichivs, de quibus videatur Hieronymvs *praef. I. ad paral.* e recentioribus primus omnium fragmenta veterum illorum interpretum ex codicibus et vetuſtis ſcriptis eruere adgreſſus eſt Flamin. nobil. *in notis ad ſixtina biblia graeca Romae* 1587. edita; diligentiori cura conquiſita, notisque illuſtrata dedit Io. Drvsivs Arnhemiae 1622. vid. Fabricivs *loc. cit. p.* 340. Tandem autem iacturam fere omnem origeniani operis incredibili labore, quantum quidem in tanta fieri antiquitate potuit, reſarciuit vir incomparabilis Bern. de Montfavcon monachus benedictinus e congregatione S. Mavri, qui e Galliae, Italiae, Germaniae bibliothecis Hexaplo-

RVM ORIGENIS, *quae ſuperſunt*, protraxit, et Pariſiis A. 1713. tomis II. euulgauit, latius haec deduximus in DISS. *de S. Scriptura §. XXX. pluribus ſequentibus.*

§. CXCII.

Quae dicta ab AVGVSTINO itala?

Latinas ſacrae ſcripturae verſiones in primaeua eccleſia paene fuiſſe innumeras, teſtatur S. AVGVSTINVS. Vna tamen plus ceteris terebatur, et praeſtabat aliis, quam vtrumue complexam teſtamentum, AVGVSTINVS *Italam*, HIERONYMVS *vulgatam* et *communem*, GREGORIVS M. *veterem* adpellarunt, atque S. HIERONYMVS tum *adhuc iuuenis*, quod ad V. T. temporis lapſu deprauatam ad ſeptuaginta in HEXAPLIS contentorum fidem reſtituit.

Quanta fuerit olim latinarum verſionum multitudo, ex S. AVGVST. intelligi poteſt, dum *cit. lib. II. de doctrin. chriſt. c. 11. col.* 25. ait: *Qui ſacras ſcripturas in graecam linguam verterunt, numerari poſſunt, latini autem interpretes nullo modo, vt cuique enim primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis ſibimet vtriusque linguae habere videbatur, auſus eſt interpretari.* Maximi tamen ſemper fiebat ea, quam idem S. Doctor *Italam* adpellauit, propterea, quod eſſet *verborum tenax cum perſpicuitate ſententiae.* AVGVSTINVS *cit. loc. c.* 15. Quum autem deinceps, vt mox docebimus, editio hieronymiana ab omnibus eccleſiis ſuſciperetur, vetuſta haec interpretatio ſuis relicta eſt fatis. Superſunt tamen in hanc diem fragmenta ex ea bene multa, a viris doctis ex codicibus Mſſ. collecta. vid. DISS. NOST. *de ſacra Scriptura §. XXXIV. lit. (d)*

§. CXCIII.

§. CXCIII.

Quis auctor vulgatae?

Sed offendit HIERONYMVM ingruens iterum verſionum V. T. varietas. Ad aliam itaque puriſſimo e fonte hebraeo adornandam translationem animum adpulit, conſiliumque hoc ſuum ipſis iudaeorum magiſtris probantibus diligenter executus eſt. Sed varios nactus eſt aduerſarios. Tum vero teſtamentum nouum ex *itala* illa, de qua diximus, verſione iuſſu DAMASI P. ab erroribus magis conſpicuis purgauit. Quae viri ſanctiſſimi verſio iam inde a GREGORII M. temporibus communi eccleſiae vſu auctoritatem publicam nacta, *vulgatae* hodie adpellatione inſignis habetur.

Scilicet S. HIERONYMVS *volens antiquam diuinorum voluminum viam ſentibus purgare, ne iudaei de falſitate ſcripturarum eccleſiis* CHRISTI *diutius inſultarent*, ad hoc ſe opus a rebus omnibus abunde inſtructus accinxit, vid. EVNDEM *Praef. II.* in IOB. et *Praef. in transl.* ISAIAE. Nihilominus S. AVGVSTINVS epiſcopus Hipponenſis eam V. T. verſionem ſuis in eccleſiis legi non permiſit, addita cauſa in epiſtol. 82. alias 19. *ad Hierony. n.* 35. *t. II. col.* 203. *Ne contra ſeptuaginta auctoritatem tanquam nouum aliquid proferens magno ſcandalo perturbaret plebes* CHRISTI, *quarum aures, et corda illam interpretationem audire conſueuerunt, quae etiam ab* APOSTOLIS *adprobata eſt.* Verum ea tamen re nihil deterritus, iuſſu etiam DAMASI P. ſtimulatus *ad originem graecam reuertens nouum teſtamentum priſtino* nitori reſtituendum ſuſcepit, corrigens, *quae vel a vitioſis interpretibus male reddita, vel a praeſumptoribus imperitis emendata peruerſius, vel a libra-*

riis dormitantibus aut addita, aut mutata eſſent. Ea tamen cautione, vt ipſe teſtatur in PRAEFAT. AD EVANGELISTAS: *Vt ne multum a lectionis latinae conſuetudine diſcreparent, his tantum, quae ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateretur, vt fuerant.* Adde epiſt. AVGVSTINI 89., quae eſt inter epiſt. AVGVSTINI nunc 75. n. 20. *cit. tom.* Atque haec illa eſt verſio, quam VVLGATAM vſus hodiernus adpellat, quae licet ad aetatem vsque GREGORII M. non praeualeret veteri italae, quod S. HIERONYMVS ipſe in *cap. LX.* EZECHIELIS monet; tamen iam ab eo tempore maiori indies in pretio haberi coepit. Sane ISIDORVS HISPALENSIS ſuo tempore vndique eam receptam fuiſſe teſtis eſt; ita enim ſcribit *lib. I. de offic. eccl. c.* 12. *De hebraeo in latinum eloquium tantummodo* HIERONYMVS *presbyter ſacras ſcripturas conuertit, cuius editione generaliter omnes eccleſiae vsquequaque vtuntur, pro eo, quod veracior eſt in ſententiis, et clarior in verbis.* Idem de ſeculo IX. teſtatur RHABANVS MAVRVS *de inſt. Cleric. lib. II. c.* 54. vid. DISS. *de S. Scriptura §. XXXVI. lit. (b)*

§. CXCIV.

Vulgata authentica.

Atque haec tam diuturna, quam haec verſio conſtanter in eccleſia CHRISTI obtinuit, auctoritate nixa *ſacroſancta ſynodus* tridentina, *conſiderans, non parum vtilitatis accedere poſſe eccleſiae DEI, ſi ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, ſacrorum librorum quaenam pro authentica habenda ſit, innoteſcat;* STATVIT, et DECLARAT, *vt haec ipſa* VETVS, *et* VVLGATA *editio, quae longo tot ſeculorum vſu in ipſa eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, praedica-*

dicationibus, et expoſitionibus pro authentica habeatur, et vt nemo illam reiicere quouis praetextu audeat, vel praeſumat.

Concil. Trident. *ſeſſ. IV.* Dicitur aliquid eſſe *authenticum* triplici ſenſu. Primum ſi ſcriptura ab ipſo auctore profecta in iudicio ex ſe fidem facit, vt nemo non prudenter ad illud inſtrumentum prouocare poſſit: quod *authographum* vulgo *originale* dicimus. Deinde apographa, exempla, transſumta, aut copiae dicuntur, quae quidem plenam fidem faciunt, ſed non niſi in quantum publicam auctoritatem habentis publico teſtimonio conſtat, illas originalibus conformes eſſe debere monent. D. D. *ad tit. IV. lib. XXII. D. et tit. XXII. lib. II. decretal. de fide inſtrum.* Demum verſiones in aliam linguam factae eatenus dicuntur eſſe authenticae, quatenus ſenſum ab auctore in originali intentum, et expreſſum etiam in alia lingua fideliter exprimere noſcuntur. Et tales verſiones merito authenticae vocantur, quum aeque atque ipſum originale fidem faciant. Conf. Rich. Simon. *hiſtoire critique du V. T. L. II. cap. XIV.* vbi inquiritur, quo in ſenſu vulgata dici poſſit authentica.

§. CXCV.

Quod porro illuſtratur.

Exiſtimo autem falli eos omnes, qui hanc patrum concilii tridentini ſententiam ita interpretantur, vt ea hebraeis, graecisque ſcripturis omnem fuiſſe ademtam auctoritatem putent. Id enim vnum ex adlatis concilii verbis erui poteſt: *Ex omnibus latinis editionibus ſacrorum librorum* hanc, qua vtimur, *veterem, et vulgatam* Avthenticam eſſe habendam.

Iuuat

CCIII.

Regula IV.

Porro *ſacrae literae eodem interpretandae ſunt ſpiritu, quo fuerunt ſcriptae.* Libri namque non eius, qui hos legit, ſed illius qui ſcripſit, mentem exprimunt.

Ex quo ſit, vt, quum ſcriptura eodem ſpiritu rite intelligi poſſit, quo adſiſtente ſcripta eſt. (§. 181.) et hic ſpiritus toti eccleſiae datus ſit, (§. 185.) ſacrae litterae veram interpretationem accipiant ex conſenſione totius eccleſiae chriſtianae. Id quod alibi (*ſ. II. c. VI.*) alia etiam argumentatione euincemus.

§. CCIV.

Regula V.

Sed et codicem] ſacrum interpretaturus operam ſumma cum induſtria dare debet, vt *ſtylum ad orientalium populorum vſum adcommodatum, ob allegoriae, metaphorae, parabolae frequentiam adcuratiſſime noſcat.* Tum et *characterem proprium cuiusuis ſcriptoris familiarem ſibi reddat.* Eſt enim hic etiam in ſacris libris varius. Id quod tamen ſine diuturna lectione, adſiduaque exercitatione effici nullo modo poteſt.

Quae, quum ita ſint, facile patet, aberrare eos vehementer, qui in ſenſu myſtico fingendo iuſto ſunt faciliores. Non equidem id contendo, nihil vnquam dici myſtico ſenſu, quod alterum foret extremorum; ſed ne ſine neceſſitate eum faciamus potius, quam reperiamus, moneo. Deinde illud

que-

Digitized by Google

quoque vitandum S. ſcripturae interpretum vitium, quo linguarum orientalium ignari in quacunque allegoria myſteria quaerunt, quo factum eſt, vt frigidiuſculis ſuis adplicationibus non ſatis dignitati ſacrorum librorum conſuluerint. Poſtremo obſeruatum id quoque eſt, Moysem, Samvelem *hiſtoricos* agere. Davidem, Iobvm *poetas;* Salamonem, Sirach. *philoſophos* ;| Isaiam, aliosque Prophetas oratores, qui ſinguli characteres adcurato interpreti haud quaquam ſunt negligendi.

§. CCV.

Regula VI.

Tum etiam *locutiones emphaticae ſumma cum prudentia e circumſtantiis, et obiecto aeſtimandae, dimetiendaeque ſunt* : eaque occaſione *loquentis perſonae habendam eſſe rationem* recte monent eruditi.

Non raro enim impius quiſpiam, imo malus etiam genius loquentes indicuntur, quorum adeo iudicia in ſacris litteris referri quidem, ſed non adprobari conſtat. Quid? quod et Devs ipſe ſaepius de ſe diuerſo ſub reſpectu loquatur, quae niſi diligenter ſeparentur, errores pariunt. Atque hunc errorem canoniſtae illi, et theologi, errant, qui illud Christi ap. Matth. *cap. vlt.* aliaque eiuscemodi ad romanum pontificem referunt. Vide Bellarminvm *lib. V. de rom. pontif. cap.* 4.

§. CCVI.

Regula VII.

Atque illi etiam ab erroris periculo immunes non ſunt, qui in interpretandis ſacri codicis textibus tanquam *ſophiſtae verboſi*,

ſuo genio indulgent, et non potius ad *catholicam*, id eſt, *vniuerſalem intelligentiam*, tanquam *eccleſiae regulam* a Deo praeſcriptam attendunt.

Vt ait VINCENTIVS LIRINENSIS. *In commonit. I. cap.* 2. qui omnium adſenſu prudentiſſimus tradidit ſacras litteras interpretandi regulas. Quod ſi autem SS. patres ipſi non conſentiant; tum vero ex eiusdem viri ſapientiſſimi monito ſequemur *vniuerſitatem*, *antiquitatem*, et *conſenſionem* praecipuorum, aut maioris partis. *Ibid. cap.* 32.

§. CCVII.

Regula VIII.

Poſtremo obſeruandum eſt, *vt ne putemus religionem reuelatam felicitati hominum temporali vlla in parte derogare, aut in mere moralibus quidquam in ſacris literis decretum eſſe, quam id, quod iam recta ratio iubet fieri, aut prohibet.* Religio enim reuelata pro fine habet hominum aeternam felicitatem, quae temporali repugnare nullo modo poteſt, reuelatio autem facta eſt, vt rationi ſuccurrat in cognoſcendis iis, quae ſuis relicta viribus adſequi non poteſt.

CA-

CAPVT IV.

DE TRADITIONE.

§. CCVIII.

Traditio definitur.

Vocabulum traditio variam vſu adcepit ſignificandi poteſtatem. Receptior et magis propria illa eſt, qua *ius viua primum legiſlatoris eccleſiaſtici voce propoſitum, dein ad poſteros deriuatum, conſtanti ac perpetuo obſeruantia ad noſtram vsque memoriam propagatum* denotatur.

Saepiſſime doctrina ſeu inſtitutio in ſe ſpectata, fidelium vſu trita, etiamſi idoneo auctore; et vi obligandi careat, vulgari loquendi more traditio vocari ſolet. Non raro vſum, et obſeruantiam iuris conſtituti, ſcripti, aut non ſcripti *traditione* adpellatione complectuntur ſcriptores, non recentiores modo, ſed et antiqui, vt exemplis demonſtrari poteſt, ſed non apte ad rem propoſitam. rectius ius ipſum intelligunt alii, quos ſequimur. Vid. ANNAT. *in adparatu ad theolog. poſitiu. lib. III. de tradit. art.* 1.

§. CCIX.

Ius traditum aeque ac ſcriptum obligat.

Enim vero ad vim obligandi nihil refert, ſcripto voluntatem ſuam is, qui poteſtatem habet obligandi, an voce viua declaret. Quapropter dubium non eſt, quin traditio eccleſiaſtica, aeque ac ius quodcunque aliud ſcrip-

Traditiones igitur diuinas noui teſtamenti cuſtodire fideles oportet aeque, ac leges in euangelio praeſcriptas, qui ſalutis aeternae deſiderio tenentur. Perſpicue de traditionum huiusmodi efficacia S. HIERONYMVS *aduerſ. lucifer.* loquitur aiens: *An neſcis etiam hunc eſſe eccleſiae morem, vt baptizatis poſtea manus imponatur, et ita inuocetur* SPIRITVS SANCTVS? Hoc erat ius traditum. Iam fundamentum traditionis adfert: *Exigis, vbi ſcriptum ſit? In actibus apoſtolorum; etiamſi ſcripturae auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hac parte conſenſus inſtar praecepti obtineret. Nam et multa, quae per traditionem in eccleſia obſeruantur, auctoritatem ſibi ſcriptae legis vſurpauerunt, veluti in lauacro ter mergitare.* Sane CONCIL. TRIDENT. non minorem iuri tradito, quam ſcripto ineſſe efficaciam expreſſis verbis definiuit, dum *ſeſſ. IV.* doctrinam CHRISTI contineri definiuit; *in libris ſcriptis, ac ſine ſcripto traditionibus:* quas et *pari adfectu, ac reuerentia ſuſcipit, ac veneratur;* eaque de cauſa *anathema* dixit ei, *qui traditiones praedictas ſciens, et prudens contemſerit.*

§. CCXIII.

Traditio alia eſt dogmatica, alia eſt diſciplinaris.

Quandoquidem porro non omnes eccleſiae traditiones circa ea verſantur, quae ſubſtantialia religionis ſupra diximus, ſed pleraeque earundem de accidentalibus duntaxat praecipiunt: exinde eſt, quod illas in traditiones *fidei*, ſeu *dogmaticas*, et in *diſciplinares* partiri interpretes ſoleant.

Dogmata, ſi morem loquendi ſcholis vſitatum ſequimur, alia ſunt *ſpeculatiua*, alia *practica*. Illa per ſe in ſola contemplatione adquieſcunt, cuius generis ſunt: *Diuinitas filii, proceſſus ſpiritus S. myſte-*

ſterium SS. Trinitatis. Haec autem actionibus externis ſeſe produnt, iisque ſunt norma, quo pertinent *ſacramenta*, eorumque vſus, et alia. Vtriusque generis traditiones dari in eccleſia, dubium non eſt.

§. CCXIV.

Omnis traditio dogmatica eſt diuina.

Quia illa, quae ad religionis ſubſtantiam referuntur, non alium poſſunt habere auctorem, quam, a quo religio ipſa profecta eſt, Devm, in conſpicuo poſitum eſt, *omnem traditionem dogmaticam debere diuinam eſſe.*

Quod ita intelligendum eſſe moneo, vt exiſtimemus, traditionem, quae dogma eſſe dicitur, non poſſe primum ſeu Apostolos, ſeu eorum ſucceſſores epiſcopos auctores habuiſſe, verum diuina eius origo oſtendatur neceſſe eſt. Ceterum dubium non eſt, quin eccleſia praedita ſit poteſtate, et interpretandi eas authentice, et diuinam ab humana ſeparandi, de quo paulo poſt.

§. CCXV.

Traditio diſciplinaris eſt mutabilis.

Quoniam vero nihil impedit, quo minus ea, quae ad diſciplinam eccleſiae ordinandam pertinent, exigente id eiusdem eccleſiae ſeu vtilitate, ſeu neceſſitate mutationem ſubire valeant, (§. 33.) animaduertendum eſt inſigne hoc *dogmaticas* inter, et *diſciplinares* traditiones diſcrimen, quod, quum *illas perpetuas* eſſe oporteat, *hae mutari* pro ratione temporum, et omnino tolli poſſint.

Quamquam caute ſemper eccleſiam in his quoque dimittendis verſatam fuiſſe, ex INNOCENTII *epiſt. XXV. pr. ad Decentium epiſc. eugub. ap.* COVSTANT. *col.* 855. diſcimus: *Si inſtituta*, inquit, *eccleſiaſtica, vt ſunt a* BEATIS APOSTOLIS *tradita integra vellent ſeruare domini ſacerdotes, nulla diuerſitas, nulla varietas in ipſis ordinibus haberetur, ſed dum vnusquisque, non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc aeſtimat eſſe tenendum, inde diuerſa in diuerſis locis, vel eccleſiis aut teneri, aut celebrari videntur, ac ſit ſcandalum populis, qui dum neſciunt traditiones antiquas humana praeſumtione corruptas, putent ſibi, aut eccleſiis non conuenire, aut ab* APOSTOLIS, *vel apoſtolicis viris contrarietatem inductam.* Atque ita, dum pontifex hic ſanctiſſimus in Macedonia mutare aliquid cogeretur, *neceſſitatis* cauſam obtendit *in epiſt. XVII. c. 9. ad epiſcopos maced. ap. eundem* COVSTANT. *col.* 835. *Iam ergo*, inquit, *quod pro remedio, ac neceſſitate temporis ſtatutum eſt, conſtat primitus non fuiſſe, ac fuiſſe regulas veteres, quas ab* APOSTOLIS, *aut apoſtolicis viris traditas eccleſia romana cuſtodit, cuſtodiendasque mandat eis, qui eam audire conſueuerunt, ſed neceſſitas temporis id fieri magnopere poſtulabat. Ergo quod neceſſitas pro medio inuenit, ceſſante hac debet vtique ceſſare pariter, quod vrgebat.*

§. CCXVI.

Traditio alia porro eſt conſtitutiua, alia interpretatiua.

Quum porro traditio vel doctrinam aliquam nouam proponat, vel dubiam, et obſcuram interpretetur, illam *conſtitutiuam*, hanc *interpretatiuam* recte adpellaueris, quae vtraque *mere oralis* eſſe poteſt, ſi propagatio eius absque vllis litterarum monumentis ſoli viuae vocis communicationi nunquam interruptae debeatur. (ſup. §§. 55. 56.)

§. CCXVII.

§. CCXVII.

Vlterius vel apoſtolica, vel eccleſiaſtica.

Illae autem traditiones, quas ſuperius *humanas* vocauimus, (§. 210.) *duplicis ſunt generis.* Quum enim earundem auctores, aut poſt CHRISTI in coelos adſcenſum ATOSTOLI, aut horum in regenda eccleſia ſucceſſores eſſe potuerint, illas quidem APOSTOLICAS; has ECCLESJASTICAS in ſenſu ſtrictiore non ſine ratione adpellabimus.

Apoſtolicas multi in *mere apoſtolicas* et *diuino apoſtolicas* partiri ſolent: illas vocant, quae APOSTOLIS, vt eccleſiarum ſuarum rectoribus originem debent; has contra, quae a CHRISTO immediate APOSTOLIS, et per hos eccleſiae viua voce traditae ad fideles tranſierunt, et ad nos vsque transmiſſae ſunt. Vid. R. P. GREGOR. ZALLWEIN *princ. iur. eccleſ. t. I. q. II. c. III.* §. 3. Verum ecquis non videt, hac diuiſione auctores traditionis, cum modo eam propagandi confundi? Enim vero modus hic ad rem nihil facit, neque diſcrimen aliquod inducere poteſt, quum hac in conſideratione etiam *diuinae* dici queant *apoſtolicae*, vtpote per APOSTOLOS ad fideles propagatae. Quo ratiocinandi modo ſi vti libeat, iam nihil impedit, quo minus traditiones eccleſiaſticas etiam *diuino eccleſiaſticas* adpellemus, quandoquidem eccleſia quoque traditiones diuinas ad poſteros propaget.

§. CCXVIII.

Omnis humana traditio eſt diſciplinaris.

Quoniam dogmata a nemine alio quam ſupremo illo eccleſiae conditore, proficiſci potuerint, (§. 214.) conſequens eſt: vt quamcunque

cunque humanam eſſe traditionem conſtat, ſiue ea demum apoſtolica ſit, ſiue eccleſiaſtica, ea non niſi *diſciplinaris* habenda ſit.

Ex quo intelligi poteſt, quanta cautio adhibenda ſit in conſtituenda traditionum ſpecie, niſi periculum ſubire velimus in numerum dogmatum ea referendi, quae ad diſciplinam duntaxat pertinent. Quod quidem diſcrimen non rite obſeruatum, incredibile dictu eſt, in quantas anguſtias coniiciat animos his diſciplinis nondum ſubactos, quum, quae *apoſtolicis inſtitutis* in adceptis referimus, et olim in eccleſia obtinuiſſe certum eſt, aut abrogata hodie, aut in deſuetudinem abiiſſe compererint. Exempla in progreſſu dabimus.

§. CCXIX.

Traditio diuina eſt perpetua et immutabilis.

Illud porro *diuinam* inter et *humanam* traditionem praecipuum intercedit diſcrimen, quod ſicut *verbum* DOMINI SCRIPTVM, ita TRADITVM quoque *maneat in aeternum*, id quod indoli traditionis humanae non congruit. Haec enim, quum legem humanam viciſſitudini obnoxiam imitetur, iisdem nixa regulis per ſe quidem mutari poteſt, etſi haud raro eccleſia id minime expedire iudicauerit. (§. 215.)

Quoniam enim humana omnis traditio, vt mox demonſtratum eſt, nonniſi vim ſtatuti diſciplinaris habere poteſt, (§. 218.) quae autem huiusmodi eſt, eam pro rerum circumſtantiis mutari nihil prohibeat, quod ſupra oſtendimus, (§. 215.) perſpicuum eſt, humanam omnem traditionem mutationi obnoxiam eſſe. An id, et quando conſultum ſit, prudentiae eccleſiaſticae munus eſt conſtituere.

§. CCXX.

§. CCXX.

Non aeque humana.

Alterum haec inter traditionum genera diſcrimen eſt, quod diuinae quidem natura ſua ſine contradictione, *ſemper*, *vbique*, et *apud omnes* vim ſuam obtinere debeant, (§. 285.) humanae autem poſſint eſſe quidem vniuerſales, pleraſque tamen earundem ſpectata origine ſuis includi dioeceſibus, et vix vnquam ad vniuerſam pertinere eccleſiam.

Diuinae traditiones ſunt, de quibus S. Avgvstinvs meminit in introd. notr. diss. *de tradit. ſect. I. §. 18. not. c. apoſtolicae* pleraeque, quas retulit Basilivs *ibid. §. 17. not. c.* et Tertvllian. *ibid. §. 18. not. a.* Demum illae, de quibus S. Avgvstinvs cit. introd. *ſect. II. §. 14. not. a. eccleſiaſticae.* Eſt quoque aliud traditionis eccleſiaſticae vniuerſalis memorabile exemplum *in biduo ante paſcha absque diuinorum ſacramentorum celebratione tranſigendo*, quam in eccleſia tota illibatae hactenus ſeruatam Innocentivs I. *in epiſt. XXV. c. 7. ad* Decentivm *epiſc. eugubin. ap.* Covstant. col. 859. ex inſtitutione eccleſiae ad imitationem Apostolorvm facta deriuat his verbis: *Vtique conſtat* Apostolos *biduo iſto et in moerore fuiſſe, et propter metum iudaeorum ſe occuluiſſe. Quod vtique non dubium eſt, in tantum eos ieiunaſſe biduo memorato, vt traditio eccleſiae habeat iſto biduo ſacramenta penitus non celebrari, qui locus etiam eſt apud* Gratianvm *diſtinct. III. can. 13. de conſ.* Quomodo autem traditio ab eccleſia romana in reliquas dimanare, et vim obligandi vniuerſalem conſequi poſſit, docet idem Innocentivs *cit. loc. c. 2. Quis enim neſciat*, inquit, *aut non aduertat id, quod a* principe apostolorvm Petro *romanae eccleſiae traditum eſt, ac non vsque cuſtoditur, ab omnibus debere ſeruari, nec ſuperduci, aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur*

deatur exemplum? praeſertim, quum ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam, et inſulas interiacentes nullum inſtituiſſe eccleſias, niſi eos, quos venerabilis APOSTOLVS PETRVS *aut eius ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes.* Et iterum: *Oportet eos hoc ſequi, quod eccleſia romana cuſtodit, a qua eos principium adcepiſſe non dubium eſt, ne dum peregrinis adſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.*

§. CCXXI.

Traditio genuina.

Quum autem traditionem hoc loco tamquam iuris non ſcripti partem conſideremus, omnes ſatis intelligunt, eam *genuinam* eſſe debere. Eſt vero *genuina* omnis, et ſola illa, quam non vagum, et mobile populi, ſed certum eccleſiae ipſius, cui vni hoc pro auctoritate competit, iudicium determinauit.

Principium omne, ſi rationem principii tueatur, certum eſſe oportet: porro vnitati religionis nihil obeſt magis, quam doctrinae chriſtianae incerta fides, quare conſtituenda nobis auctoritas eſt aliqua, cui in ſecernendis traditionibus ſine metu erroris adhaerere poſſimus. Ea autem auctoritas, niſi eccleſia, nemini alii data eſt. (§. 285.) Quaecunque igitur traditio huius iudicii auctoritate deſtituta eſt: non eſt amplectanda, et ſi qua inualuit, eliminanda. S. AVGVSTINVS in celebri illa de rebaptizandis haereticis controuerſia *lib. II. c.* 82. *contr. creſcon. Non adcipio*, inquit; *quod de rebaptizandis haereticis* D. CYPRIANVS *ſentit, quia hoc eccleſia non adcipit, pro qua* B. CYPRIANVS *ſanguinem fudit.*

§. CCXXII.

§. CCXXII.

Ex SS. Patrum teſtimoniis.

Enimuero eccleſia non, quemadmodum in rebus humanis ſaepe euenit, caeco quodam impetu, in traditione iudicanda et pro arbitrio conſtituit. Habet illa canones ſuos, quos ſequitur. Atque in his primum quidem Sanctorvm Patrvm auctoritati non ſine graui ratione plurimum deferendum eſſe ſemper exiſtimauit.

Sed hac in re cautione quadam opus eſt, vt non, quod vnus alterue ſcripſit ſanctorum patrum, id ſtatim diuinam eſſe inſtitutionem exiſtimemus. Tria eſſe conſultanda in his docuit adpoſite Vincentivs Lirinensis *in libello contra haeret.* Vniversitatem, antiqvitatem, Consensionem, *ſequemur autem* Vniversitatem *hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur eccleſia.* antiqvitatem *vero ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos maiores, ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt.* Consensionem *quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certe paene omnium ſacerdotum pariter ac magiſtrorum definitiones, ſententiasque ſectemur*, ſed de hoc infra vberius.

§. CCXXIII.

Ex ſua materia.

Sed et materia, de qua praecipit, in conſiderationem venit. Ea enim, ſi ita comparata eſt, vt poteſtatem eccleſiae ſuperet, traditio non niſi diuinae originis eſſe poterit, cuius adeo Apostoli praecones duntaxat, et propagatores eſſe potuerint.

Ex-

Exemplo ſit materia, et forma ſacramentorum, eorumque numerus ſeptenarius. Difficiles ſaepe hinc inter theologos exortae quaeſtiones, quod dubium eſſet, num haec illaue inſtitutio ſit in poteſtate eccleſiae? Sane in ea ſententiarum ambiguitate ad eccleſiam veluti CAPVT INSTITVTIONIS, vt loquitur INNOCENTIVS in *cit. epiſt. XXV. c.* 2. confugiendum eſt. Vt ecce S. Euchariſtiae diſciplinam ita ſtabiliuit eccleſia, vt etiam ſub vna ſpecie eam diſtribui voluerit. Quo circa CONCILIVM CONSTANTIENSE *ſeſſ. III. tom. VIII. ap.* HARDVIN. *col.* 381. definiuit: *Huiusmodi conſuetudinem ab eccleſia et SS. patribus rationabiliter introductam, et diutiſſime obſeruatam habendam eſſe pro lege, quam non liceat reprobare, aut ſine eccleſiae auctoritate pro libitu mutare.* Quod idem vberius explicuit CONCIL. TRIDENTINVM *ſeſſ. XXI. c. I.* ſimilis huic quaeſtio eſt: an in ſacrificio miſſae aqua cum vino ex traditione diuina miſcenda ſit: adfirmabat, CHRISTIANVS LVPVS poſt multos alios veteres theologos *ad can. XXIII. conc. trullani* et PETRVS ANNATVS *adparat. ad theol. lib. III. art.* 2. *§.* 2. auctoritate S. CYPRIANI *lib. I. epiſt. VI. p. m.* 30. *ſeqq.* qui locus eſt apud GRATIAN. *diſt. II. c.* 2. *de conſecr.* Negat autem BENEDICTVS XIV. *P. de ſacrif. miſſae. ſect.* I. *§.* 172. *conf.* DISS. NOSTR. *de tradit. ſect. II. §. XIII. not. (b).*

§. CCXXIV.

Habita temporis quoque ratione determinatur.

Tum et temporis habenda eſt ratio. Quod ſi enim doctrina CHRISTI ad coelos adſcenſum ſupponat, eiusque ſemper in eccleſia retentae non inueniatur initium, ea merito traditio habetur *apoſtolica:* quemadmodum *eccleſiaſti-*

cae

cae traditioni recte accenſeri poteſt, ſi aetate Apostolorvm poſterior eſſe deprehendatur.

Ita *paſchatis celebratio*, *ſabbati translatio*, et *quadrageſimae inſtitutio ex traditione ſunt apoſtolica. Traditionis* vero *eccleſiaſticae* ſunt *obſeruatio quorundam feſtorum*, *abſtinentia a carnibus*, *lacticiniis certis anni diebus.* Illud monemus interea traditiones peruetuſtas, tametſi poſt obitum Apostolorvm inualuerint, *abuſu* interdum *apoſtolicas* dici, quod viris apoſtolicis debeantur.

§. CCXXV.

Traditionis, conſuetudinis, morum diſcrimen.

Atque ex his, quae de traditione hactenus expoſita ſunt, haud difficulter intelligi poteſt, ea quemadmodum *a conſuetudine*, *moribus*, et *obſeruantia* ſecernenda ſit. Traditio enim *expreſſae* Christi, Apostolorvm, aut Ecclesiae *inſtitutioni*; conſuetudo diuturnis fidelium moribus *tacito* plerumque eccleſiae *conſenſu* probatis innititur: cuius ſpecies quaedam ſunt *mores*, ſeu *actiones quaedam pio fidelium conſilio citra animum inducendae obligationis ſuſceptae*, *vſuque continuo confirmatae*, quae quidem, ſi nihil contineant aliud, quam quod lege, aut conſuetudine iam vim iuris obtinuit, *obſeruantia eccleſiaſtica* adpellabitur.

Peraguntur a fidelibus iam inde ab antiquiſſimis temporibus piae quaedam actiones, quas nemo ita neceſſarias dixerit, vt citra violatae religionis crimen omitti nequeant: Ex quo genere actionum ſunt quorundam feſtorum religioſa obſeruatio; mos formandae crucis, aquae luſtralis vſus, aliae, quas

ingenioſa fidelium pietas excogitauit, et dicuntur *mores pii*: qui ſi iuri ſcripto, aut non ſcripto conformes ſint, *obſeruantiam* inducunt[1], magni quidem in eccleſia momenti, quam tamen cum traditione minime oportuit confundere, a quo pio errore ne veteres quidem illos ſatis ſibi cauiſſe conſtat. Vid. DISS. NOST. *de trad. ſect. I. §. XVIII. not.* (*a*).

§. CCXXVI.

Traditionum vulgarium.

Eſt ea quorundam hominum ſuperſtitioſa ſimplicitas, vt quaecunque ſpeciem aliquam, vel obſcuriſſimae pietatis praeſeferunt, etſi nulla ſeu teſtium, ſeu inſtrumenti auctoritate fundata, omnia religioſa crudelitate amplectantur. Ex quo tanta moles vulgarium traditionum rei chriſtianae incubuit, a quibus, vt caueamus, ratio, et chriſtiana pietas praecipit.

Traditiones vulgares eleganter ita deſcribit R. P. GREGORIVS ZALLWEIN. *in princ. iur. eccleſ. tom. I. q. II. c. III. §.* 10. *pag.* 188. *eſſe illas, quae ex pia hominum credulitate nullo fide digno inſtrumento fundata ingenii humani imbecillitate, ſimplici aliquoties pietate, vel omnino ex malitia hominum miracula aliaque geſta fingentium ortum ſuum trahunt.* His mirum eſt, quantum plebis ſimplicitas deferat. Et in eo tamen conuenit ſapientibus, nihil hac indiſcreta credulitate religioni verae eſſe pernicioſius. Quare merito monent eos, quibus religionis docendae cura commiſſa eſt, vt vtiliſſimam ſe in his euellendis ſentibus operam collocare exiſtiment.

§. CCXXVII.

Digitized by Google

§. CCXXVII.

Et piarum conceptus.

Medium traditiones genuinas inter, et ſpurias locum tenent *opiniones circa res in cultum externum religionis influentes apud populum fidelem ab antiquo inolitae*, quae alias *piae credulitates* audiunt. Quas omnes alto ſupercilio deſpicere ambitioſae temeritatis; omnibus contra ſine delectu adhaerere ſuperſtitioſae ſimplicitatis foret, a quo vtroque extremo, vt ſibi fideles temperent, prudentia chriſtiana dictat.

Adcuratiſſima eſt hac in re laudati Zallwein *cit. loc. pag.* 193. et prudens philoſophia: *in recipiendis*, inquit, *vel reiiciendis dogmatibus ſimus cauti, circumſpecti, et nec nimis ſcrupuloſi, nec exceſſive critici. Dixi primo, nimis ſcrupuloſi, periculum religioni, pietati, et ſaluti fidelium metuentes, vbi non eſt. Stabit immota religio, et chriſtiana virtus, neque animarum ſalus periclitabitur, etiamſi plures piae traditiones amandentur. Fulcra religionis, virtutis, et morum ſunt ſcriptura, et traditio DEI, ac* Ecclesiae, *et ex his enata fidei, morum, et diſciplinae dogmata. Remedia vero ſalutis ſumme neceſſaria ſunt fuga peccati, exercitium virtutum, frequens, et pius ſacramentorum eccleſiae vſus, metuendum potius, ne nimius et nimium ſcrupuloſus zelus, et feruor in hiſce piis traditionibus defendendis aliquoties nocumento ſit, et ſaluti fidelium et religioni: illi quidem, ſi fideles nimis ſint creduli, nimis fidant, et in iis anchoram quaſi ſalutis collocent, et interna ſalubriora, magisque neceſſaria ſalutis remedia negligant. Religioni vero, ſi hisce traditionibus veluti fundamentis ſtructuram eccleſiae ſuperaedificent, quoniam hoc modo eccleſia irriſioni, et contemtui haereticorum, et aliquoties periculo, ne latens falſitas detegatur, exponitur.*

Digitized by Google

§. CCXXVIII.

In his cautione opus eſt.

Quandoquidem igitur prudentia chriſtiana alias, niſi genuinas traditiones, recipere vetat, ex hoc autem genere, quae ſint, eccleſia nusquam omnes determinauerit, cautionibus opus eſſe facile intelligitur, ne imprudentes in errorem labamur.

Nouem regulas criticas ad ſecernendas pias traditiones a vulgi erroribus adſtruit P. HONORATVS a S. MARIA *in animaduerſ. in regulas et vſum crit. lib. I. diſſ. III.*

CAPVT IV.

DE CONCILIIS.

§. CCXXIX.

Concilium definitur.

Proximum a ſacra ſcriptura, et traditione locum merito *conciliorum* auctoritati tribuimus. De quibus iam, vt agamus, inſtituti nos ratio ducit. Concilium, ſi generatim ſumas, *omnem plurium perſonarum coetum ad cauſas dubias praeuia deliberatione definiendas congregatum* complectitur. Nos tam lata eius acceptione non vtemur, vtpote de eccleſiaſticis conuentibus acturi. Quo ſenſu nobis ſynodus eſt *perſonarum eccleſiaſticarum*

con-

Digitized by Google

conuentus ad negotia eccleſiae collatis ſuffragiis definienda conſtitutus.

In etymologia vocis *concilium* non omnibus conuenit; vid. Isidorvs *diſt. XV. can. I. §. 7.* Gervasivs *in ethymol. hac voce:* Benedictvs *XIV. de ſynod. dioeceſ. lib. I. in princ.* Sed nec vna eſt vocabuli huius apud veteres ſcriptores ſignificandi poteſtas; quamquam enim plerumque ſynodos eccleſiaſticas denotet, non raro tamen ipſam denotat eccleſiam, aut quamcunque aliam fidelium congregationem. *in l. 4. cod. theod. de epiſc. ſanctiſſimum et venerabile* Concilivm ſignificare *eccleſiam* recte contra Alciatvm aduertit Gothofredvs. Ita dum S. Hieronymvs laudat Nepotianvm, quod *conciliabula martyrum* floribus, arborumque comis exornauerit. *epiſt.* 3. ſine dubio eccleſias intelligit, martyrum nominibus adpellatas: contra ea Tertvllianvs *de pudicitia cap.* 10. pro quouis conuentu eccleſiaſtico ſumit; quando ait: *cederem tibi*, inquit *ſi ſcriptura paſtoris non ab omni* Concilio *eccleſiarum etiam veſtrarum inter apocrypha, et falſa iudicaretur* vid. Ioſ. Bingham. *orig. eccleſ. lib. VIII. c. I. §. 7. ſeqq. vol. III. p.* 123. *ſeqq.*

§. CCXXX.

Concilia mere eccleſiaſtica, et mixta.

Vetus is in eccleſia mos eſt, vt epiſcopi generalibus regni comitiis intereſſe cogerentur, propterea, quod eccleſiae ipſius vtilitatibus conſentaneum putaretur. Frequentia eius generis concilia olim fuerunt Conſtantinopoli, regum autem francorum temporibus paene in morem abiit, vt in negotiis grauioribus non eccleſiae modo, ſed et imperii, et optimatum, et epiſcoporum concilio vterentur. Qua de re factum eſt, ut concilia in *mere eccleſiaſtica,*

Digitized by Google

et ea, quae *mixta* adpellant, iuris eccleſiaſtici doctores partiri ſoleant.

Imperatores orientis epiſcoporum conciliis in componendis, et eccleſiae, et imperii negotiis ſaepiſſime vſos fuiſſe multis exemplis probauit THOMASINVS *diſcipl. vet. et nou. eccleſ. part. II. lib. II. cap.* 46. *p. m.* 695. Eundem morem obtinuiſſe temporibus regum francorum, quin ordinarium euaſiſſe ex eius aeui monumentis certum eſt, quemadmodum idem THOMASINVS *cit. loc. cap.* 47. et PETRVS de MARCA *lib. VI. de con. ſacerd. et imp. cap.* 24. oſtendunt. De his comitiis, inque iis negotia tractandi modo conferri poteſt STEPH. BALVZIVS *in praefat. capitul reg. franc.* quam an. 1771. ſeparatim edi curaui. NICOL. SCHATEN. *in hiſt. Weſtph. lib. X. p. m.* 648. *ſeqq.*

§. CCXXXI.

Concilium mere eccleſiaſticum diuiditur.

Eccleſiaſtica porro concilia prout ad vniuerſam, qua latiſſime patet, eccleſiam pertinent, aut intra fines *nationis* cuiusdam, *prouinciae*, vel *dioeceſis* eccleſiaſticae continentur, *generalia* hinc, aut *particularia*, atque horum illa *nationalia*, iſta *prouincialia*, haec *dioeceſana* adpellamus.

Illud animaduertendum eſt, concilia nationis alicuius integrae *generalia* dici poſſe, ſcilicet epiſcoporum omnium eius nationis. Sic in CONCILIO CARTHAGINENSI IV. quod nationale africanum fuit, *an.* 398. AVRELIVS epiſcopus carthaginenſis dicitur *in praefat. in concilio vniuerſali conſediſſe cap. XVIII.* CONCILII TOLETANI III. quod fuit nationale hiſpanicum *an.* 589. ſcriptum eſt: *praecipit haec ſancta et vniuerſalis ſynodus.* Et CONCILIVM TOLETANVM *IV. an.* 633. *generale concilium*

lium dicitur *in praef.* conf. Bartol. *inſt. iur. can. cap. XXI.* §. 4. Doviat. *praenot. iur. can. lib. II. c. I.* §. 12. Proprie autem generale illud dicimus, quod non ad eccleſiam nationis vnius, ſed ad vniuerſam pertinet. Quod ſi, vt decet recte obſeruemus, impune carebimus illa conciliorum generalium diuiſione, qua alia *abſolute*, alia *reſpectiue*, *et ſecundum quid generalia* adpellantur. Vid. P. Zallwein. *in tom. I. quaeſt. III. c. I.* §. 3.

§. CCXXXII.

Quid concilium reprobatum.

Maiori cum vtilitate coniunctum eſt, noſſe illud conciliorum diſcrimen, quod eſt inter ea, quae eccleſiae vniuerſalis conſenſu *omnino* aut *ex parte* ſunt adprobata, et quae eadem eccleſia *in reprobatis* conſtanter numerauit.

Ingens eſt conciliorum numerus, quae ab omni eccleſia conſtanter reprobata ſunt. Illuſtriora ſunt *Caeſareenſe*, *Syrium*, *Hieroſolymitanum*, de quibus Cabassvtivs *not. eccleſ. ſec. IV. p. m.* 125. Mediolanense iuſſu Constantii Imperat. *an.* 355. celebratum. Sirmiense *an.* 357. Ariminense *an.* 359. Ephesinvm II. Constantinopolitanvm Psevdoseptimvm *an.* 754. Aliaque quam plurima, quae hoc loco recenſere inutile foret. Dicetur autem alias de ſingulis ſuo loco.

§. CCXXXIII.

Concilium oecumenicum definitur.

Quoniam de principiis iuris eccleſiaſtici illius, quod eſt omnibus commune, ſermonem inſtituimus, nullo negotio intelligitur, *de*

Digitized by Google

conciliis tantum *vniuerſalibus* nos eſſe tractaturos, quae finiri poſſunt, quod ſint: *Conuentus praelatorum ex vniuerſo orbe chriſtiano legitime congregatorum, ſ. pontifice vel per ſe, vel per alios praeſidente, ad definienda eccleſiae vniuerſae negotia inſtituti.*

Concilia vniuerſalia graeci adpellant: οἰκουμένικα σύνοδα. id eſt, ἐκ τῆς οἰκουμένης, ex terra, quae habitatur quacunque, vbi chriſtiana religio viget. Vnde et a S. AVGVSTINO *plenaria* vocantur. Paucis ea finit ISIDORVS HISPALENSIS *can. I. pr. diſt. XV. Quae ſancti patres de omni terrarum orbe conuenientes iuxta fidem euangelicam, et apoſtolicam celebrant.* Proteſtantes in determinanda ſynodi notione mire variant, vt ſe difficultatibus, quibus eos antiquitas omnis premit, eximant. Origo horum conuentuum, quin ſit antiquiſſima, non eſt dubium. Iam enim eorum ſaltem *tres* ab ipſis APOSTOLIS celebratos nouimus. Ac PRIMVM quidem *A. C.* 34. Hieroſolymis, in quo MATHIAS, in locum perfidi IVDAE electus eſt per ſortem ACT. AP. *I.* 17. *ſeqq.* Enimuero arguit hoc loco VENERAB. BEDA APOSTOLOS ob electionem MATHIAE per *ſortem* potius quam *electionem* factam; contra quem eos erudite defendit IOAN. CABASSVTIVS *not. eccleſ. ſect. I. p.* 16. *et* 17. quidquid diſputet NATAL. ALEXAND. [*in diſſ. VI. ad ſec. I.* alterum eodem vt videtur tempore ACT. AP. *VI. I. ſeqq.* vid. DISS. NOST. *de S. Scrip. §.* 29. *n.* (*a*). NAT. ALEXAND. *ſaec. cit. diſſert. VII. et VIII.* TERTIVM *A. C.* 51. itidem Hieroſolymis ACT. *XV.* 5. *ſeqq.* ad quod conferi dignus eſt BARONIVS *ad h. a.* et CABASSVTIVS *l. c. p.* 18. Equidem ſunt, qui plures numerant. vid. PETR. ANNATVM *in adparatu ad theol. tom. II.* qui eorum recenſet VIII. alii pauciores vid. DVPIN *in bibliot. auct. eccleſ. tom. I. p.* 334. *edit. par.* 1692. *diſſert. de concil. ſect. II. et III.* Negant quidem proteſtantes, ſynodos dici poſſe eos APOSTOLORVM conuentus; vid.

Moſ-

MOSHEIM Allgemeines Kirchenrecht, *cap. I. §. 4. p. 69.* Sed ratione aeque falſa ducti.

§. CCXXXIV.

Non eſt neceſſe omnes fideles vocari.

Concilia igitur ſunt conuentus praelatorum ex vniuerſo orbe chriſtiano congregatorum, ex quo conſequitur, vt expectari expediat, donec ex praecipuis mundi plagis viri illuſtriores confluant; neque tamen neceſſe ſit, omnes cuiusque generis fideles chriſtianos eidem adeſſe.

Quamquam enim *numerus* praelatorum ſolus non faciat concilium oecumenicum, ne cogamur adfirmare alterum altero magis eſſe oecumenicum: neque hic vnquam ſit definitus, vt ex MATTH. *XVIII.* 20. hoc erui nequeat; quia tamen fides communis eſt, et ad omnes pertinet, illud inprimis agendum eſt, vt quoad fieri poteſt, omnes maiorum gentium hierarchae orthodoxi, aut per ſe, aut per legatos, aut ſaltem per epiſtolas adſint. Alias quippe id certum eſt, ſynodum non fore abſolute oecumenicam, donec eccleſiae reliquae acceſſerint. Quod autem ſaepe etiam alios interfuiſſe conciliis conſtet ex actis conciliorum, eius alia eſt ratio. Presbyteri non raro eruditione, atque ſapientia celebres ad concilia admiſſi ſunt *conſulendi* cauſa, aut etiam vt diſputando aduerſus haereſiarchas fidem catholicam vindicarent. Atque hac de cauſa ORIGENES in concilium arabicum ab epiſcopis introductus tanta orationis, et argumentorum vi naſcentem tum errorem impugnauit, vt pleroſque eius auctores, fautoresque eo ipſo in patrum conſeſſu ab eodem abduxerit, teſte EVSEBIO *lib. VI. hiſt. eccleſ. cap.* 37. MALCHIONEM quoque PRESBYTERVM, idem refert *lib. VII. cap.* 28. in ſynodum antiochenam admiſ-

ſum ad confutandam PAVLI SAMOSATENI haereſim, vt alia plura exempla praeteream us. Praeter hos autem alios quoque clericos ſecundi ordinis tanquam epiſcoporum abſentium procuratores in conciliis praeſentes fuiſſe reperio, ita vt etiam voto vterentur deciſiuo, quali gauiſi fuiſſent epiſcopi, a quibus mittebantur. In quibus hoc obſeruandum eſt, quod in eccleſia quidem latina et ſedem epiſcopis poſteriorem occuparent, et ſuffragiis poſt epiſcopos datis ſubſcriberent: quum contra vtrumque in eccleſia graeca aliter obſeruaretur. conf. CABASS. *not. eccleſ. ſaecul. I. p. m.* 14. *ſeqq.*

§. CCXXXV.

Vocandi ſunt epiſcopi.

Ex eodem conſequitur porro, epiſcopis, *quos* SPIRITVS SANCTVS *poſuit*, *regere* ECCLESIAM DEI, munus *iure diuino* impoſitum eſſe, vt interſint conciliis. Neque tamen ob id excludi eas perſonas eccleſiaſticas, queis recentior eccleſiae conſuetudo ius tribuit comparendi in conciliis.

Epiſcoporum quippe munus id eſt, vt vigilem adhibeant curam, diligentiamque in rebus ad eccleſiam pertinentibus, normas, regulasque determinandi, quibus fideles curae ſuae commiſſos ad cultum DEI, perpetuamque felicitatem perducant ACT. AP. *XX.* 28. PAVL. *ad epheſ. IV.* 11. 12. Sed iam diu obtinuit in eccleſia, vt et cardinales, praelati, abbates, aliique ordinum religioſorum ſuperiores ad concilia vocentur, ea ratione, quod ſuorum curam gerant ſpiritualem. A quo tempore id quidem non eſt ſatis apertum. Id vero dubio caret, quin multis ſeculis epiſcopi praeualuerint. VAN-ESPEN *part. I. tit.* 22. *c.* 1. *n.* 20. In concilio nicaeno ſecundo, quod graecorum fuit, vni-

vniuerſali Archimancritas Act. *IV*. ſubſcripſiſſe vna cum epiſcopis ap. Hardvinvm *tom. IV. col.* 268. *ſeqq. lego.* Cardinales in concilio romamano ſub Nicolao II. *an.* 1059. ante epiſcopos ſubſcripſiſſe. Vid. Hardvin *tom. VI. part. I. col.* 1066. in concil. lugdun. I. ſub Innocentio IV. *an.* 1245. eos epiſcopis ordine priores ſediſſe legimus ap. eund. Hardvin. *tom. VII. col.* 378. et in lugdunenſ. II. Sub Gregorio *X*. eos etiam metropolitanis praelatos fuiſſe teſtis eſt Raynald. *ad an.* 1274. *n.* 3. conf. Card. Iacobativm *de concilio lib. I. pag.* 25. apud Labbevm *in adparatu tom. II.* Quod ad abbates, eos colligo ex Hardvino *tom. VI. part. I. col.* 1587. *ſeqq.* tempore concilii londonienſis *an.* 1075. ad concilia duntaxat prouincialia admiſſos fuiſſe. Poſterioribus temporibus; nec a conciliis generalibus abbates excluſos fuiſſe docet nos ſchedula a Cardinale cameracenſi ſcripta, quae exhibetur in *actis concilii conſtantienſis* a Hardvin. *t. VIII. col.* 220. *ſeqq. Sciendum eſſe*, ait cit. Cardinalis, *quod quando in in conciliis generalibus ſoli epiſcopi habeant vocem definitiuam, hoc fuiſſe, quia habeant adminiſtrationem populi . . . . poſtea additi fuere abbates eadem de cauſa, et quia habebant adminiſtrationem ſubiectorum.* Decretis conciliorum *florentini* et *tridentini* etiam generales, et ſuperiores ordinum regularium ſubſcripſerunt.

§. CCXXXVI.

Concilium oecumenicum vniuerſam repraeſentat eccleſiam.

Porro eamdem praecipue ob cauſam factum eſt, neque immerito, vt a concilio oecumenico vniuerſam repraeſentari eccleſiam profiteamur. Quo fit, vt quidquid de eccleſia adhuc a nobis demonſtratum eſt; idem prorſus ad huius generis concilia, ac tuto adplicare nobis liceat.

Quod

Digitized by Google

Quod autem ſynodus oecumenica vniuerſalem repraeſentet eccleſiam, colligi poteſt ex *can. II. diſt. XV. et can. I. cauſ. XXV. q.* 1. Hanc ob cauſam concilium hieroſolymitanum ACT. AP. *XV.* 2. adſeritur fuiſſe ex omni eccleſia, etſi non tantum non omnes chriſtiani, ſed ne APOSTOLI quidem omnes interfuerint. Hinc etiam SYNODVS CONSTANTIENSIS hac formula vtitur. *Sacroſancta ſynodus eccleſiam vniuerſalem repraeſentans in praefat.* apud HARDVIN *tom. VIII. col.* 110. Adde S. ATHAN. *epiſt. de ſynod. arin.* et *epiſt. ad epiſcopos affric.* S. AVGVSTINVS *tom. IX. contr. Donatiſtas lib. I.* 18. *col.* 93. *II.* 4. *col.* 98. *IV.* 5. *col.* 124. Hinc CONCILII NICAENI II. patres *act. VI.* pſeudo ſynodum conſtantinopol. contra imagines recte reiecerunt, *quod huius ſynodi ſonus non in omnem terram more* APOSTOLORVM *exiuerit, quemadmodum ſex ſanctarum, et vniuerſalium ſynodorum ap.* HARDVIN. *tom. IV. col.* 330.

§. CCXXXVII.

Conuocandi ius competit rom. pontifici.

Quando autem porro concilia oporteat eſſe legitime conuocata, colligitur, vt indicentur ab eo, qui ius ea cogendi habet, eoque modo, ac ratione, quam in his ſeruari canones conſtituunt: adeoque a SVMMO PONTIFICE. Hic tamen conuocandi modus non ita neceſſarius, vt ſi aliter factum, nullum ſit habendum; nihil enim obſtat, quo minus epiſcopi mutuo conſenſu nemine vocante conuenire poſſint.

Quoniam enim in comperto eſt, ſummo pontifici qua tali ea omnia attribuenda eſſe iura, quae ſunt ad tuendam, reſtituendamue vnitatem eccleſiae neceſſaria, (ſup. §. 93.) ex hoc autem gen[illegible]m e diorum conciliorum auctoritatem eſſe

iam

iam ſaepe experientia cognitum eſt, et hiſtoria omnium conciliorum abunde docet, omnino conſequitur, vt ex primatu romanae ſedi adfixo pontificem recte hoc iure vti ſtatuamus. Atque hoc eodem vſus eſt ratiocinio Innocentivs I. in elegantiſſima epiſtola *ad Clerum, et popul. conſtantinop.* apud Covstant. *col.* 799. Nam, quum §. 4. dixiſſet: *Sed quid aduerſus iſta in praeſenti faciamus? Neceſſaria eſt cognitio ſynodi . . . qua huiusmodi tempeſtatum motus ſedari poſſit*: concludit: *Ideo ſe diu multumque cogitaſſe, quonam modo oecumenica ſynodus congreganda ſit, vt turbulenti motus DEI nutu tandem conquieſcant.* Qua de cauſa impetrare a me non poſſum, vt Ivstino Febronio *libro ſingulari de ſtatu eccleſiae ſeu legitima poteſtate romani pontificis conſentiam affirmanti cap. VI. §. 2. p.* 296. *Nulla lege diuina, aut humana conuocationem vniuerſalium conciliorum ſummo pontifici reſeruari.* Sed vt paulo poſt *ibid. cap.* 3. loquitur, *tacito principum, et eccleſiarum conſenſu ius congregandi vniuerſales ſynodos romano praeſuli delatum fuiſſe.* Vereor enim vehementer, ne non ſatis haec doctrina cohaereat cum principio, quo *cap. II.* §. 3. ſtatuit, *omnia illa, et ſola eſſe primigenia, et eſſentialia iura primatus, ſine quibus vnitas non poteſt ſeruari. Et eod. cap.* §. 6. *Ea, quae ad eccleſiae ſtatum attinent, vbiuis gerantur, ad romanum pontificem referenda eſſe.* Quoniam enim ſyſtemati ſuo conformiter recte ſtatuat auctor doctiſſimus *cap. VI.* §. 7. *concilia generalia abſolute neceſſaria eſſe, eccleſiam ſaepius agnouiſſe, idque praecipue ortis haereſibus, et ſchismatibus*, vt agnouit idem auctor *cit. loc.* §. 4. cum ait: *alioqui breui tempore eccleſia vniuerſa in partes ſcinderetur, et periret.* Ex eius doctrina immeditae conſequitur, vt ius conuocandi concilia ſit primigenium, et eſſentiale ius primatus. At enim *primatus romano praeſuli creditus eſſe probatur*, vt inquit, laudatus auctor *c. II.* §. 3. qua itaque ratione adfirmauit *c. VI.* §. 2. nulla lege diuina, aut humana conuocationem conciliorum vniuerſalium romano pontifici reſeruari? Neque enim, quod octo priora

con-

concilia, etſi id demus, ſine ſcientia pontificum ab imperatoribus conuocata ſint, id ſatis probat vt paullo poſt videbimus. Quin ipſe id fatetur *cap. II. §. 4. n. 5. in fin.* vid. AVCTOR ANONYMVS *hiſtoire du droit canonique, et gouuernement de l'egliſe cap. XXVII. p. 219. et p. 220.* Quamquam id recte animaduerſum puto ab eruditiſſimo DOVIAT. *praenot. iur. can. lib. II. c. I. §. 6. id ad ius commune atque ordinarium eſſe referendum.* Namque ſunt alioquin caſus, queis neceſſitas eccleſiae aliud exigit. De quo paulo poſt. Conf. omnino THOMASIN. *diſſert. III. ad concil. nicaen.* Denique vt ipſi quoque epiſcopi citra omnem conuocationem coeant, quid impedit? ſane ita factum ab antiquiſſimis temporibus; pulchre demonſtrauit THOMASIN. *cit. diſſert.*

§. CCXXXVIII.

Salvo iure principum politicorum.

Haec tametſi vera ſunt, nihil tamen prohibet, quin primorum eccleſiae ſeculorum ſynodi, conuocantibus imperatoribus chriſtianis celebratae, oecumenicis accenſeri mereantur, ac ſemper, et vbique his adnumeratae fuerint: imperatores enim chriſtiani pacis, et tranquillitatis in eccleſia, et republica conſeruandae ſtudioſi, quae nulla re magis quam religionis diſſidio turbari ſolet, et NVTRITIORVM eccleſiae, et DEFENSORVM reipublicae officio hac in parte functi ſibi inde nihil poteſtatis ſpiritualis in decidendis negotiis eccleſiaſticis adrogare praetenderunt.

Actus enim conuocationis in ſe nihil ſpirituale inoluuit, et hinc ab imperatoribus, quorum imperio vniuerſa propemodum eccleſia tunc temporis incluſa fuit, iure exerceri potuit, ſicut et hodie ex eadem ratio-

ratione ſingulis principibus chriſtianis hoc ipſum ius reſpectu ſuorum regnorum denegari nequit, vt adeo ius conuocandi concilium cum iure in eo decidendi; quod eccleſiae ſemper ſaluum et integrum remanſit, minime confundi debeat. *DEVS vos conſtituit ſacerdotes, et nobis dati eſtis DII*, inquit Constantinvs M. in ſynodo nicaena, quam eum conuocaſſe conſtat. *Conueniens autem non eſt, vt homo iudicet DEOS, ſed ille ſolum, de quo ſcriptum (*Psalmvs LXXXI.*) DEVS ſtetit in ſynagoga DEORVM, in medio autem DEVS indicat* ita Rvfin. *l. I. c. II.* cui conſentit Sozomenvs *lib. I. c.* 17. *edit. Valeſia. Mihi, quum homo ſim, nefas eſt, huiusmodi rerum cognitionem arrogare, cum et qui accuſant, et qui accuſantur, ſacerdotes ſint.* Inde etiam eſt, quod Theodosivs, et Valentinianvs Imp. in ſacra (id eſt epiſtola) ad ſynodum epheſinam miſſa aperte profiteantur, *ſe* Candidianvm *praeclariſſimum ſacrorum domeſticorum comitem ad ſynodum epheſinam abire iuſſiſſe, ea lege, et conditione, vt cum quaeſtionibus, et controuerſiis, quae circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat; nefas enim eſſe aiunt, qui ſanctiſſimorum epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum eccleſiaſticis negotiis, et conſultationibus ſeſe inmiſcere ap.* Hardvin. *tom. I. col.* 1346. Denique Marcianvs Imp. cuius auctoritate celebratum eſt concilium chalcedonenſe Act. *VI. in allocutione. Nos* inquit, *ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam exemplo religioſi* Principis Constantini *ſynodo intereſſe voluimus, ne vel vlterius populi prauis ſuaſionibus ſeparentur ap.* Hardvin. *tom. II. col.* 466. *add. cap.* 2. *ſeqq.* Diss. *XCVI.* Ex quo ſimul adparet, quo animo quibusue de cauſis imperatores, principesue ſacris his conuentibus pro muneris ſui ratione intereſſe geſtiant. Atque ex his iam perſpicuum eſſe exiſtimo, quid ſit et de Febronii viri clariſſimi *cit. loc.* ſententia et Thomasini *cit. diſſert. §. 5. factum* inter, et *ius* diſtinguentis opinione ſentiendum. Conf. Nat. Alexand. *hiſt. eccleſ. ad ſec. IV. diſſ. V. tom. IV. p.* 208.

§. CCXXXIX.

§. CCXXXIX.

Etiam hodie principum conſenſus requirendus eſt.

Enimuero haec principum conuocatio, quamquam non ſit ex earum rerum numero, quae fieri nequeunt; difficilis tamen, et ardua ab eo tempore euaſit, quo vaſtiſſimum imperium romanum in plura regna diſcerptum fuit. Ex quo iam inde a ſeculo XI. Ius iſtud penes vnum romanum pontificem ſtetit: conſenſum tamen principum negligi minime oportet, ne aut epiſcoporum praeſentia, aut decretorum executio impediatur.

Vid. GIBERT *tom. I. p.* 78. *ſeqq.* qui tamen *ibid. p.* 66. quatuor caſus nec ſine ratione excipit. Nimirum *ſi dubius ſit papa; ſi notorius ſit haereticus: ſi ſedes vacet, ſi concilium praecedens futuri tempus, vt locum praeſiniat.* Id ſatis certum eſt, non poſſe quemquam epiſcoporum quauis ex cauſa inuito principe abeſſe a regno, quum conſtet id pertinere ad reipublicae adminiſtrandae poteſtatem. Deinde *cum duo ſint*, inquit doctiſſimus DOVIAT. *cit. loc.* §. *VII. quae in conuentibus hiſce ſacris tractari, ac definiri ſolent, dogmata nimirum fidei, ac diſciplinae canones, quamuis in iis, quae fidei ſunt, atque doctrinae, plena ſit epiſcoporum in eiusmodi ſynodis poteſtas, nihilominus, et his facilius ad exitum perducendis vtilem admodum, et ceteris, quae ad publicos mores ſpectant, firmius ſtabiliendis, neceſſarium imperantium auctoritatem eſſe, tum res ipſa docet, tum vetera* CONSTANTINI, THEODOSII, MARCIANI, *aliorumque piorum* PRINCIPVM *in nicaeno primo, conſtantinopolitano I. chalcedonenſi conciliis interuenientium exempla teſtantur, et fatentur ipſi pontifices.* S. LEO PAPA *res humanas aliter tutas eſſe non poſſe*, cordate agnoſcit ap. GRATIANVM *can.* 21. *XXIII.* 5. *niſi quae ad diuinam confeſſionem pertinent, et regia,*

et

et ſacerdotalis defendat auctoritas. Conf. *ibid can.* 20. 26. 34. *et* 35. Petrvm de Marca *lib. II. c.* 10. *ſeqq. lib. IV. cap. ſeqq. lib. IV.* 22. Pavlvs III. *in bulla indictionis.* Ivlivs III. *in bulla reſumtionis.* Pivs IV. *in bulla celebrationis* concilii tridentini id exemplo ſuo ſatis comprobarunt, vt concilium conſtantienſe praeteream, quod Sigismvndi Imperatoris conſenſus expreſſam facit mentionem apud Hardvin. *ſeſſ. I. concil. conſtantienſ. tom. VIII. col.* 232.

§. CCXL.

Epiſcopi gauden ' iure voti deciſiui.

Porro autem ex eodem axiomate colligimus omnes, miſſis ad ſingulos litteris conuocatoriis eſſe vocandos, queis id diuino, aut humano iure competit, neminemque eorum ſine iniuria praeteriri, (ſup. §. 235.) non vocatos vero ſua auctoritate comparere poſſe. Suffragiorum autem ius, quo epiſcopi gaudent, non *conſilii* duntaxat, ſed et *deciſionis* poteſtate praeditum eſſe.

Quibus eccleſiae forma eſſe monarchica viſa eſt, iis non aliud magis naturale viſum eſt conſectarium, quam epiſcoporum his in conuentibus munus omne in *conſulendo* ſitum adfirmare; ſed qui ita ſentiunt, parum memores eſſe videntur illius mandati, quod datum eſt epiſcopis Act. ap. *XX.* 28. *Vt ſibi, et vniuerſo gregi attendant, in quo eos* Spiritvs Sanctvs *poſuit regere eccleſiam* Dei. Deinde et de his vtpote Apostolorvm ſucceſſoribus dictum eſſe cogitent: *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit* Matth. *X.* 40. Lvc. *X.* 16. Ioan. *XIII.* 20. Et Apostolos quum audio Act. ap. *XV.* 28. ſententiam conciliarem promulgantes: *Viſum eſt* Spiritvi Sancto, *et nobis*, amplius aliquid poteſtatis animaduertere mihi videor,

quam quidem eorum eſt, quos ſummis principibus nouimus a conciliis adſident. Certe PAVLVS concilii eius ſtatuta modo *praecepta ibid. v.* 41. modo vocat *dogmata: ibid XVI.* 4. *Nam ſi, vt conſulerem*, inquit doctiſſimus MELCHIOR CANVS *loc. theol. lib. V. cap.* 5. *p.* 159. *advocarentur, iis epiſcopis, qui theologiae rudes, et imperiti eſſent, nullus eſſet omnino in conciliis locus, quando theologiae quaeſtio veniret in dubium, cetera*, vbi hanc quaeſtionem ſolide more ſuo examinat. Conf. PETR. DE MARCA. *lib. V. c. XII.* §. 7. et BOSSVET in *defens. declar. cleri gallic. lib. XIII. cap.* 20.

§. CCXLI.

Num omnes epiſcopos adeſſe oporteat?

Quemadmodum autem omnes eo iure praeditos vocandos eſſe conſtat (ſup. §. 235.), ita rite vocatos niſi graui, et iuſta cauſa impeditos comparere oportet; abſentia tamen rite vocatorum etiam plurium valori, et auctoritati concilii nihil derogare poteſt; abſentium enim ius adcreſcit reliquis, quo fit, vt ſtatuta rite nihilominus ſtringant etiam eos, qui ſeu quod non poſſent, ſeu quod nollent, concilio non interfuerunt.

Quod dixi omnium non requiri praeſentiam, eius traditio luculentum eſt teſtimonium. Neque enim vllum hactenus concilium vocare oecumenicum poſſis, vbi ſederit animo, omnes adeſſe oportere, quod difficile dictu eſt in tam vetuſta iuris obſeruatione. Adde, quod ea ſit moralis corporis natura, vt a perſonarum mutatione non omnino pendeat, conſenſus tamen omnium etiam abſentium requirebatur, vt hoc modo conſentiens haberetur, eccleſia. Atque inde eſt, quod ait CHRYSOSTOMVS *hom. LII. Tu non* NICAENOS PATRES, *ſed et* ORBEM TERRARVM *vniuerſum condemnas, qui ſententiam illorum comprobauit.* vid. etiam *can.* 5. 14. *diſt. XVIII. et cap.* 4. *de iureiur.*

§. CCXLII.

§. CCXLII.

Ius praeſidendi papae competit.

Ex primatu ſedi romanae adhaerente id quoque conſectarium deducimus, vt *ius in omnibus praeſidendi* pontifici romano vindicaremus, docet hoc eadem in conciliis ſeruanda norma, quam ab Apostolis adcepimus exemplo ſuo ſtabilitam, conuenit naturae concilii eccleſiam vnam repraeſentantis, conuenit denique hactenus vſitatae conſuetudini.

Exemplum dederunt Apostoli act. *XV.* 7. quod eccleſia perpetuo imitata eſt ſic, vt vſum hunc perpetuum in eccleſia viguiſſe pluribus demonſtrarem. Sed res omnis in tuto collocata eſt a viris hiſtoriae eccleſiaſticae et iuris canonici peritia omni laude maioribus Petro de Marca *lib. V. c.* 2. *pluribus ſeqq.* et Thomasino *diſſert. X. ad concil.* Non ego quidem ſum neſcius in dubium id vocaſſe Gibertvm *corp. iur. can. in prolegom. part. I. tit. XV. ſect.* 17. *p.* 107. et qui hunc libenter ſequitur Ivstin. Febron. *cit. opere cap. VI. §. IV. n.* 1. Sed quia neutrum reperio reſpondiſſe argumentis contrariis, aeque animo ferant in alia omnia euntem.

§. CCXLIII.

Etiam per legatos.

Eo iure ſaepiſſime miſſis legatis vſi ſunt, quibus id cum reliquis legatis commune eſt, vt apoſtolicae ſedis confeſſionem offerre debeant, non tamen *tanquam de incertis contendere, ſed vt certa atque immutabilia compendioſa definitione proferre.*

Digitized by Google

Quae de legatis pontificum dixi, verba ſunt ex AGATHONIS *epiſt. act. IV. ſynod. VI. ap.* HARDVIN. *tom. III. col.* 1123. cui adde MELCHIOR. CANVM *loc. theol. lib. V. c.* 5. *p.* 155. *ſeqq.* Qui autem imperatoribus ſeu ſolis hoc ius attribuunt, ſeu eis omnino abiudicant, vtrique peccant. Alterum enim cum hiſtoria perſpicue pugnat, in eccleſiam iniuriosum eſt alterum. Quin conciliis interfuerint imperatores ſaepe ipſi, non raro per legatos ſuos, nemo facile iuerit inficias. At non vt praeſides, et iudices, ſed vt defenſores, teſtes, et conſcii decretorum, vt ſi opus foret, in contumaces, pacisque turbatores pro auctoritate ſua animaduerterent (ſup. §. 238.) Sunt enim reges cuſtodes legis diuinae, non interpretes, non iudices vti S. AVGVSTINVS docet *epiſt.* 185. *tom. II. col.* 651. *n.* 19. et patet ex *lib. I. C. de SS. Trinit. et tot. tit. C. de haeret.* nec aliud profeſſi ſunt CONSTANTINVS, MARCIANVS, omnium luculentiſſime THEODOSIVS, et VALENTINIANVS *in ſacra ſupra in ſcholio citata*, in qua declarant ſe CANDIDIANVM ad ſynodum epheſinam *ea tamen lege, et conditione miſiſſe, vt eccleſiaſticis negotiis, et conſultationibus ſe non immiſceat, verum vt monachos, et ſaeculares, qui huius ſpectaculi cauſa vel eo nunc confluxerunt: vel in poſterum confluent; ab eadem illa ciuitate modis omnibus ſubmoueat, quandoquidem non licet illos, qui omnino neceſſarii non ſunt ad ſacrorum dogmatum examen, tumultus excitare, et iis, quae cum tranquillitate a veſtra ſanctitate conſtitui, definirique debent, obſtaculum aliquod adferre, tum rurſum, vt diligenter proſpiciat, ne quae diſſenſio ex mutuo repugnandi ſtudio contra increbeſcat, et ſaeua tempeſtatis inſtar debacchata, ſi ſynodi veſtrae conſultationem, exactionemque veritatis indagationem forte obturbet; ſed vt iis, quae dicuntur, rite perceptis ſinguli inoffenſe, quod viſum fuerit in medium proponere, vel ab aliis propoſitum refutare queant, vt ea tandem ratione, vbi per ſingulas propoſitiones, exceptionesque inquiſitio citra vllam omnino turbam, contentionemque habita fuerit, quod omnibus placidum probatumque fuerit, communi veſtrae ſanctitatis ſententia conſtituatur, decernaturque*, vid. THOMASIN *cit. diſſert.* §. 14. *ſeqq.* PETRVS DE MARCA *cit. loc*

§. CCXLIV.

§. CCXLIV.

Huius iuris effectus.

Ex iure praeſidendi, quod antiſtiti romano competit, (ſup. §. 242.) intelligimus, cur ordinis praerogatiua ipſe, et legati eius gaudeant, rerumque gerendarum, et ſanciendarum auctores exiſtant.

Atque hoc ſane apoſtolica traditione nititur, ex qua conſtat Petrvm in concilio hieroſolymitano non praeſediſſe tantum, ſed et propoſuiſſe deliberanda, et primo loco ſententiam dixiſſe. Vid. Petrvs de Marca *lib. V. de conc. ſacerd. et imp. cap. 7.*

§. CCXLV.

Salua tamen epiſcoporum ſuffragandi libertate.

Verum hanc ſententiae praerogatiuam ita par eſt intelligi, vt ſalua maneat *concilii libertas*, quam quidem in eo ſitam eſſe recte contendunt, vt ſententiam a pontifice dictam tum demum vim definitionis obtinere dicamus, quando, inſtituta rite deliberatione, conſenſu epiſcoporum, ſuo iure de quaeſtione propoſita iudicantium (ſup. §. 240.) eadem probata eſt, ac confirmata.

Aliam longe, *libertatis ſynodorum* notionem dedit Card. Orsi in *diſſ. de modo concil. ſumm. roman. pontif. auctorit. cum libertat. ſuffrag. in ſynod. oecumen. In hoc*, inquit, *p. 66 ſynodi libertas poſita eſt: vt epiſcopi in generalibus ſynodis iuſtam notitiam adcipiant conditae a romano pontifice legis, huius aequitatem rationes, et momenta cognoſcant; atque ita tum auctoritate ſummae ſedis munita, tum luminibus illuſtrata, et zelo incenſa, omnia poſſit aduerſus impios,*

et perduelles pro religione, et veritate. Quin et de concilio hieroſolymitano *de rom. pontif. auct. lib. I. cap. X. art.* 2. ſcribit: *Quum* PETRVS *certam de re, quae in quaeſtionem vocabatur, ſententiam pronunciaſſet; eam deinde* IACOBVS *ad ſcripturarum amuſſim, et prophetarum oracula exegit: non quidem, quod* PETRI *definitionem haud ſatis ſuo pondere firmam, et immobilem iudicaret, ſed vt, quos* PETRI *auctoritas non moueret, in eandem ſententiam veterum ſcripturarum auctoritate pertraheret.* Sed quid, niſi hoc eſt diuinare, et praeconceptae opinioni ſeruire? Cur enim quaeſo is ſupponit vnius PETRI auctoritate quaeſtionem de legalibus deciſam, determinatamque fuiſſe? Certe ſeries rei geſtae aliud docet, (ſup. §. 103.) Rectius vtique ſentit MELCHIOR CANVS *loc. theol. lib. V. cap.* 5. APOSTOLIS *et* PRESBYTERIS *in ſynodum hieroſolymitanam congregatis non ſtatim reuelatum eſt, quid eſſet in fidei cauſa* DEFINIENDVM, *ſed facta eſt prius, vt* LVCAS *ait, magna* CONQVISITIO. At quid haec conquiſitio, ſi definitio PETRI *firma* fuit, et *immobilis?* Enimuero concitauit non nihil inuidiae formula CONCILII TRIDENTINI *ſeſſ. XVII. proponentibus legatis ac praeſidentibus*, eo quod ius epiſcoporum libere dandi ſuffragia inde detrimenti quid adcepiſſe videretur. Vid. GIBERT. *corp. iur. can. prol. pars prior tit. X. ſect. IV. p.* 167. *ſeqq.* At quum res iſta vtpote noua motuum nonnullorum eſſet cauſa vid. PALLAVIC. *hiſt. concil. trident. lib. XXIII. c. II. n.* 1. *c. V. n.* 7. 14. *c. VI. n.* 5. *c. VIII. n.* 5. *c. XII. n.* 6. *et* 7. Tandem CONCILIVM ipſum *ſeſſ. XXIV. cap.* 21. *de reform.* explicando declarauit, *mentis ſuae non fuiſſe, vt in praedictis verbis ſolita ratio tractandi negotia in generalibus conciliis vlla ex parte immutaretur, neque noui quidquam praeter id, quod a ſacris canonibus; et generalium ſynodorum forma hactenus ſtatutum eſt, cuiquam adderetur, vel detraheretur;* quo ipſo epiſcoporum iura ſatis in tuto collocata videbantur.

§. CCXLVI.

§. CCXLVI.

An neceſſaria confirmatio?

Modus ſententias dicendi in conciliis non vnus perpetuo fuit. Rite autem decreta, et ſufficienter, vt decet, promulgata, vt auctoritatem ſuam obtineant, ſunt, qui *confirmari* eadem a ſede romana oportere contendant: Aliis id neceſſarium minime viſum eſt.

Modum tractandi in conciliis varium erudite docet GIBERT. *tom.* I. *p.* 91. De confirmatione pugnatur in vtramque partem argumentis non leuibus. Si auctoritate duceris, ii ſunt vtriusque ſententiae patroni, quos inter vix diſcernas, cuius ſit aut ab eruditione, aut a religione maior auctoritas. Quid mihi videatur, dicam.

§. CCXLVII.

Quid ſit confirmare decreta conciliorum?

Quod antequam facio, operae pretium fuerit oſtendere, quid ſit confirmare decreta concilii. Eſt autem *confirmare* in genere nihil aliud quam nouas addere rationes. Quo fit, vt decreta concilii *confirmare*, ſi vim verbi propriam ſpectes, ſit, nouas eidem rationes addere, quibus efficiatur, vt ea tanquam decretoria ab omnibus ſuſcipiantur.

Non puto fore eorum quemquam, qui ſeſe pontificiae confirmationis patronos gerunt, qui hanc huius verbi adceptionem neget. Haec enim niſi propria ſit, eisque adamata ſignificatio, quid ſibi velint, quum tanta contentione confirmationem hanc vrgent, ego non video. Alioquin non ignoro, aliam quoque eſſe huius vocis in ſcriptis ec-

eccleſiaſticis adceptionem, veluti, quum idem ſignificat, ac *conſentire*, aut ea, quae dicuntur, concilii decreta rite fuiſſe condita declarare, ac fidelibus indicare id, quod iam ab aliis obſeruatum eſt.

§. CCXLVIII.

Decreta conciliorum generalium rite condita confirmatione pontificia non indigent.

Quod ſi ita eſt, mihi quidem acta conciliorum vetera, atque recentiora diligenti opera perluſtranti de toto hoc confirmationis negotio ita ſtatuendum videtur, vt confirmationis huiuscemodi neceſſitatem ex iis non modo non *demonſtrari*, vt aiunt, ſed ne ſatis quidem firma coniectura confici poſſe exiſtimem, niſi forte ea demas conciliorum decreta, quibus conficiendis aut interceſſerint legati pontificum, aut omnino eius nomine interfuerit nemo.

Quod ſi enim nulla eſt ſynodi oecumenicae, citra pontificis confirmationem talem, qualem volunt Italiae ſcriptores, auctoritas, nullum habet praeſidium eccleſia, quo ſeſe aduerſus iniurias tueatur. Et vero haud difficile fuerit, ſi animus euagari ex omnibus omnium conciliorum generalium actis oſtendere, nullam vnquam eiusmodi confirmationem a pontifice romano fuiſſe petitam, quod erudite, vt ſolet, et luculenter probauit doctiſſimus BOSSVETVS *def. declar. cleri. gall. lib. XIII. cap. I. ſeqq.* cuius non poſſum, quin adſcribam verba, quae ſunt *cit. lib. cap.* 10. *Libenter quaererem*, inquit, *ludantque nos ſynodi, cum abſolute, ac decretorie pronunciant:* ſi quis non ita ſenſerit, anathema ſit. *Ac nimis profecto ineptiunt, qui haec anathemata intentari reſpondent, ſynodis ſub ratihabitione, et confirmatione futura pontificis; at ſaltem audiant* has

has formulas ab omnibus ſynodis frequentatas, quae effectum ipſum denotant: *ab eccleſia proiecimus, priuauimus, nudauimus omni dignitate:* ac rurſus alio modo: *nudatus eſt, priuatus eſt, proiectus.* Tanquam perfecta re, quam ipſi perdere volunt. Poſtremo, ſi adhuc haeſitant, eſto illud ab VIII. ſynodo decretum, peremtorium haud minus aduerſus eorum ſententiam, quam aduerſus Photium: *Nos eum inobedientem, et reſiſtentem ſanctae huic et vniuerſali ſynodo repulimus, et anathematizauimus, atque a tota, et apoſtolica eccleſia fecimus alienum per datam nobis poteſtatem in ſpiritu ſancto, a primo, et magno pontifice noſtro liberatore, et ſaluatore cunctorum:* Quid enim expectant, qui ſic pronunciant? Sed nos in tam claris plus aequo immoramur. Cf. etiam Petrvm de Marca *de conc. ſacerd. et imp. lib. II. c. X. §. VIII. ſeqq. et lib. VI. c. XXII. per totum.*

§. CCXLIX.

Vnde hauriendae definitiones?

Quum porro concilia inſtituuntur ad eccleſiae negotia definienda, (ſup. §. 233.) idque iuxta fidem euangelicam, et apoſtolicam, conſequens eſt: vt in controuerſiis ad fidem ſpectantibus deciſionis norma non alia eſſe queat, quam *ſacra ſcriptura,* et *traditio,* (ſup. §. 234.) liberius autem ſit in ſtabilienda diſciplina arbitrium.

Quo factum eſt, vt in conciliis duo poſiti fuerint ſub throno codices: *Alter* S. ſcripturae, canonum *alter*: ille in rebus fidei, hic in cauſis diſciplinae inſpiciendus; vid dissert. nostr. *de collect. iuris ante gratianei c. I. §. 28. n.* (a) Namque in materia quidem fidei quid aliud faciunt concilia, quam *ſecundum ſcripturas, ſecundum traditiones patrum, ſecundum eccleſiaſticas regulas anteriores pro fide, ac communione catholicae eccleſiae dubia explicare ac firmare?* Gelasivs *ad epiſcopos Dardaniae cap.*

13. Elegantiſſime VINCENTIVS LIRINENSIS *in commonit. I. c. 31. Chriſti eccleſia ſedula et cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit. . - Denique quid vnquam aliud conciliorum decretis niſa eſt, niſi vt, quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentius crederetur, quod antea lentius praedicabatur, hoc idem poſtea inſtantius praedicaretur; quod antea ſecurius colebatur, hoc idem poſtea ſolicitius excoleretur. Hoc, inquam, ſemper neque quidquam praeterea haereticorum nouitatibus excitata, conciliorum ſuorum decretis catholica perfecit eccleſia, niſi, vt, quod prius a maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc idem poſteris etiam ſcripturae chirographum conſignaret, magnam rerum ſummam paucis litteris comprehendendo, et plerumqne propter indiligentiae lumen, non nouum fidei ſenſum, nouae adpellationis proprietate ſignando.* Et S. ATHANASIVS *lib. de ſynod. Nicaeni patres*, ait, *de fide ita ſcripſerunt: credit eccleſia catholica: et ſtatim confeſſio ipſa adiuncta eſt, vt oſtenderent eam non eſſe nouam ſententiam, ſed apoſtolicam: et quae ipſi ſcripſiſſent: non eſſe ſua inuenta, ſed apoſtolorum documenta.*

§. CCL.

Quotuplicis generis ſunt ſtatuta conciliorum?

Quumque negotia omnia eccleſiaſtica aut dogmatum fidei, aut diſciplinae eccleſiaſticae adpellatione continentur, (ſup. §. 33.) conciliorum autem finis ſunt definienda eccleſiae negotia, (ſup. §. 233.) perſpicuum eſt, conciliorum definitiones aut ad fidem, aut ad diſciplinam ſtabiliendam eſſe comparatas. Illae *dogmata*, hae *canones* adpellantur.

Can. 1. *et* 2. *diſt. III.* Migrauit hunc morem concilium tridentinum, in quo definitiones fidei, *canones*; regulae vero ad mores et diſciplinam eccleſiae pertinentes *decreta* inſcribuntur, conf. GIBERTVM

BERTVM *corp. iur. can. tom. I. p.* 92. *pluribus ſequentibus.*

§. CCLI.

Concilium eſt infallibile.

Quoniam quidem concilio oecumenico vniuerſa repraeſentatur eccleſia. Haec autem in rebus fidei, et morum ad ſalutem pertinentium infallibili praedita eſt auctoritate, (ſup. §. 76.) conſequens eſt, vt concilium nec (I) in rebus fidei, nec (II) in materia morum ad ſalutem aeternam neceſſariorum, et vniuerſae eccleſiae praeſcriptorum erroris periculo ſubiaceat.

Niſi eccleſia, et quod hanc repraeſentat, concilium in rebus fidei errori non obnoxia dicatur, parum abeſt, quin omnis religio in nihilum abeat, quod quam ſit ab omni ſenſu recti alienum, quis eſt, qui ignoret? Aliter S. ATHANASIVS *epiſt. ad epiſcop. afric.* quum ait: *Verbum* DEI *per oecumenicam nicaenam ſynodum manere in aeternum. tom. I. eius opp. p.* 899. et S. AMBROSIVS *epiſt.* 21. *Sequor*, inquit, *tractatum nicaeni concilii, a quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare*, quod et IVSTIN. IMP. agnouit *in lib.* 4. *c. de ſumma Trinit.* atque huc pertinent ISIDORVS *diſt. XV. c.* 1. et GREGORIVS *diſt. cit: can.* 2. et IVSTIN. *nou. CXXXI. cap.* 1. adde *c,* 6. 7. *XXV. q. I. et c.* 4. *cauſ. ead. quaeſt. II.* Eadem ratio in moribus quoque valere debet. MATTH. *V.* 24. LVC. *I.* 75. *III.* 11. IOAN. *XII.* 25. *ad* ROM. *XII.* 1. *ſeq. ad* PILIPP. *III.* 3. IACOBI *I.* 27.

§. CCLII.

Sunt neceſſaria concilia.

Quum itaque concilium neque in rebus fidei, neque in determinandis mediis ad fidei per-

perfectionem neceſſariis errori ſit obnoxium, (ſup. §. 252.) facilis eſt collectio, quam ſit conciliorum generalium in eccleſia non *vtilis* modo, ſed et non raro *neceſſaria* auctoritas.

Diuinae veritatis eſt: *ſalutem eſſe, vbi multa concilia* PROVERB. *XI.* 14. et ibid. *XXVII.* 6. Hinc etiam MOYSES ſapientes ſibi in concilium elegit, quod ſolus *ſuſtinere* onus haud potuerit EXOD. *XVIII.* 18. II. DEVTER. *I.* 12. Quod et PLATO vidit, cum conſultationem *Sacrum* quidquam, et ARISTOTELES *diuinum* adpellarunt *apud* LIPSIVM *polit. III.* 4. Enimuero oporteat eſſe *ſcandala*, atque *haereſes* MATTH. *XVIII.* 7. *I.* CORINTH. *XI.* 19. et quod omne *regnum in ſe diuiſum diſſolui* neceſſe ſit. MATTH. *XII.* 25. quod hic aliud eſt medium, niſi id ſit concilium? Sane ita factum eſt ab apoſtolis ACT. I. 15. VII. I. ſeqq. XV. 5. & agnouerunt patres CONCIL. CONST. *ſeſſ. XXXIX.* nec minus principes chriſtiani, et leges patriae REC. IMP. *an.* 1524. §. 28. *an.* 1526. §. 5. et 6. *an.* 1529. §. I. *an.* 1548. §. 4. *ſeqq. an.* 1551. §. 10. conf. etiam c. 3. *D. XX. et c.* 21. *de off. deleg. Traité de l'étude des conciles p.* I. *c.* I. *et* 2. 3. vbi, quae obiici ſolent, ſolide refutat.

§. CCLIII.

Canones ſunt promulgandi.

Promulgatio eſt actus, quo efficitur, vt, quos obligatura lex eſt, eis ſatis innoteſcat. Quum itaque conciliorum ſancita cunctos fideles obligent, (ſup. §. 233.) hoc autem non fiat, niſi in eorum cognitionem fideles queant peruenire, conſequens eſt, vt acta conciliorum ſingulis, praecipue abſentibus praelatis eccleſiae communicanda, et ab his promulganda ſint.

Quam

Digitized by Google

Quam rem ab eccleſia vſurpatam docemur non modo in ACTIS APOSTOLORVM *XV.* 41. *XVI.* 4. ſed et poſteriorum omnium conciliorum hiſtoria, vt ex ſola patet bulla PII IV. *Sicut ad ſacrorum* SESSIONI XXV. ſubnexa optima ratione: *leges* enim *ſacratiſſimae*, inquiunt Impp. VALENTIN. et MARCIAN. *quae conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent. l. 9. c. de leg.* fiebat autem id literis *encyclicis*, quae etiam *circulares* et *catholicae* a vetuſtis ſcriptoribus adpellantur, quarum varias ſpecies ex antiquitate illuſtrat FERRARIVS *de var. eccleſ. epiſt. gener. lib. II. cap. IV. et cap. VI.*

§. CCLIV.

Promulgati legitime obligant.

Poſteaquam autem ſatis, atque legitime promulgata conciliorum decreta, ſiue ea ad religionis ſubſtantiam, et dogmata pertineant, ſiue in ſtabilienda, formandaque eccleſiae diſciplina verſentur; dubium nullum eſt, quin plenam ſortiantur obligandi poteſtatem (ſup. §. 233.)

Sed fit tamen ſaepe, vt in vſum non deducantur diſciplinae capita. Sane eccleſia gallicana concilii tridentini *reformationes* ſalua libertate eccleſiae gallicanae recepit. *Dolendum*, inquit AVCTOR *Princ. iur. publ. eccleſ. quod vix ſit dioeceſis, in qua ſaluberrima tridentini reformatio pleniſſime ſit introducta. Obſtant inolitae conſuetudines, priuilegia, et libertates eccleſiarum, exemtiones monaſteriorum, reformandorum potentia, ordinariorum reſpectus humani, incuria, et timiditas.* Ceterum animauertendum id eſt, nullam in diſciplina eccleſiaſtica promulgationem, adceptionemque tantum ſui momento valituram, vt iuribus principum quidquam deroget.

§. CCLV.

§. CCLV.

Non omnia legis inſtar habenda ſunt.

Quod autem de ſynodalium ſtatutorum auctoritate diſputaui, id non ita capiendum moneo, vt omnia definitorum dogmatum loco habeantur. Non eſt ita. Multa enim definiuntur, vt *fidei diuinae dogmata;* alia veluti quaedam *theologorum concluſiones.* Non nulla placent vt *probabiliora.* Non pauca quaſi *piae* quaedam, et *ſalutares* laudantur *conſuetudines.* Nec minus multa de induſtria in neutram partem definita relinquuntur.

Fidei *dogmata* ſunt definitiones conciliorum nicaeni, conſtantinopolitani, quae contra Arium, Neſtorium, alios propoſitae ſunt quoad DEITATEM CHRISTI, et SPIRITVS SANCTI: at quae de gratia infantum baptizatorum decidit CONCIL. VIENNENS. relatum *in clem. un. de SS. Trinit.* vt *probabilius* placuit. Vſus imaginum, ſupplicationes publicae, veſtitus ſacerdotum *piae* ſunt *conſuetudines* laude dignae, quum vſus rectus eſt. Et vero immaculatam conceptionem B. M. V. concilium tridentinum *indeciſam* reliquit, vti et eam de reſidentia epiſcoporum diſputationem *ſeſſ. XXIII. de reform. c.* 1.

§. CCLVI.

An alterum alteri deroget?

Ceterum conciliorum par eſt omnium auctoritas; ea autem, quae ad diſciplinam tantum comparata ſunt, ſine vnionis detrimento aliter ſe atque aliter habere queunt. Ex quo conſequens omnino eſt, vt in his quidem

dem rebus prius a poſteriori emendari, eidem derogari, quin et abrogari poſſit.

Quemadmodum enim *vere*, ait VINCENT. LIRINENS. *lib. III. contr. haeret. proprieque catholicum eſt, tenere, quod ſemper, quod ab omnibus, quod vbique creditum eſt;* Ita S. AVGVSTIN. *lib. II. cap.* 3. *de bapt. contra Donatiſtas: tom. IX. col.* 98. *quis neſciat*, inquit, *ipſa concilia, quae per ſingulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati cedere, ipſaque plenaria ſaepe priora a poſterioribus emendari, cum alio experimento rerum aperitur, quod clauſum erat.* In rebus autem fidei, quando alterum alteri opponitur, S. AVGVSTINI conſilio vtendum eſt. *Lib. II.* contr. MAXIMINVM *cap.* 14. *tom. VIII. col.* 704. qui nicaenae ſynodo ariminenſem oppoſuit. *Sed nunc nec ego*, inquit, *nicaenum nec tu debes ariminenſe, tanquam praeiudicaturus proferre concilium; nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritate non quorumque propria, ſed vtrisque communibus teſtibus res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.*

§. CCLVII.

Quis habeat ius diſpenſandi?

Ex quo principio illud etiam conſequi neceſſe eſt, vt *diſpenſandi* poteſtatem ipſi concilio tribui oporteat. Sed et aequum eſt, libenterque patitur eccleſia, vt papa romanus, qua is primatum in eccleſia obtinet, eadem vtatur poteſtate, tum nimirum, quando concilium ipſum haud dubie fuiſſet diſpenſaturum. Quid? quod niſi de expreſſa conſtet prohibitione, etiam epiſcopis ſua cuique in dioeceſi id ius haud eſſe denegandum videatur, quatenus eius quidem vſum prudens gubernandi ratio exponit.

Duas

Duas hic maxime a doctoribus dari regulas recte obſeruat vir de omni iure eccleſiaſtico in Germania optime meritus celeberrimus paucis abhinc annis in Vniuerſitate Wirceburgenſi SS. Canonum Profeſſor CAESAR BARTHEL *in Adnotationibus ad ius can. Vniuerſ. lib. I. tit. XXXIII. Num.* 41. ibique animi ſui ſenſa deſuper hiſce verbis adperit: *Prior eſt*, inquit, *quod epiſcopus in regula diſpenſare non poſſit in iure communi, concilio generali, vel conſtitutionum apoſtolicarum, niſi in ſpecie haec facultas ei ſit conceſſa. Altera eſt: quod in regula epiſcopus poſſit in canonibus concilii generalis, et conſtitutionibus apoſtolicis, ſecundum ſpiritum tamen canonum ex vtilitate, et neceſſitate publica diſpenſare, niſi in ſpecie haec ei facultas ſit ademta. Et haec vltima*, pergit ibidem vir cordatus, *contra auctorem* (id eſt, P. Engel) *etiam a nobis tenetur: ratio eſt: quia haec facultas diſpenſandi in ſuo diſtrictu epiſcopo eſt conceſſa, quae eſt vtilis, et neceſſaria ad regendam eccleſiam, in qua a ſpiritu ſancto poſitus eſt: Atqui facultas diſpenſandi in conciliis generalibus canonum etc. eſt epiſcopo neceſſaria, et vtilis, ne iugum CHRISTI euadat durum, et homines ſubin laqueis conſcientiae inuoluantur. Ergo in regula eſt conceſſa, cum CHRISTVS Dominus illimitare dixerit: quaecunque ſolueritis ſuper terram etc.* Qua de re, quum cumulate actum ſit ab aliis, ac praeterea in vnaquaque materia adcuratius, quid vſus teneat, moneri poſſit, nunc nihil addo amplius. Videri interea poſſunt NATAL. ALEXANDER *hiſt. eccleſ. tom. VIII. p. m.* 692. GIBERT. *prolegom. corp. iur. can. P. I. tit.* 20. *ſect. II.* BOSSVETVS *defenſ. declarat. cleri gall. lib. XI. cap.* 18.

§. CCLVIII.

Quis habeat ius authentice interpretandi?

Cuius autem generis ſint definitiones conciliorum generalium, interpretationis tamen legislatoriae, aut doctrinalis regulas rite adplica-

plicatas nunquam reſpuunt. Illa quam *authenticam* adpellare vſus fert, non ſolum conſilio generali poſteriori, ſed et romano pontifici extra concilium ſubortis forſan diſſenſionibus ita competit, vt eius interpretationi, quum adcedit eccleſiae ſuffragatio, ſeſe ſubmittere fideles teneantur.

Hanc enim poteſtatem ad conſeruandam eccleſiae vnitatem, et tranquillitatem omnino neceſſariam eſſe ratio dictat, et confirmat reuelatio Matth. *XVI.* 18. 19. Ioan. *XXI.* 15. 16. 17.

§. CCLIX.

Quis doctrinale?

Quod ad interpretationem *doctrinalem* attinet, ea tum in ſcholis, tum in iudiciis adhiberi quidem, ſed rite, ſed ſobrie poteſt. Omnium enim primo verba legis clara, proxime rationem eius, deinde mentem, et ſententiam huic conformem, et circumſtantiae denique omnes perſonarum, loci, et temporis ſolicite ſpectemus, ita ne tamen vnquam ab aequitate naturali legisque euangelicae integritate, ſimplicitate, pietateque deflectamus.

Nec vacat, neque etiam lubet his exponendis diutius immorari. Namque generales quidem illas, et cuique diſciplinae communes interpretandi regulas tradere, logicae proprium eſt. Quae autem huic ſunt ſtudio propriae, partim ex iis, quae hactenus ſtabilita ſunt, principiis intelligi poſſunt, partim quae infra de adminiculis dicturi ſumus, hermeneuticae principia non vulgaria ſuppeditabunt.

Digitized by Google

§. CCLX.

Nulla improbatorum auctoritas?

Illud denique haud difficulter perſpicies, quae contra maiorum inſtituta celebrari contingit, concilii nomen haud mereri, neque ad eius adſurgere auctoritatem.

CAPVT VI.

DE CONSENSV ECCLESIARVM.

§. CCLXI.

Connexio.

Si omnem retro antiquitatem eccleſiae memoria repeto, magnum ſemper eorum fuiſſe numerum deprehendo, qui a vera deſciſcentes fide ſparſis in vulgus erroribus vinculum illud religionis ſoluere adniterentur.

Haereſes APOSTOLORVM aetate ortas ſola APOSTOLORVM repreſſit auctoritas. SIMONEM MAGVM miraculorum donum oblata pecunia licitari auſum grauiter eo nomine reprehendit APOSTOLVS ACT. c. *VIII.* 20. EBIONI diuinitatem SERVATORIS neganti euangelium ſuum oppoſuit S. IOANNES, S. HIERONYMVS *de ſcript. eccleſ. in Ioan.* vt alios hinc illinc propullulantes errores, et graues, et frequentes, quos adnotarunt alii, ſilentio praeteream. Conf. NAT. ALEXAND. *hiſt. eccleſ. tom III. ſect. I. c. XI. ſeqq.*

§. CCLXII.

§. CCLXII.

Calamitas eccleſiae ob perſecutiones.

Calamitoſior fuit duobus ab APOSTOLORVM aetate ſeculis eccleſiae ſtatus principium ethnicorum diriſſimis perſecutionibus, et haereticorum multo quam ante latius ſerpente petulantia.

Non enumerabo neque haereſes eorum temporum, neque principum eorumdem crudelitatem, neque populi chriſtiani in tanta calamitatè, ſeu animi magnitudinem eximiam, ſeu incredibilem conſtantiam, quae fama etiam in vulgus celebratiſſima ſunt; mihi quidem nunc ſatis eſt, eam omnino eccleſiae tunc conditiònem extitiſſe, vt in vnum congregari locum epiſcopos ad tuendam eccleſiae ſalutem non licuerit. Vid. DISSERT. NOSTR. *de collect. iur. e cleſ. ante-gratian.* c. *I.* §. 12. *ſeqq.*

§. CCLXIII.

Nullum tum oecumenicum concilium.

Ea tempeſtate mirum non eſt, nullum fuiſſe vnquam concilium oecumenicum congregatum, vt eius quaſi decretorio iudicio controverſiae finirentur. Sexcentae quippe haereſes nicaenam ante ſynodum exortae, oppreſſaeque ſunt, aut in particularibus tantum ſynodis, aut ſola eccleſiarum ſine ſynodis, conſenſione.

Conſule EVSEBIVM *lib. IV.* c. 7. et Saturnini, Baſilidis, aliorumque impietatem perſpicies proſcriptam citra omnem ſynodum, ſola APOSTOLICA doctri-

nae conſcientia. *c. XI.* Valentini, Cerdonis, Marcionis, Marci mendacia commemorat, et ſola eccleſiae conſentientis auctoritate diſſipata fuiſſe refert. *Lib. V. c.* 16. ex Apolinari Hierapolitano primum ſynodos aduerſus Montanum in Aſia coactas refert, ſed prae ceteris, *vniuerſae per orbem omnem terrarum ſparſae eccleſiae*, aduerſus illam conſpirationem. Meminit idem *lib. VI. c.* 33. ſynodi aduerſus Beryllum Boſtrorum epiſcopum. Et *c.* 37. aduerſus Arabes in fide pariter aliquid nouantes. Adde etiam *lib.* 7. *c.* 24. 27. 28. 29.

§. CCLXIV.

Fundamentum huius auctoritatis.

Neque vero mirum videri debet, tantam huic eccleſiarum conſenſioni auctoritatem tributam fuiſſe. Quippe quod epiſcopi etiam ſine ſynodo in fide conſentientes non minus vniuerſam eccleſiam, quam ſi vnum in locum concedentes de communibus eccleſiarum ſuarum cauſis deliberant, repraeſentare crederentur.

Traditionem hanc in eccleſia illis ſeculis obtinuiſſe non tantum ex locis, quae modo ex EVSEBIO protuli, intelligi poteſt, ſed et ex IRENAEO, et TERTVLLIANO, qui vterque EVSEBIO antiquiores ſunt. Quum autem multa S. IRENAEI *adu. haereſ.* loca huc pertineant, nos vno tantum alteroue vtemur *lib. III. c.* 2. *duplici*, ait, *via haereticos oppugnari ſcripturis; vel cum ad eam iterum traditionem, quae eſt ab* APOSTOLIS, *quae per ſucceſſionem presbyterorum in eccleſiis cuſtoditur, prouocamus eos.* Et *c.* 3. *traditionem itaque* APOSTOLORVM, inquit, *in toto mundo manifeſtatam in eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire, et habemus numerare eos, qui ab* APOSTOLIS *inſtituti ſunt epiſcopi in eccleſiis, et ſucceſſores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt,*

Digitized by Google

euerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur. Lib. IV. cap. 43. *Quapropter*, inquit, *eis, qui in eccleſia ſunt, presbyteris obedire oportet, his, qui ſucceſſionem habent ab* APOSTOLIS, *qui cum epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum ſecundum placitum patris exceperunt.* Et *c.* 63. *Agnitio*, inquit, *vera eſt* APOSTOLORVM *doctrina, et antiquus eccleſiae ſtatus in vniuerſo mundo, et character corporis CHRISTI ſecundum ſucceſſiones epiſcoporum, quibus illi eam, quae in vnoquoque loco eſt, eccleſiam tradiderunt, quae peruenit vsque ad nos.* Atque in hoc conſentientem habet TERTVLLIANVM *lib. IV. de praeſcript. Conſtabit*, inquit, *id eſſe ab* APOSTOLIS *traditum, quod apud eccleſias apoſtolicas fuerit ſacroſanctum: videamus, quot loca a* PAVLO *Corinthii hauſerint, ad quam regulam Galathae ſint recorrecti, quid legant Theſſalonicenſes, Philippenſes, Epheſii, quid etiam Romani .... dico itaque apud illas, nec ſolas iam apoſtolicas, ſed apud vniuerſas, quae illis de ſocietate Sacramentorum confoederantur.*

§. CCLXV.

Conſenſus hic quomodo probetur?

Haec autem eccleſiae catholicae unitas, et epiſcoporum per orbem terrarum diſperſorum in fidei capitibus conſenſio *communicatoriarum* commercio ſeruari, ac probari ſolitam fuiſſe veterum auctoritate euinci poteſt.

S. AVGVSTINVS ad Fortunium Donatiſtarum epiſcopum erroris conuincendum, qui vbique terrarum ſuam eſſe communionem adſerebat. *Quaerebam*, inquit, *epiſt.* 44. *alias* 163. *ad Eleuſium, et ſocios, tom. II. col.* 102. *n.* 3. *vtrum epiſtolas communicatorias, quas formatas dicimus, poſſem, quo vellem dare, et adfirmabam, quod manifeſtum erat omnibus hoc modo facillime illam terminari poſſe quaeſtionem.* Similiter *ep.* 43. *alias* 162. *eodem tom. col.* 89. *n.* 1. dixerat; ſcripiſſe ſe quidem ad nonnullos Donatiſtarum epiſcopos literas priuatas, non autem communicatorias;

factum eſt, inquit, *vt etiam ad nonnullos Donatiſtarum primarios ſcriberemus, non communicatorias literas, quas iam olim propter ſuam peruerſitatem ab vnitate catholica, quae toto orbe diffuſa eſt, non accipiunt, ſed tales priuatas, qualibus nobis vti etiam ad Paganos licet.* Sed non eſt vllum facile illuſtrius huius moris exemplum, quam illud, cuius meminit EVSEBIVS *hiſt. eccleſ. lib. VI. cap.* 43. Quum narrat aduerſus Nouatum: *Romae congregatam eſſe ſynodum, in qua ſexaginta quidem epiſcopi presbyteri vero, et diaconi multo plures conuenerunt. Quumque in prouinciis antiſtites, quid agendum eſſet, ſinguli conſultaſſent, huiusmodi decretum cunctis promulgatum eſt . . . Extant epiſtolae* CORNELII *papae*, proſequitur EVSEBIVS *ad Fabium Antiochenum, in quibus et romanae ſynodi geſta, et omnium per Italiam, et Africam, aliasque locorum illorum prouincias ſententiae declarantur.* Tum in fine refert Cornelium epiſtolae ſuae ſubiunxiſſe non eorum tantum epiſcoporum nomina, qui in vrbem Romam conuenientes Nouati condemnarunt amentiam, *ſed eorum etiam, qui Romae quidem minime adfuerant, ſuperiorum tamen epiſcoporum ſententiam literis adprobarunt. Vocabula ſimul, et ciuitates, vnde ſinguli literas dederant, adcurate commemorantem.* De hoc toto genere epiſtolarum olim in eccleſia vſitatarum exſtat elegantiſſimus libellus FRANC. BERNARDI FERRARII *de antiquo eccleſiaſticarum epiſtolarum genere.*

§. CCLXVI.

Conſenſus etiam tacitus ſufficit.

Etſi autem literarum huiusmodi, quibus aut de lata ſententia alios certiores facerent, aut ſe quoque eidem adceſſiſſe ſignificarent, frequens in eccleſia vſus fuerit; multo tamen maior fuit epiſcoporum numerus, qui tacito duntaxat conſenſu, id, quod geſtum eſt, adprobarent. Vt adeo vim certam, atque inelucta-

Digitized by Google

luctabilem latae definitioni tribuendam non minus tacito, quam expreſſo epiſcoporum conſenſui momentum ineſſe exiſtimaretur.

Cuius quidem rei perſpicua mihi ratio ſita eſſe videtur in ipſa eccleſiae vniuerſae conformatione. Profecto non videtur poſſe fieri, vt maxima epiſcoporum pars per orbem terrarum diſperſa errori publico aliquo iudicio fidelibus ad credendum propoſito ſeſe non opponat? *Error quippe, an non reſiſtitur, adprobatur, et veritas, quum non defenditur, opprimitur.* Non ſolet eccleſia tacere, quum errorem cognoſcit: *eccleſia* Dei, ait S. Avgvstinvs ea, quae ſunt *contra fidem, vel bonam vitam, non adprobat, nec tacet, nec facit.* Quid? quod tenetur etiam eccleſia aduerſus graſſantem erroris contagionem inſurgere, ne alias eidem conniuere videatur. Quod periculi genus praecauendum eſſe caute, ac ſapienter monebat S. Coelestinvs P. *epiſt. XXI. §. 2. ad epiſcop. gall. apud* Covstant. *coll.* 1186. *Timeo*, inquit, *ne conniuere ſit, hoc tacere; timeo, ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui: in talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Merito namque cauſa nos reſpuit, ſi ſilentio foueamus errorem* Conf. Tovrnelivs *curſ. theol. II. quaeſt. III. art. II. p. m.* 63.

§. CCLXVII.

Remouetur obiectio.

Sunt, qui ex vniuerſalis eccleſiae ſententia nullum omnino argumentum ſumi poſſe arbitrantur, propterea, quod fieri nequeat, vt fidelium omnium ſenſum in fidei quaeſtione requiramus, id quod tamen neceſſarium eſſe opinantur, vanum igitur eſſe aiunt ab eccleſia catholica velle ducere fidei argumentum.

Non meis, ſed MELCH. CANI verbis reſpondebo. Is itaque *lib. IV. in loc. theol. cap. poſtr.* ita ſcribit: *duo ſunt rerum genera .... quae ab eccleſia creduntur: unum eſt earum, quae ad omnes aeque pertinent; vt DEUM eſſe hominem, animam noſtram eſſe immortalem. Et in hoc genere non eſt valde difficile omnium fidem ſenſumque cognoſcere. Non dico autem, vt ſeorſim rogentur ſinguli, quod et permoleſtum eſſet, et oppido quam ridiculum, ſed ſingulorum fidem in huiusmodi rebus ſtatim ſeſe prodere, ſatisque mediocri adhibita diligentia cognitam nobis, et perſpectam eſſe poſſe, praeſertim ſi res in contentionem veniat, et vulgus ſuo more caleſcat. Alterum eſt genus earum rerum, quas cognoſcere non rudium, et imperitorum in eccleſia, ſed maiorum, et ſapientium intereſt, vt epiſtolam ad hebraeos eſſe canonicam, ac reliqua ſimilia quam plurima. Quo in genere, ſi vulgarem plebis ſententiam roges, perinde erit, vt ſi a coeco ſenſum colorum poſtulaaris. Caute igitur, atque prudenter; cum huiusmodi fortaſſe res in ſermonem popularem incidunt, qui in vulgo paulo modeſtiores ſunt, nihil omnino adfirmate, adſeueranterque pronunciant; ſed id ſe credere, ac ſentire in hiſce rebus profitentur; quod eccleſia credit, ac ſentit. Quo profecto nomine ſapientes eccleſiae, maioresque deſignant. Porro ſiue in hoc, ſiue in illo genere quaeſtio verſetur, populus quaſi de tribunali ſententiam dicere nec debet, nec vero poteſt: quoniam, vt hic pro certo ac probato ſumimus, ligandi, ſoluendi, iudicandique poteſtas in ſingulis fidelibus non eſt, ſed in eccleſiae praefectis, atque paſtoribus. Nunc illud dicimus in communi omnium controuerſia certum argumentum ex omni fidelium ſenſu depromi, quamuis non oporteat ſigillatim omnium ſenſum perſcrutari.*

§. CCLXVIII.

Primae ſedis maxima auctoritas.

Hoc demum diligenter animaduertendum eſt, in hac controuerſias fidei ſine concilio definiendi ratione, fidem vnitatemque ab vniuer-

uerſali quidem eccleſia repetendam eſſe, vt tamen prae aliis omnibus cathedrae PETRI *propter potiorem principalitatem* ratio haberetur.

Quibus adcommodata ſunt, quae S. AVGVSTINVS *lib. I. contra Iulian. c.* 4. *tom. X. col.* 503. *n.* 13. ſcribit: *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum* APOSTOLORVM *ſuorum voluit* DOMINVS *glorioſiſſimo martyrio coronare, cui eccleſiae praeſidentem* B. INNOCENTIVM, *ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit* VIR *ille* SANCTVS *africanis reſpondere conciliis, niſi quod* ANTIQVITVS APOSTOLICA SEDES, ET ROMANA CVM CETERIS TENET PERSEVERANTER ECCLESIA? Ita et OPTATUS fidem ab eccleſia quidem vniuerſa repeti ſuadebat, ſed omnibus tamen aliis romanam praeferebat, eiusque epiſcopos enumerans vsque ad SIRICIVM *hodie*, inquit, *cum quo nobis totus orbis, commercio formatarum in vna communionis ſocietate concordat.* Formatas hic intellige *communicatorias epiſtolas*, de quibus ſupra. Superſedeo tranſcribendis aliorum patrum teſtimoniis, quae videri poſſunt apud TOVRNELIVM *loc. proxime cit. pag.* 61. et LVD. THOMASIN. *cit. Diſſ. §.* 30. *ſeqq.* cuius tamen omnia mea nolim facere.

§. CCLXIX.

Nulla adpellatio locum habet.

Adeo autem haec firma putabatur deciſio, vt ne ipſi quidem haeretici ab epiſcopalibus locorum conciliis, etſi de his quererentur, ad vniuerſale concilium prouocarent: aut ſi prouocarent etiam, haec non vt legitima quaedam prouocatio, ſed vt fruſtratoria tergiuerſatio a fidelibus contemnebatur.

Saepiſſime hoc teſtatur S. AVGVSTINVS *ſerm.* 131. *alias* 2. *de verb. Apoſt. t. V. col.* 645. *n.* 10. vbi de Pelagianis: *Prorſus vbi tales*, inquit, *inueneritis, occultare nolite, redarguite contradicentes, et reſiſtentes ad nos perducite. Iam enim de hac cauſa duo concilia miſſa ſunt ad ſedem apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt: vtinam aliquando finiatur error!* Et *lib. II. oper. imperf. adu. Iulian. tom. X. col.* 993. *n.* 103. *Quid adhuc*, inquit, *quaeris examen, quod apud apoſtolicam ſedem iam factum eſt in epiſcopali iudicio palaeſtina ergo haereſis ab epiſcopis non adhuc examinanda, ſed coercenda eſt. Damnata a poteſtatibus chriſtianis.* Idem rurſus AVGVSTINVS *t. c. lib. I. col.* 878. *n.* 10. Pelagianos ſin minus in ſynodo, ſaltem in collatione aliqua nouum examen exigentes exemplo Donatiſtarum ita arguit: *Abſit a chriſtianis poteſtatibus terrenae reipublicae, vt de antiqua catholica fide dubitent, et ob hoc oppugnatoribus eius locum, et tempus examinis praebeant, ac non potius in ea certi, atque fundati talibus, quales vos eſtis, inimicis eius diſciplinam coercitionis imponant. Quod enim propter Donatiſtas factum eſt, eorum violentiſſimae turbae fieri coegerunt, ignorantes, quid ante ſit geſtum, quod eis fuerat oſtendendum, quales vos turbas, Deus auertat, vt habeatis.* Quo ex loco adparet prouiſionis, non neceſſitatis fuiſſe, vt Donatiſtis collatio concederetur, quod AVGVSTINVS etiam *loc. cit.* docuit.

Digitized by Google

CAPVT VII.

DE CONSTITVTIONIBVS ROMANORVM PONTIFICVM.

§. CCLXX.

Conſtitutiones pontificiae ex duplici fonte promanant.

Iuris eccleſiaſtici communis maximam partem implent ſummorum pontificum conſtitutiones, quas etiam extra concilium generale pro re nata condere ſolent, et quarum, quanta ſit auctoritas adcurate magis atque diſtincte intelligi non poteſt, quam ſi iura pontificia, ex quibus illae deriuantur, horumque iurium originem atque naturam peruiderimus. Sunt autem duplicis generis iura, de quibus hic agimus, *primigenia* et eſſentialiter cum primatu ex diuina ordinatione connexa: et *adcidentalia*, quae poſtmodum variis ex cauſis adceſſerunt, et a romano pontifice exercentur ex arbitraria eccleſiae diſpoſitione.

§. CCLXXI.

I. Ius cum primatu cohaerens.

Fontem, vnde primigenia primatus iura promanant, iam aperuimus. (ſup. §. 93.) Itaque primum ius primatiale iſtud eſſe contendo,

do, vt ea, *quae ad ſtatum eccleſiae vniuerſalis pertinent, vbiuis gentium ea geri contingat, ad primatem referantur, quo is eo facilius miniſterium ſuum modo diſciplinae eccleſiaſticae conformi impendat.*

Agnouerunt hoc primatus eccleſiaſtici ius non modo ſinguli veterum patrum, verum etiam eccleſiae particulares integrae, imo ipſa concilia oecumenica. Vt ex quam plurimis quaedam duntaxat referam; huc reſpexiſſe mihi quidem certe videtur SYNODVS SARDICENSIS, quando ad IVLIVM P. ita ſcribit apud HARDVIN. *tom. I. conc. col.* 653. *Hoc optimum, et valde congruentiſſimum iudicabitur, ſi ad caput, id eſt, ad Petri ſedem de ſingulis quibusque prouinciis domini referant ſacerdotes.* Neque illud ab officio ſuo alienum iudicauerat EPHESINA SYNODVS in *epiſtola ad* COELESTINVM P. ſcripta, in qua, poſteaquam ſolicitudinem eius, quam ſingulis eccleſiis impenderet, commendauerat, ita inquit: *Eſt hoc vobis adeo magnis in more poſitum, vt in omnibus celebres ſitis, ſtudiaque veſtra eccleſiarum firmamenta conſtituatis. Quia vero neceſſe eſt, vt omnia, quae conſecuta ſunt, ſanctitati tuae ſignificentur, non potuimus non ſcribere.* Quem morem ceteras ſynodos tenuiſſe eorumdem acta edocere poſſunt. Quare veriſſime ab AVITO epiſcopo viennenſi in *epiſt.* 36. ſcriptum eſt: *ſcitis, ſynodalium legum eſſe, vt in rebus, quae ad eccleſiae ſtatum pertinent, ſi quid dubitationis fuerit exortum ad romanae eccleſiae maximum ſacerdotem, quaſi ad caput noſtrum membra ſequentia recurramus.* Non enim aliae ſunt AVITO leges ſynodales, quam eſt *antiquae regulae forma* INNOCENTIO I. *in epiſt.* 30. *§.* 1. *ſeqq.* ap. COVSTANT., quam ſecutos eſſe AFROS laudat, quum ab eo quaererent, *in anxiis rebus, quae ſit tenenda ſententia.* Neque vero immerito aut INNOCENTIVS antiquam eſſe hanc regulam ſtatuit, cuius exemplum ex Apoſtolica aetate refert CLEMENTIS, quae eſt ad Corinthios perſcripta epiſtola, aut IVSTINIANVS *in l.* 7. *c. de SS. Trinit.*

Trinit. eam illibate ſeruandam ſanciuit: *Nec enim patimur*, inquit, *vt quidquam eorum, quae ad eccleſiaſticum ſpectant ſtatum, non etiam ad eiuſdem referatur beatitudinem, quum ea ſit caput omnium ſanctiſſimorum DEI ſacerdotum, vel eo maxime, quod quoties in eis locis haeretici pullularunt, et ſententia, et recto iudicio illius venerabilis ſedis coerciti ſunt.*

§. CCLXXII.

Modus iſtud exercendi antiquus.

Quae relationes ad ſedem apoſtolicam faciendae, eam, vt dixi, cauſam habebant, vt eo facilius miniſterium ſuum in eccleſias etiam remotiſſimas extenderet. Eius autem officii explendi ratio non vna erat. *Monebant* hos, vt ab haereticorum inſidiis ſibi cauerent. *Hortabantur* alios, vt turbatam eccleſiae pacem ſua auctoritate reſtituerent, emendarent naeuos in diſciplinam illapſos. Aliquando *mittebant* in eccleſias deſtitutas viros, quorum opera fides reſtitueretur, notarenturque auctores diſſenſionum a communione ſegregandi. *Iubendi* vero auctoritatem ſibi illis quidem temporibus abſolutam vindicaſſe nunquam deprehendes.

Ipſorum pontificum teſtimonia ſunt, quibus agendi haec ſancta ratio, et eccleſiae chriſtianae conuenientiſſima probatur. Epiſcopi Africani A. 401. Carthagine congregati, quam litteras ab Anastasio P. I. ad ſe datas, recitari in ſynodo mandaſſent, haec in acta ſynodi retulerunt in *cod. can. eccleſ. african. can.* 65. *Recitatis epiſtolis beatiſſimi fratris, et conſacerdotis noſtri Anaſtaſii eccleſiae romanae epiſcopi, quibus nos* PATERNE, ET FRATERNE CHARITATIS SOLICITVDINE, AC SINCERI-

RI-

RITATE ADHORTATVS EST, *vt de haereticorum, et ſchiſmaticorum Donatiſtarum inſidiis, et improbitatibus . . . nullo modo diſſimulemus.* Non diſſimili ſolicitudine hortatur INNOCENTIVS in epiſtola ſuperius laudata Hiſpanos, vt violatam concordiam reſtituere adlaborent: QVARE INCVMBENDVM EST, DILECTIONI VESTRAE, ET BONIS SACERDOTIBVS ADNITENDVM, *quatenus praeeunte doctrina in vnitatem catholicae fidei, omnes, qui diſperſi ſunt, congregentur.* COELESTINVS vero, quum ab agricola pelagiano eccleſias hyberniae turbari cognouerat, GERMANVM *Antiſidorienſem epiſcopum vice ſua mittit, vt deturbatis haereticis Britannos ad fidem catholicam* dirigat teſte PROSPERO *in chron. ad A.* 429. Idque alias factum eſſe ſaepius IVLII, et DAMASI pontificum vitae teſtantur, ea tamen moderatione, qua vſus eſt S. GREGORIVS *M. lib. VIII. epiſt.* 30. *Verbum* IVSSIONIS *peto*, inquit, *a meo auditu remouete, quia ſcio, quis ſum, qui eſtis. Loco enim mihi fratres eſtis, moribus patres.* NON ERGO IVSSI, SED, QVAE VTILIA SVNT, INDICARE CVRAVI.

§. CCLXXIII.

II. Ius eiusdem primatus.

Quod ſi, vt eueniſſe nouimus ſaepius, malum ſynodali particularium eccleſiarum auctoritate maius eſſet; tum vero primariae ſedis IVS ALTERVM enituit, quo aut exquiſitis epiſcoporum reliquorum ſuffragiis cauſam romanus pontifex in ſynodo ſeu romana, ſeu etiam totius Italiae decidit, aut deciſam cum aliis epiſcopis communicauit, eamque ſententiam, nunquam non ſatis validam ad ſeruandam fidei integritatem exiſtimauit antiquitas.

Praeclare id docere viſus eſt S. BASILIVS *epiſt.* 69. *ad* ATHANASIVM: *viſum eſt mihi conſentaneum*, inquit, *vt*

vt ſcribatur epiſcopo romano, vt quae hic geruntur, conſideret, et ſententiam expromat. Adde eiuſdem *epiſt.* 70. ad Damaſum papam. Atque huc pertinere iudico illa Tertulliani *in lib. de pudic: cap. I.* quando ita ſcribit: *audio, edictum eſſe propoſitum, et quidem peremptorium; pontifex ſcilicet maximus, epiſcopus epiſcoporum dicit: ego et mechiae, et fornicationis delicta poenitentia functus dimitto.* Quamquam enim haec Tertulliani, vtpote iam eccleſiae deſertoris ironica eſſe non ignorem, catholicorum tamen menti conſentanea eſſe nullus dubito. Hanc certe vniuerſalem eccleſiarum curam, et ſeruandae in eis orthodoxae fidei Dionysius Alexandrinus cum omni ſua eccleſia agnouit, qui, quum a quibusdam catholicis tanquam male de SS. Trinitate ſentiret, argueretur, apologeticos libros ad Dionysium romanum antiſtitem miſit, quibus ab omni haereſeos ſuſpicione ſe purgaret ap. Baronium *annal. eccleſ. tom. II. a.* 236. *n.* 30. *ſeqq.* quod idem iam ante eum teſte Evsebio *hiſt. eccleſ. lib. VI. cap.* 35. fecerat Origenes. Sed hac de re alias plura ſcripturi ſumus.

§. CCLXXIV.

III. Eſt, quod in conciliis ordinandis verſatur.

Neque enim ob quamcunque cauſam ſolicitandus videbatur orbis catholicus; ſed dum demum, quum ſerpens diu, ac late haereſis tantam corripuit eccleſiae partem, vt vnum reliquum faceret remedium Concilii Generalis auctoritatem. In quo etſi non solivs, praecipue tamen epiſcopi romani valuit auctoritas non modo in *conuocando*, ſed et in *praeſidendo*, ſuffragiique *praerogatiua*, ſaluo tamen ſemper iure epiſcoporum.

Quae

Quae omnia veterum teſtimoniis comprobare non eſſet difficile hoc loco. Verum tractavimus ea omnia, eo capite, quod ſupra de conciliis inſcripſimus, in quo non hanc modo quaeſtionem, ſed et alias de iure epiſcoporum in conciliis, horum confirmatione, et ſuprema poteſtate examinauimus. Sunt haec maioris in regenda eccleſia momenti, quam vt vno verbo expediantur.

§. CCLXXV.

IV. Ius, quod eſt tuendi vetera inſtituta.

Et quamquam diſciplinae eccleſiaſticae non ea ſit ratio, quin, ſalua eccleſiae vnitate, hoc poſſit, alioue modo conſtitui, ea ipſa tamen, quam epiſcopos romanos gerere ſupra diximus, vniuerſalis eccleſiae cura, hanc quoque his voluit commendatam, vt *tutores* ſe illius, atque *vindices*, praecipue, quum eſſet vetuſtate venerabilis, praeſtarent.

In ſpeculis a DEO *conſtituti ſumus*, inquit, COELESTINVS P. in *epiſt.* 4. *§.* 1. *ap.* COVSTANT. *col.* 1066. *vt vigilantiae noſtrae diligentiam comprobantes, et quae coercenda ſunt, reſecemus, et quae obſeruanda ſunt, ſanciamus.* Quae poſtrema non ita intelligenda ſunt, vt pro arbitrio putemus pontifices condidiſſe diſciplinae regulas. Quamquam enim legislatiuam poteſtatem non omnino negare auſim, de quo mox plura; ita tamen eam fuiſſe temperatam ſcio, vt magis in ſtatutis Patrum tuendis, quam nouis ordinandis verſaretur. LIBERIVS P. ad CONSTANTIVM IMP. ſcribens *epiſt. IV. §.* 3. *Nunquam* MEA STATVTA, inquit, *ſed* APOSTOLICA, *vt eſſent ſemper firmata, et cuſtodita, perfeci. Secutus morem, ordinemque maiorum, nihil addi epiſcopatui vrbis Romae, nihil minui paſſus ſum.* Quod et INNOCENTIVS in *epiſt. I.* § 2. fatetur: *Literas tales dare placuit, non quae noua praecepta aliqua imperent, ſed quibus ea, quae per ignauiam, deſidiamque aliquorum neglecta ſunt, obſer-*

obſeruari cupiamus, quae tamen apoſtolica, et patrum conſtitutione ſunt conſtituta. Et in his quidem vindicandis neque canonica ſeueritate abſtinebant. *Sciet quisquis hoc* (ſcribit Zosimvs epiſt. IX. §. 4. apud Covstant. *col.* 970.) *poſthabita patrum, et apoſtolicae ſedis auctoritate neglexerit, a nobis diſtrictius vindicandum, vt loci ſui, minime dubitent, ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat, poſt tot prohibitiones impune tentari. Contumeliae enim ſtudio ſit, quidquid interdictum toties vſurpatur.*

§. CCLXXVI.

V. Inde fluit ius exequendi ſtatuta patrum.

Atque haec quidem canonum vindicatio non in hoc verſabatur ſolum, vt ii, in vſum iam deducti continua obſeruantia ſtabiles permanerent. (ſup. §. 274.) Sed iam dum etiam ab initio, vt reciperentur ab vniuerſis, enitebatur, ea quidem cum poteſtate, vt praeter ſedis apoſtolicae pondus nihil amplius deſideraretur.

Perſpicue Gelasivs *in epiſt. ad epiſcopos Dardaniae cap.* 2. *Quibus conuenienter, vt dictum eſt, ex paterna traditione perpenſis, confidimus, quod nullus iam veraciter chriſtianus ignoret, vniuscuiusque ſynodi conſtitutum, quod vniuerſalis eccleſiae probauit adſenſus, nullam magis exequi ſedem oportere prae ceteris, quam primam.* Quo ex loco non id modo intelligimus, pontifices romanos legitimos ſemper fuiſſe canonum executores, ſed exiſtimaſſe etiam, ſibi non minus quam aliis per orbem chriſtianum epiſcopis eos ſanctos eſſe, atque inuiolabiles oportere. Intelligebant illi ſcilicet: *Vniuerſae pacis tranquillitatem non aliter poſſe cuſtodiri, niſi ſua canonibus reuerentia intemerata ſeruaretur,* vt loquitur S. Leo *epiſt.* 92. *cap.* 4. Atque ita eſſe omnino Gregorivs M. praeclare docuit, *lib. XIII. epiſt.* 44. alias 37.

quum ita ſcribit: *Tunc ſtatus membrorum integer manet, ſi caput fidei nulla pulſet iniuria et canonum manet incolumis, atque intemerata ſemper auctoritas.* Quod eo valebat, vt in iura epiſcoporum nihil quidquam ſibi ſumerent, ea non diminuerent, non magis, quam ſua ſibi eripi ab aliis paſſi ſunt. Ingenue id profeſſi ſunt ſanctiſſimi pontifices GREGORIVS M. *lib. III. epiſt.* 29. *Ad presbyteros, et diaconos eccleſiae mediolanenſis* ita ſcribens: *Sicut ab aliis noſtra exigimus; ita ſingulis ſua iura ſeruamus.* INNOCENTIVS III. *lib. I. in epiſt. ad rectores Tuſciae. Sicut iura noſtra volumus ſeruari; ſic aliorum iura voluimus illibata ſeruare.* Conuenire nimirum tutori canonum non ignorabant, ne is alios, poſſe eos violari impune, primus doceret.

§. CCLXXVII.

VI. Ius leges ferendi.

Quae etſi veriſſima ſint, minime tamen adſentiendum eſt illis, qui condendarum legum poteſtatem in negotiis eccleſiaſticis ab adulatione profectam, ac ſedi primariae poſterioribus demum ſeculis adſertam exiſtimant. Quum enim eius poteſtatis veſtigia non obſcura antiquitas prodiderit, eamque illa, de qua ſupra diximus, vniuerſalis eccleſiae cura in ſe prorſus continere videatur, nondum a me impetrari potui, vt ab ea ſententia diſcedam, quam veteres imperatores agnouiſſe non eſt incompertum.

Audiamus VALENTINIANVM IMP. in *nou. III. cod. theodos.* adiecta, in qua, quum primatum ſedis romanae ſynodorum etiam auctoritate firmatum adſeruiſſet, haec ſubdit: *Verum ne leuis ſaltem inter eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam epiſcopis gallicanis, quam aliarum pro-*

prouinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis papae vrbis aeternae auctoritate tentare, ſed illis, omnibusque pro lege ſit, quidquid ſanxit, vel ſanxerit apoſtolicae ſedis auctoritas. Et ſane in dubium reuocari hanc pontificum poteſtatem ſine temeritate non poſſe, argumento eſſe poſſunt epiſtolae pontificum decretales antiquiſſimae illae, ac genuinae, quas Covstantivs duobus voluminibus complexus eſt. Videatur omnino Petrvs de Marca *de conc. ſacerd. et imp. lib. I. cap. 8. et 9.*

§. CCLXXVIII.

Quod eius officium circa dogmata?

Quod ad ea eccleſiae negotia, quae publica ſunt, et ad dogmata pertinent, quamuis papae non ſit tanta poteſtas, vt noui quidquam decernere valeat, praecipuas tamen illius eſſe partes dubium non eſt, quum in *exequendis* iis, quae in concilio definita ſunt, dum vero emergens quoddam dubium *interpretatione tollendo*; atque etiam doctrinam male ſanam alicubi gentium fortaſſe ſpargi coeptam *condemnando.*

Pontificum eam praecipuam curam eſſe debere, vt decreta conciliorum, et canonum ſtatuta exequerentur, collapſa reſtituerent, ab interitu vindicarent, teſtis eſt omnis antiquitas. Hanc dum exerceret poteſtatem apoſtolica ſedes, tanta antiquitus auctoritate viguit, vt prope immunita magis deinceps, quam aucta videatur. Quanta olim vi, quanta auctoritate mandatam ſibi traditionis apoſtolicae cuſtodiam propugnarunt romani pontifices Clemens, Anicetvs, Victor, Stephanvs, Siricivs, Innocentivs, apud Covstant. *cit. praefat. p. 28. ſeqq.* Leo latrocinalem ſynodum epheſinam valere non paſſus, etſi imperatoria po-

teſtate fretam, chalcedonenſis ſynodi auctor ipſe et executor pro ſtabilienda communi eccleſiae fide inuicta potentia ſtetit. Eadem exequendi auctoritate freti GELASIVS, et reliqui poſt eum pontifices, imperatores, totamque eccleſiam orientalem coegerunt, ſola iam apoſtolicae ſedis auctoritate, ſine alia noua ſynodo, condemnare chalcedonenſis ſynodi oppugnatores. Vt alia infinita ſilentio praetereamus, quae ad hunc locum firmandum adducere facile eſſet.

§. CCLXXIX.

Idem porro.

Quum nouus in eccleſia error ceruicem erigit, aut nouum in fide dubium animos fidelium ſuſpenſos tenet, epiſcoporum eius prouinciae; in qua is primum naſcitur, ea cura eſt, vt auctoritatem ſuam ingruenti malo obiiciant. Huic ſuo officio ſi deſint, aut ſi ſola eorundem auctoritas ad id minime ſuffectura videatur; tum vero ſanctae ſedis pondus adiiciendum eſt, vt malum comprimatur, et quod occupauit fideles, dubium ex animis euellatur.

Epiſcoporum ea prima cura eſſe debet reſiſtere erroribus: idcirco, inquit S. CYPRIANVS *epiſt.* 13. *lib. III. Frater chariſſime, copioſum eſt corpus ſacerdotum concordiae mutuae glutine, atque vnitatis vinculo copulatum, vt ſi quis ex collegio noſtro haereſim facere, et gregem* CHRISTI *lacerare; et vaſtare tentauerit, ſubueniant ceteri.* At praecipuam tamen eius rei cuſtodiam eſſe penes romanos pontifices, auctor eſt S. Auguſtinus *lib. I. contra duas epiſt: pelag. c. I. ad* BONIFACIVM PAPAM *tom. X. col.* 412. *quum ſit communis omnibus nobis,* (ſolicitudo haec) *qui fungimur epiſcopatus officio, quamuis in eo praeemineas celſiore faſtigio ſpecula paſtoris.* Quod videtur

tur velle S. Leo Papa *ſermon. III. in anniuerſario ſuae adſumt. cap.* 3. relatus in Decreto Gratiani *can.* 5. *cauſ. XXIV. quaeſt. I. Manet ergo* Petri *priuilegium; vbicunque ipſius fertur aequitate iudicium;* clarius *epiſt.* 93. *ad* Theodoritvm Cyri Episcopvm; *Gloriamur in* Domino, *qui nullum nos in noſtris fratribus detrimentum ſuſtinere permiſit, ſed quae noſtrum prius miniſterium definiuerat, vniuerſae fraternitatis noſtrae irretractabilis firmabit adſenſus; vt vere a ſe prodiiſſe oſtenderet, quod prius a prima omnium ſede formatum, totius chriſtiani orbis iudicium recepiſſet, vt in hoc quoque capiti membra concordent.* Conf. Petr. de Marca *lib. I. cap.* 9.

§. CCLXXX.

Regula III.

Quas apoſtolicae ſedis definitiones, praecipue, *quum ceterarum acceſſit conſenſus*, firmiſſima fide tenendas eſſe ab omni dubitandi ratione remotum eſt. Quin etſi demus, alias irretractabile non eſſe pontificis romani, et vltimum in fide iudicium; ad pacem tamen, et tranquillitatem eccleſiae, religionisque integritatem, in qua omnis ſita eſt ſalus, pertinet, *vt obſequium ei ſaltem interea, et reuerentia ab omnibus exhibeatur.*

Solent doctores, qui pontificis infallibilitatem defendunt, duplicem in eo diſtinguere perſonam, *doctoris vniuerſalis de cathedra loquentis*, *et doctoris priuati.* Eo reſpectu immunem ab errore faciunt, non etiam iſto. Quid autem ſit *de cathedra loqui*, et quando modus iſte loquendi in eccleſia inualuerit, ambiguum eſt. In originem huius phraſis omnium eruditiſſime inquiſiuit Lavnoivs *lib. III. epiſt.* 5. in qua eam antiquiſſimam quidem eſſe, non tamen ſemper eundem habuiſſe ſenſum, perſpicue oſtendit. Ex quo illud intelligi poteſt,

hoc ſaltem ſenſu, quo ea vtuntur hodie docto-res ſcholaſtici, antiquam eam nequaquam eſſe habendam. At quo tandem ſenſu vſurpatur hodie? omnes de vocibus *ex cathedra* conſentiunt, de re ipſa mirum quantum diſſentiunt, vt opera theologorum inſpicienti cuique patebit. NATAL. ALEXAND. theologus, vt omnes conſentiunt, doctiſſimus *hiſt. eccles. ſecul. VII. diſſert. II. prop.* 2. ita interpretatur, ex cathedra loqui pontificem tunc, quando pronunciat, ac decernit aliquid: *Ad ſcripturam, ac traditionem, quae in romana eccleſia a temporibus apoſtolorum incorrupta ſeruatur, et ad ipſum continua, et nusquam interrupta pontificum ſucceſſione transmiſſa eſt, adſiſtente* SPIRITV SANCTO *attendens, et controuerſiis, de quibus agitur, per doctiſſimos theologos ad ſacras illas fidei noſtrae regulas expenſis, adhibito ſacri romanae eccleſiae ſenatus, ac vicinorum antiſtitum conſilio, et ſuffragio fuſis ad* DEVM *publicis precibus aliquid fidelibus vniuerſis credendum, aut vbique obſeruandum proponit, ac praecipit, eiusque conſtitutiones ac decreta* ACCEDENTE ECCLESIAE CONSENSV *roborantur.* Hoc ſi eſt ex cathedra loqui, et romani pontificis non eſt indeficiens iudicium, niſi quum ex cathedra decernit, ſalua res eſt. Ecquis enim vnquam catholicorum negauit infallibile eſſe papae iudicium, ACCEDENTE ECCLESIAE CONSENSV ROBORATVM? eius conſenſus firmitatem ſupra nobis videmur ſatis euiciſſe (ſup. §. 263. ſeqq.) et egregie confirmat CASSIANVS *lib. I. de incarnat. c. vlt. Hanc*, inquit, *eius* (Leporii) *confeſſionem, id eſt, catholicorum omnium fidem, et omnes africani epiſcopi, vnde ſcribebat, et omnes gallicani, ad quos ſcribebat, confirmarunt. Sufficere ergo ſolus nunc ad confutandam haereſim deberet conſenſus omnium, quia indubitatae veritatis manifeſtatio eſt auctoritas vniuerſorum, et perfecta ratio facta eſt, vbi nemo diſſenſit.* Quaeſtio haec iam inde a pluribus ſeculis mirum quantum theologorum exercuit animos, atque in partes diuerſas diſtraxit. *Auctoritatem, et infallibilitatem* ſummorum pontificum multa eruditione conati ſunt CARD. SPONDRATI *in ſuo regal. ſacerdot. lib. III.* MATTH. PE-

TI-

tITIER *abbas S. Petri ſenonenſis ord. S. Benedicti in tract. theolog. de auctor. et infallib. ſum. PP.* contra eos negauit *irreformabile eſſe iudicium* romani pontificis, niſi eccleſiae conſenſus adceſſerit, cum eccleſia gallic. Iac. Benig. Bossvet *epiſc. meldenſis in ſua defenſ. declarat. cleri gallican. p. II. l. XIII. ſeqq.* cuius argumentis, an P. Gallvs Cartier *in oper. de auctorit. et infallib. ſumm. pontif.* et Card. Orsi *de irreformab. rom. pontif. iudic.* ſatisfecerint, viderint eruditiores. Ceterum vereor, vt reipublicae eccleſiaſticae recte conſulant, qui adfirmantem hanc ſententiam ad dogmata referunt, immemores: eam et eccleſiae auctoritate adhuc eſſe deſtitutam, et a viris non pietate minus: quam eruditione celebribus, imo eccleſia gallicana omni in dubium fuiſſe vocatam, et vocari in hanc diem.

§. CCLXXXI

Non ſemper decretoriam ferre ſententiam cenſendi ſunt.

Hoc autem imprimis animaduertendum eſt, non eam ſemper fuiſſe veterum praecipue pontificum, dum reſcriberent, mentem, vt decretis ſuis praecepti generalis vim ineſſe voluerint. Quin non raro conſulenti priuatim epiſcopo, conſilium aeque ſententiae priuatae robur habiturum, impertiri ſolent, quomodo fere euenire ſolet inter eos, quos litterarum earundem ſocietas, et amicitia arctius copulauit.

Atque hinc eſt, quod ſaepe videas pontifices ſuis in reſponſis vni adcedere ſententiae veluti, quae ſibi probabilior videatur, ita tamen, vt oppoſitis de pondere ſuo nihil velint detractum. Exemplum elegans dedit Innocentivs III. *in cap. 6. de celebr. miſſae §. 1.* Ab his tamen diſtinguendae ſunt eius generis epiſtolae, quibus non

vt ait INNOCENTIVS *in epiſt. II. ad* VICTRICIVM *§. 2. ap.* COVSTANT: *col. 747. Noua praecepta aliqua imperantur, ſed ea, quae per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſeruari cupiamus, quae tamen apoſtolica, et patrum conſtitutione ſunt conſtituta.* Namque reſponſa haec, vt recte monet MARCA *lib. VII. c. XIII. §. 5. Non ita adcipienda ſunt, ac ſi ſimplicis tantum conſilii vicem ſubirent, ſed velut deciſiones ex canonibus, aut ex traditione petitae, ad quarum obſeruationem epiſcopi erant adſtricti.*

§. CCLXXXII.

Regula IV.

Diſcernendum quoque cum ſtudio eſt ἔργον ἀπό τῶν παρέργον; ſententiae nimirum ex accidenti a pontifice non conſulto inſertae, seduloque quum in cauſam reſcribendi, tum vero etiam in hiſtoriam eius inquirendum; ne alias eiusmodi opiniones pontificibus adfingamus, a quibus pietas eos, et veritas religionis chriſtianae abhorrere edocere potuit.

Neque enim deſunt nonnullae romanorum pontificum decretales epiſtolae, quae libris iuris canonici continentur, quae in varias doctorum reprehenſiones incurrunt. Ecce! GREGORIVS III. aut vt aliis placet II. *in epiſt. IV. ad* BONIFACIVM EPISCOPVM relata *apud* GRATIANVM *cauſ. XXXII. quaeſt. VII. can.* 18. *Licere*, ait, *viro aliam vxorem, cui ſua ob infirmitatem corporis debitum reddere non valet, ſumere.* Ad quam elegantiſſime commentatus eſt VAN ESPEN, ZACHARIAS PAPA *ibid. can.* 23. vxorem, cuius maritus cum ſorore concubuit, alteri nubere concedit, quam tamen *loc. cit.* ESPENIVS pro ſpuria reiicit; Huc referunt etiam *can.* 12. *diſt. II. de conſecrat.* Sed qui ex hiſtoria eius temporis eleganter explicari poteſt. *Can. item* 24. *diſt. IV. de conſecr.* vbi NICOLAVS baptiſmum etiam non baptizato *in nomine Trinitatis, vel tan-*

tum

tum in CHRISTI *nomine collatum* valere adſeruit. Quum contra S. AVGVSTINVS *lib. VII. de bapt. cap.* 102. *tom. IX. col.* 202. *Nobis*, ait, *tutum eſt, in ea non progredi aliqua temeritate ſententiae, quae nullo in catholico reginali concilio coepta, nullo plenario terminata ſunt, id autem fiducia, ſecurae vocis adſerere, quod in gubernatione* DOMINI DEI NOSTRI *et* SALVATORIS IESV CHRISTI *uniuerſalis eccleſiae conſenſione roboratum eſt.* Eundem in cenſum venire ſolent *cap.* 3. *de ſpons. duor. c.* 10. *de teſtam. c.* 2. *de conuers. infidel.* Quorum defenſionem ſuſcepit BARTHOL. *inſt. iur. can. cap. XIV.*

§. CCLXXXIII.

Regula V.

In diſciplina eccleſiaſtica hoc tenendum eſt. Si qua eius capita apoſtoli nobis, aut veteres patres praecepta reliquerunt, in iis defendendis magis, et ab interitu vindicandis, quam in nouo aliquo ſtatuendo verſatur romanorum antiſtitum auctoritas, etſi non ſit tamen eorum tantum robur, quin mutari pro eccleſiae ipſius neceſſitate poſſint.

Qua de re elegantiſſime ſcribit VRBANVS PAPA *apud* GRATIANVM *cauſ. XXV. q. I. can.* 6. *Sunt, quidam dicentes*, inquit, *romano pontifici ſemper licuiſſe nouas condere leges, quod et nos non ſolum non negamus, ſed etiam valde adſirmamus. Sciendum vero ſummopere eſt, quia inde nouas leges condere poteſt, vnde euangeliſtae aliquid, et prophetae nequaquam dixerunt. Vbi vero aperte* DOMINVS *vel eius* APOSTOLI, *et eos ſequentes* PATRES *ſententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem* ROMANVS PONTIFEX *dare, ſed potius, quod praedicatum eſt, vſque ad animam, et ſanguinem confirmare debet.* Et ZOSIMVS P. *ibid. can.* 7. *contra* STATVTA PATRVM *condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem ſedis poteſt auctoritas:*

Apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta PATRVM *ſanxere reuerentiam.* Eamque primam ſalutem ait HORMISDA *can.* 9. *recte fidei regulam cuſtodire, et a* CONSTITVTIS PATRVM *nullatenus deuiare.*

§. CCLXXXIV.

Obligant epiſcopos receptae.

Atque has pontificum decretales epiſtolas ne in aliquo minui religionis diſciplina videatur, omnibus epiſcopis pro lege habendas eſſe, mihi dubium nullum eſt. Quin id quoque exiſtimo, etiam quae non vetera renouant, ſed conſtituunt noua, reuerenter ſuſcipiendas, et niſi, quum grauis ſubeſt cauſa, non eſſe non recipiendas.

Eleganter hac de re diſſeruit doctiſſimus PETRVS DE MARCI *lib. I. cap. IX. ſeqq.* cui plane adſentior. Et quamquam vir doctiſſimus FEBRONIVS in *lib. ſingulari de ſtatu eccles. cap. V. §.* 2. neget, *in materiis diſciplinae papam habere poteſtatem obligandi totam eccleſiam*; ipſe tamen paulo poſt *cit. loc. num.* 4. ſubiungit: *Has* (leges a papa prolatas) *propter intrinſecam earum aequitatem epiſcopi tenebuntur acceptare, quando eas iudicabunt aptas ad promouendum bonum religionis, et diſciplinae eccleſiaſticae*, et ſupra *cap. II. §.* 6. dixerat: *pertinere ad romani pontificis primatum, vt leges, quas neceſſitas, vel vtilitas eccleſiae hic et nunc poſtulare videtur, vniuerſali eccleſiae proponat.* Vid. COVSTANT. *in cit. praefat.* et DOVIAT. *praenot. iur. can.*

§. CCLXXXV.

Quomodo promulgandae?

Quae autem omnes fideles obligaturae ſunt leges, eas neceſſe eſt in omnium venire no-

notitiam, aut *per ſynodum, ſi id fieri poteſt, aut per harum recitationem, quo omnium conſenſu ſtudioque firmentur.*

Verba ſunt Innocentii I. *epiſt.* 24. *§.* 4. *apud* Covstant. *col.* 854. Quam hic decreta romanae ſedis promulgandi rationem laudat Innocentivs, eandem ſecuti ſunt et alii pontifices, quemadmodum multis auctoritatibus demonſtrarunt Covstant. *cit. praefat.* §. 47. *ſeqq. et* Petr. de Marca *lib. II. cap. XV.* §. 7. *ſeqq.* qui quidem poſterior idem ex lege naturali, ciuili, conciliorum generalium, principum praeterea auctoritate, vt ſolet, erudite et copioſe oſtendit. Ex quo intelligi poteſt, quid de nouitia quorundam illa ſententia ſtatuendum ſit, qua ſolennem illam Romae fieri ſolitam promulgationem ſufficere adſeritur ad inducendam in vniuerſum obligationem, quorum argumenta ſolide refutauit van Espen *in tractat. de promulgat. leg. eccles.*

§. CCLXXXVI.

Cum conſenſu principum.

Ad haec principibus ſalus regnorum ſuae curae commiſſa ius tribuit non patiendi promulgationem legum eccleſiaſticarum eiuscemodi, quae plus detrimenti in res publicas, quam vtilitatis in eccleſias illaturae videbuntur.

De hoc iure principum chriſtianorum infra ſuo loco vberius agemus. Vnum Mvratorii locum non poſſum, quin adſcribam. Is eſt *in lib. de ingen. moderat. in relig. negot. l. I. c. XV.* vbi ita ait doctiſſimus auctor: *Illa autem pars diſciplinae, quae ſeruatur in politicis legibus, et proſpicit rerum temporalium regimini, ac diſtributioni ſaepe, vt valeat; conſenſu indiget principum populorum, aliorumque epiſcoporum.*

§. CCLXXXVII.

§. CCLXXXVII.

Non praeiudicant iuri tertii.

Atque haec ſi rite obſeruentur, iam plurium, de quibus non raro vehementer litigantur, conſtat ſat perſpicua ratio. Ex his enim haud difficulter intelliges, quaecunque ſint pontificum diſciplinares conſtitutiones, eas *iuribus* populorum *ſingularibus*, *priuilegiis*, *transactionibus* non debere eſſe contrarias: et ſi ſint, minime eſſe recipiendas. Quid? quod, etſi receptae, eatenus tamen vim habere vllam poſſe non videantur.

Eleganter *cit. loc.* MVRATORIVS: *Ea ſemper*, inquit, *ſedi apoſtolicae, conciliisque ipſis generalibus mens eſt, vt ſchiſmata, ac turbae, quantum fieri poteſt, declinentur. Et noua diſciplinae decreta obligare nequaquam ſolent, eccleſias non ſine ratione ab iis recipiendis alienas, aut prouincias aliis legibus, et moribus iam pridem addictas, et nouarum legum impatientes.* Sane quidem ratio fere nulla eſt, quae non priuilegiis a ſede apoſtolica conceſſis, aut iuribus quibusdam ſingularibus; pactis, et transactionibus adquiſitis gaudeat. Agemus de natione germanica alio loco. Haec inuiolata ſeruari aequitas poſtulat: et ad eccleſiae tranquillitatem ſartam tectam conſeruandam intereſſe quam plurimum experientia edocemur.

§. CCLXXXVIII.

Nec leges politicas corrigunt.

Et quemadmodum in nullius iniuriam eſſe oportet comparatas, ita neque regum, principumque iura, regnorumque conſuetudines, modo legi diuinae, et religioni minime

me aduerſentur, abrogare epiſcopi nec velle, neque etiam poſſe cenſendi ſunt.

Concordia ſacerdotii, et imperii res una omnium maxime neceſſaria, inquit DE MARCA *in praefat. operis immortalis de concord. ſacerd. et imp. Hac diremta ob violatos iurisdictionis eccleſiaſticae, et regiae terminos controuerſiae in aperta quandoque bella eruperunt, quae diſſidiis ſane quam funeſtiſſimis eccleſiae corpus dilacerarunt. Id adeo probe notandum; ſumma diuini* NVMINIS *benignitate duobus maximis praeſidiis inſtructam eſſe humani generis ſocietatem ad felicitatem conſequendam: ſacerdotio, et imperio: quorum alterum diuinis miniſteriis ſe impendit, alterum componit reipublicae ſtatum, et humanae vitae tranquillitatem procurat; ita, vt ex vtriusque concordia chriſtiana respublica cumulatiſſimis incrementis augeatur. Vtraque poteſt tum ſuis limitibus eſt circumſcripta, et in diſſitis omnino negotiis exercetur; cum illa ſpiritualibus addicatur, haec publicis occupata ſit.* Fatentur id ipſi pontifices in *cap.* 13. *de iud. cap.* 7. *§.* 1. *de adpell. cap.* 6. *qui fil. ſint legit.*

§. CCLXXXIX.

Quid ſi circa negotia mere ciuilia verſentur?

Ex quo, quid de earum conſtitutionum pontificiarum auctoritate ſentiendum ſit, quae aliquot abhinc ſeculis, in negotiis omnino ciuilibus, et ad ſalutem hominis internam minime comparatis, editae ſunt, etiam me non admonente facili collectione adſequeris.

Quum enim eccleſiaſtica poteſtas tota, quanta eſt, ad vnam ſalutem aeternam comparata eſt, (ſup. §. 108. ſeqq.) conſequens eſt, vt, qui ab hac proficiſcuntur, canones, circa res mere temporales nullum habeant vim, quantum ad id, quod temporale iubent, vel prohibent, niſi a principibus recipiantur. Atque hinc iudicium ferendum eſt de cano-

ne

ne concilii Chalcedonensis relato *cauſ. XVI. quaeſt. I. can.* 17. conſtitutione Pelagii *cit. cauſ. et quaeſt. can.* 18. canone concilii Bracharensis *diſt. XLV. can.* 8. conciliiLateranensis *cap.* 7. *de iud. et ſaracen.* decreto Liberii, quod eſt *cauſ. XXIV. can.* 32. *quaeſt. I.* Gregorii P. *in can.* 22. *cauſ. XXIV. quaeſt. III.* Alexandri II. *can.* 22. *cauſ. XVII. quaeſt. IV.* Concilii tridentini *ſeſſ. XXIV. cap.* 6. *et ſeſſ. XXV. cap.* 19. *de reform.* Innocentii III. *in cap.* 13. *de haeret. cap.* 34. *de elect.* Clem. vnic. *de iureiur.* Clem. II. *in fin. de ſent. et re iud.* extrav. *com. de maiorit.* extrav. *ſuper re de conſuet.* extrav. Ioan. XXII. *ſi fratrum, ne ſede vacante.* Vt alia loca quam plurima ſilentio praetereamus, de quibus videri poteſt Gibertvs *proleg. p. poſt. tit. IX. p. m.* 58.

§. CCXC.

De ſuperioritate pontificis prae concilio oecumenico.

Ad iura praetenſa et ſucceſſiue adquiſita tranſeamus. Qui monarchicum eccleſiae regimen eſſe defendunt, ſupremamque atque abſolutam poteſtatem romano pontifici tribuunt; ii, fieri non poteſt, quin eidem etiam concilia oecumenica, atque adeo eccleſiam vniuerſam prorſus ſubiiciant. Mihi, quemadmodum priorem illam de monarchia eccleſiaſtica ſententiam non ſatis ab aduerſariis probatam eſſe modo adfirmaui, ita a Constantiensis Concilii decretis recedere religio eſt; ab his autem ſi diſſentire nefas eſt catholico ſcriptori, confectum eſt, ſupremam eccleſiae poteſtatem penes concilium rite congregatum ſitam eſſe.

Ne-

Nemo non videt, vnam omnium grauiſſimam, atque praecipuam iuris publici eccleſiaſtici hanc eſſe quaeſtionem, in qua proinde adcuratius exponenda longioribus ſolito nobis eſſe licebit. Ac in principio quidem deſcribenda nobis ſunt Concilii Constantiensis decreta: quorum Alterum eſt Sess. IV. his verbis: *quod ipſa ſynodus in* Spiritu Sancto *congregata legitime generale concilium faciens, et eccleſiam catholicam repraeſentans, poteſtatem a* Christo *immediate habeat, cui quilibet, cuiuscunque ſtatus, vel conditionis,* etiamsi Papalis *exſiſtat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem, et exſtirpationem dicti ſchiſmatis, et reformationem generalem eccleſiae DEI in capite, et membris.* Alterum in Sess. V. *Quod quicunque, cuiuscunque conditionis, ſtatus, dignitatis,* etiamsi Papalis, *qui mandatis, aut praeceptis huius ſacrae ſynodi, et* cuiuscunque alterius concilii generalis *legitime congregati ... obedire contumaciter contemſerit, niſi reſipuerit, condignae poenitentiae ſubiiciatur.*

§. CCXCI.

Decretum concilii conſtantienſis conſentaneum eſt S. Scripturae.

Tria ſunt in concilii conſtantienſis decretis hoc nobis loco diſcernenda a) concilium generale repraeſentare eccleſiam b) illud poteſtatem ſuam habere immediate a Deo c) eius praeceptis omnibus eſſe obediendum. Quae quidem ſingula, ſi veterum interpretationi credimus, adeo chriſtianae doctrinae conſentanea ſunt, vt non ſit veterum quisquam, qui de aliquo eorum dubitaret.

Quod autem concilium generale vniuerſam repraeſentet eccleſiam, id vero nemo etiam eorum, quibus ceteroquin Concilii Constantiensis decreta non omnino probantur, in dubium vocat, et a nobis

nobis iam ſuperius animaduerſum eſt (ſup §. 236.) Porro concilii generalis auctoritatem eſſe immediate a CHRISTO, non modo ex iis, quae a nobis alibi propoſita ſunt (ſup. §. 76.) ſed et clariſſime ex eo MATTHAEI XVIII. loco demonſtrari poſſe contendunt: *vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Tum etiam ex illis IOAN. XIV. *Ego rogabo patrem, et alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in aeternum, ſpiritum veritatis.* Quibus etiam adiungunt illud ex ACTIS APOSTOL. XV. *Viſum eſt.* SPIRITVI SANCTO, *et nobis*, quae quidem probant manifeſtiſſime, conciliorum generalium auctoritatem immediate a CHRISTO eſſe deriuandam. Atque vt ne quis putet, alienam a vetuſtate interpretationem his a nobis ſacri codicis textibus adfingi; addamus licet COELESTINI I. pontificis verba ex *epiſt.* ad patres Epheſinae ſynodi, quae in eiusdem ACT. reperias: vbi SPIRITVS SANCTI *teſtatur praeſentiam*, inquit, *congregatio ſacerdotum: verum eſt enim, quod legimus: quia nec poteſt veritas mentiri, cuius in euangelio iſta ſententia eſt:* vbi duo, vel tres etc. *Quod quum ita ſit, ſi nec huic tam breui numero* SPIRITVS SANCTVS *deeſt, quanto magis eum intereſſe credimus, quando in vnum conuenit tanta turba ſanctorum?* Quod idem etiam S. LEO docuit in *epiſt.* 63. ad THEODORETVM Cypri epiſcopum: *hac praecipue praeſenti occaſione credimus admonendum, frater chariſſime! vt, quotiescunque diuina gratia adminiſtrante, illos, qui foris ſunt, fonte doctrinae aut ſubmergimus, aut purgamus, in nulla ab illis, quas Spiritus ſancti diuinitas in chalcedonenſi concilio protulit, ſidei regulis recedentes, inter vtrumque hoſtem nouellae perfidiae ſermonem noſtrum cum omni cautela libremus: non iam, quod abſit, tanquam* DE DVBIIS DISCEPTANTES, *ſed* AVCTORITATE SVMMA, *quae* BENE DEFINITA SVNT, *adſtruentes.* Adde his eiusdem LEONIS *epiſt.* 73. et 78. ad LEONEM AVGVSTVM, et *epiſt.* 55. ad PVLCHERIAM AVGVSTAM. Sed et ille, quem ſuperius recitauimus, MATTHAEI locus huic Gallorum doctrinae manifeſte fauet, et fruſtra ſunt, qui romanum

pon-

Digitized by Google

Pontificem excipiunt, quos arguit Sylveſter II. Pontifex in epiſtola ad Seqvinvm Senonnenſem archiepiſcopum: *conſtanter dico*, ait, quod *ſi* ipse romanvs episcopvs *in fratrem peccauerit; ſaepiusque* admonitvs ecclesiam non avdierit, *hic, inquam, romanus epiſcopus praecepto DEI eſt habendus* sicvt ethnicvs, et Pvblicanvs. Cf. Bossvetvs *in defenſ. declar. cler. gall.*

§. CCXCII.

Doctrina de ſuprema generalis concilii auctoritate non minus patrum traditione firmatur.

Quod porro patres, ac ſancti maiores noſtri oecumenicam ſynodum pro ſupremo, atque vltimo catholicae eccleſiae tribunali agnouerint ſemper, conſtanterque habuerint, multa ſunt, quae perſuadere poſſint ingeniis nullo partium ſtudio, nullo praeiudicio implicatis.

Eſto nobis primum argumentum celebris ſecundi ſeculi controuerſia de celebrando paſchate. Omnes per Aſiam eccleſiae vetuſta quadam traditione quarta decima luna paſcha celebrabant, in quemcunque ſeptimanae diem ea incidiſſet; quum tamen reliquae eccleſiae eam ſolemnitatem Dominica ſequente peragerent. Frequentes ea de re ſynodi particulares celebratae ſunt, vt et Romae, cuius ſynodicam epiſtolam refert Evsebivs *lib. V. hiſt. eccl. cap.* 23. *edit. valeſ.* At nihilominus epiſcopi Aſiae morem ab antiquo ſibi traditum conſtanter retinuerunt, neque placuit Victoris romani pontificis aduerſus eos iactum fulmen, aut eius comminatio, vt idem eſt Evsebivs teſtis *cit. lib. cap.* 24. Non ergo ſeu epiſcopi Aſiae, ſeu Irenaevs, qui grauiter Victorem adhortatus eſt, *ne integras DEI eccleſias morem ſibi a maioribus traditum cuſtodientes a communione abſcindat*, ſupremum

uertendum eſt, eum non de ſolo romano pontifice, ſed de omnibus epiſcopis a ſanctis patribus exponi, veluti a S. IRENAEO *lib. IV. adu. haereſ. cap.* 44. S. HILARIO *cap.* 27. in MATTH. S. AMBROSIO *in cap.* 12. S. LVC. S. IOAN. CHRYSOSTOMO *hom.* 78. in MATTH. S. HIERONYMO in *cap.* 24. S. MATTH. S. AVGVSTINO *libro II. de quaeſtionibus euangelicis cap.* 26. *tom. III. col.* 257. atque ab aliis pluribus. Peccat igitur vir doctus, qui contra regulam a concilio tridentino traditam (ſup. §. 198.) hunc locum contra vnanimem SS. Patrum ſententiam in ſuos ſenſus eum detorquet. Ad alterum venio. Quis ſit eorum verborum ſenſus SS. Patrum interpretationi conformis, alibi doceo; (ſup. §. §. 73. 74.) et NATAL. ALEXANDRVM *hiſt. eccleſ. diſſ. IV. ad ſecul. XV. et XVI.* §. 8. Tertium locum ita interpretantur, vt fateantur pontificem eſſe *caput miniſteriale*, non *principale*, et ideo ſubordinatio eccleſiae ad papam eſt ſolum accidentalis, eſſentialis ad CHRISTVM, a quo immediate habet auctoritatem, vt ait PETRVS DE ALLIACO in *lib. de auctor. eccleſ. cap.* 4. Eſt igitur pontifex romanus primum eccleſiae, conciliique generalis membrum, atque adeo pars eccleſiae, cui eum ſubditum eſſe oportet: *vniuerſum* enim *partibus ſemper optimo iure praeponitur* S. AVGVSTINVS *lib. II. de baptiſm. cap.* 4. Neque eadem eſt capitis eccleſiae miniſterialis, et capitis humani ratio, quo praeciſo corpus iaceat: neque enim, ſicut ab hoc in totum reliquum corpus ſpiritus animales deriuantur, ita illud in eccleſiam ſpiritum infundit, ſed CHRISTVS, quod eius eſt fundamentum vſque hodie (ſup. §. 48.) Ex quarto loco diſcimus eſſe CHRISTVM vnicum eccleſiae ſponſum, pontificem autem ſponſum tantum Vicarium, ad eum modum, quo ſuae quisque eccleſiae ſponſus eſt Vicarius epiſcopus. Eſt enim eccleſia *ſponſa DEI*, cuius vices quisque epiſcopus gerit. Ad quintum locum ex MATTH. *cap.* 16. deductum nihil addo iis, quae (ſup. §. §. 73. 74.) ſcripſi. Cf. NATAL. ALEXANDER *cit. diſſ.* §. 11. Ad poſtremum denique locum dico, eius eſſe hunc ſenſum, CHRISTVM oraſſe

pro

pro S. Petri perſeuerantia finali in vera fide, et gratia, ne ſcilicet paſſionis tempore tentationi ſuccumberet, ſed vt fide in ipſo etiam caſu ſeruata cito reſurgeret, ceteroſque APOSTOLOS in fide confirmaret, quod PETRI perſonale priuilegium fuiſſe docent, eſtque haec interpretatio huius loci a maioribus tradita S. CYPRIANO *libr. de orat. dominic.* S. HILARIO *lib. I. de Trinit.* S. BASILIO *hom. XII.* de humilitate S. IOANNE CHRYSOSTOMO *hom.* 83. *in* MATTH. S. AMBROSIO in pſalm. 43. S. AVGVSTINO *lib. de corrept. et grat. cap. 6. tom. X. col.* 755. et alibi ſaepius.

§. CCXCIV.

De obiectionibus BELLARMINI ex patribus, et regulis eccleſiaſticis.

Sed et ſunt non pauca patrum teſtimonia, regularumque eccleſiaſticarum ſancita, quibus BELLARMINVS, atque alii eius ſectatores ad defendendam ſuam opinionem vti videas. Verum, quia omnia deſcribere, atque refutare adcurate nimis longum foret; paucis immorari vero inutilis eſſet labor, ſatius eſt nihil dicere praecipue, quum nihil ſit propemodum, quod aliorum laudabili opera memoratu dignum addi poſſit.

Scripſerunt ea de re adcurate multi; ego ſtudioſae iuuentuti praecipue commendatam velim NATALIS ALEXANDRI Theologi doctiſſimi diſſertationem ſaepius nobis commemoratam §. V. *num.* 31. *ſeqq.*

§. CCXCV.

Decretum ſeſſionis quartae concilii conſtantienſis eſt inuiolatum.

Noua, et ante illum inuſitata ratione vim argumenti ex decretis concilii conſtantienſis

Digitized by Google

deducti elevare adgreſſus eſt EMMANVEL a SCHELSTRATE in diſſertatione ſua capitis primi articulo primo. Contendebat ſcilicet vir doctus decretum *ſeſſionis IV.* grauem a patribus baſileenſibus interpolationem adcepiſſe inſertis ei verbis: *et reformationem generalem eccleſiae DEI in capite et in membris. Seſſionis* autem V. decretum negat, ea, qua oportuit, deliberatione, iisque, quorum intererat, conſentientibus conditum.

At enim, ſi absque manifeſtis probationibus, et ab vniuerſa eccleſia agnitis, fas eſt poſt aliquot ſeculorum ſpatium generalium ſynodorum decreta ea ſola ex ratione, quod ſufficiens non adfuerit deliberatio, in dubium reuocare, quid eſt tandem in his tam ſanctum, tamque firmum, quod hac inani coniectura eludi non poſſet? Quod autem de interpolatione patrum baſileenſium adfirmat, ad id ita reſpondet NATALIS ALEXANDER *cit. diſſ. n.* 60. *Mirum quidem videtur viris egregie cordatis* D. EMMANVELEM a SCHELSTRATE *tanta confidentia adſerere, haec verba decreto ſeſſ. IV. a patribus baſileenſibus addita fuiſſe*, remque indubitatam euadere ex omnibus codicibus manuſcriptis: *quaſi praeter nouem codices, quos laudat Romae a ſe inſpectos, ac lectos, nulli eſſent in reliquo terrarum orbe, aut ſoli vaticani fidem facere indubiam poſſent: quaſi et mendoſi codices in vaticana bibliotheca nulli eſſent, de qua ſcripſit olim* CARDINALIS BARONIVS *ſimilem eſſe ſagenae miſſae in mare, et ex omni genere piſcium congreganti. Quaſi exſcriptores etiam, et librarii indeficientis ſcripturae priuilegio, ſeu inerrante calamo donati deſuper fuiſſent. Tres, quos laudat codices MSS. acta concilii conſtantienſis continere dicit a notariis ipſius conſcripta. An immediate adeo, vt originalia ſint, et autographa? non credimus, neque ita coniicienti, et ſuam coniecturam non probanti credere tenemur. Ipſi vero decem ſaltem codices MSS. optimae notae opponimus, quos non vidit, Pariſiis ex-*

ſtantes

ſtantes in bibliothecis regia, colbertina, regalis Abbatiae S. Victoris, collegii nauarrici etc. in quibus acta concilii conſtantienſis fideliter deſcripta continentur, quae decretum ſeſſ. IV. habent cum his verbis: et ref rmationem generalem eccleſiae Dei in capite et in membris. *Atque inter MSS. victorina habentur ſingularum ſeſſionum concilii exemplaria, quae ex ipſo conſtantienſi concilio a praeſulibus, theologisque nationis gallicanae Pariſios ſtatim, atque celebrata fuerant, mittebantur, in quibus decretum ſeſſionis quartae iisdem omnino verbis legitur.* Cetera, quae non adſcribo ex ipſo auctore huius obſeruationis melius petenda.

§. CCXCVI.

De iure pontificis decreta conciliorum generalium examinandi.

Ex quo conſequi neceſſe eſt, vt falli putemus eos, qui pontifici romano non tantum *confirmandi* auctoritatem, et in iis pro arbitrio *diſpenſandi* (ſup. §. 248.), ſed et ea *examinandi* iterum, *reiiciendiue* poteſtatem nouo exemplo tribuunt. Quum contra ex actis conciliorum indubitate conſtet, decreta pontificum ex integro in conciliis generalibus in deliberationem patrum, et diſceptationem fuiſſe deducta.

Illuſtre huius rei exemplum praebet Concilivm Chalcedonense *act.* 2. in quo licet Leo P. definiiſſet, duas eſſe in Christo naturas, ea tamen omnis controuerſia nihilominus a patribus denuo explorata eſt apud Hardvinvm *tom. II. col.* 286. *ſeqq.* atque vt ne quis putet, nudam in concilio fuiſſe factam adclamationem, quod lego ab aduerſariis ſaepius dici, animaduertendum eſt, plures fuiſſe e patribus, qui non contenti Leonis epiſtola, etiam Cyrilli eam, quae eſt ad Nestorivm ſcripta, requirerent. Quid? quod

Atticvs epiſcopus nicopolitanus, cumque eo plures alii inducias ſibi indulgeri petierint, *vt tranquilla mente, et non perturbato animo, quae Deo placent, a ſanctis patribus ordinentur.* Quorſum autem iſthaec pertinuiſſent, ſi ſolius Leonis ad finiendam controuerſiam valuit auctoritas? Non minus illuſtre eſt aliud ex Concilio Constantinopolitano generali ſexto deſumtum exemplum, in quo de controuerſia ab Agathone P. in ſynodo 125. epiſcoporum romana deciſa, pariter ac ſi nihil in ea, actum eſſet, diſceptatum fuit apud Harduinum *tom. II. col.* 1155. *ſeqq.* Ac, vt ne vetera repetam ipſum, quod nouiſſimum veneramur tridentinum concilium, an non definitam a Leone X. Lutheri et Calvini cauſam iterum pleniſſime diiudicauit? certe dubitare ea de re poteſt nemo, quisquis acta concilii cum bulla Leonis comparauerit. vid. Bossvetvs *in defenſ. declarat. cler. gall. l. XII. c.* 40.

§. CCXCVII.

De ſynodorum particularium auctoritate.

Quoniam porro neque monarchica eſt, neque abſoluta regendae eccleſiae forma (ſup. §. 101.), et ſuam quisque epiſcopus, quam in parte fidelium ſibi ſubiecta obtinet, poteſtatem immediate a Christo acceperit (ſup. §. 86.), conſequens eſt, vt fruſtra ſint, qui conciliorum particularium nullam eſſe in definiendo auctoritatem docent, niſi ab adſenſu romani pontificis robur acceperint.

Docuit autem id Gratianvs *in praef.* Diss. XVIII. his verbis: *epiſcoporum igitur concilia, vt ex praemiſſis adparet, ſunt inualida ad definiendum, et conſtituendum.* Quem merito ſuo arguit Petrvs de Marca de *Conc. Sacerd. et Imp. lib. VI. cap.* 14. *Merito*, inquit, *reprehendendus* Gratianvs, *qui nouum ius introducere conatus eſt in decreto ſuo, nimirum*

Digitized by Google

rum poſſe quidem concilia haec cauſas iudicare, et criminibus debitas poenas imponere, non tamen nouos canones condere, non conſtituere aliquid, vel definire. Deceperunt haud dubie Gratianvm fragmenta ex falſis pontificum epiſtolis relata, vt etiam alibi monui. Ceterum doctrina haec Gratiani, vtvt antiquitati non conſentanea adnitentibus romanis effecit, vt mediis illis ſeculis vix aliquod eſſet concilium epiſcoporum celebratum, niſi romani pontificis legati interuenirent. vid. Van-Espen P. I. *iur. eccl. vniu. tit. XXI. cap.* 3. Quid? quod nec hodie ab hac doctrina diſcedimus. Quamquam enim non ignorent romani, poſſe ſynodos prouinciales conuocari, et celebrari ſine ſedis romanae licentia, aut legatorum eius praeſentia, nolunt tamen decreta harum ſynodorum ante promulgari, quam reuiſa romae, atque probata ſint, quod vult *declaratio cardinalium* pro interpretatione concilii tridentini data A. 1594. quae ſic habet: *decreta, quae in conciliis prouincialibus conduntur, publicari non debent inconſulto romano pontifice.* At concilium tridentinum ipſum nullam nec reuiſionis, nec confirmationis mentionem facit: eſtque haec manifeſta vis ipſi concilio illata, vt docuit Petrvs de Marca *lib. VI. cap. XIV. §.* 13. et Van-Espen *in ſupplem. ad p. I. iur eccl. tit. XX. cap.* 3. *§.* 3.

§. CCXCVIII.

Quae habeantur cauſae arduae, et maiores?

Eſt et hoc abſolutae in eccleſia monarchiae conſectarium, vt omnes cauſas *arduas*, quas vocant, ac *maiores* ſoli ſedi romanae reſeruent: quarum nomine, quas comprehendant, non eſt ſatis expeditum.

In hoc conuenit omnibus inter cauſas arduas referendas eſſe I.) Intricatiores fidei controuerſias. II.) poſtulationes perſonarum inhabilium ad praelatu-

ras. III.) confirmationes electionum. IV.) epiſcopatuum reſignationes, et translationes epiſcoporum. V.) ſedium epiſcopalium erectionem, et vnionem. VI.) inſtitutionem nouarum metropolium. VII.) coadiutorum epiſcopalium dationem. VIII. depoſitionem epiſcoporum.

§. CCXCIX.

Quid de his ſentiendum?

Quamquam autem non eſt mihi nunc animus negare hanc eſſe hodie curiae romanae diſciplinam; id tamen iure mihi contendere poſſe videor, ante ſeculum eccleſiae quintum de hac *cauſarum maiorum* reſeruatione nemini, quidquam in mentem veniſſe; id quod ſuo loco, quum de iure decretalium exponemus, de ſingulis capitibus nitemur oſtendere.

Multae ſunt fictitiae ISIDORI decretales, quibus cognitio, atque definitio cauſarum arduarum romano pontifici reſeruantur. In epiſtola FELICI III. adficta haec leguntur: *ſemper enim dubia, et maiora negotia terminum ab hac ſancta ſede a tempore apoſtolorum, qui eam ſuis documentis inſtruxerunt, adcipere conſueſcunt*, quod confirmant Iſidorianae epiſtolae IVLII I. DAMASI II. *epiſt.* 4. SIXTI II. MARCELLI, MELCHIADIS *epiſtola Egyptiorum* ad FELICEM II. quae a romanis receptae occaſionem huic diſciplinae praecipuam dederunt. Fruſtra enim ſunt, qui originem eius antiquiorem faciunt, quam neque INNOCENTII I. epiſtola ad VICTRICIVM *Rothomagenſem*, neque LEONIS p. *epiſtola XII.* ad ANASTASIVM *theſſalon. epiſcopum* probat. Quemadmodum enim prior illa manifeſte *de relatione poſt epiſcopale iudicium* facienda diſpoſuit, quod probamus (ſup. §. 271.), ita poſteriorum huc trahere ineptum eſt, niſi quis temere ſtatuere audeat, omnes epiſcopos eſſe pontificis *Vicarios*, quod eſſe falſiſſimum ſuperius oſtendimus (ſup. §. 86.).

Digitized by Google

§. CCC.

De iure adpellandi ad ſedem romanam.

Poſteaque Pseudo-Isidori auctoritate inualuit, ſoli romano pontifici competere ſententiam decretoriam in epiſcopos, reliquosque omnes fideles, nulla habita epiſcopalis poteſtatis ratione, pro arbitrio ferre, equidem neceſſario conſequi videbatur cuique fas eſſe, quacunque in cauſa ad ſedem romanam adpellare, quo nullum maius eccleſiaſticae diſciplinae vulnus falſae decretales intulerunt.

De iuris dicendi immediata poteſtate Flevrivs ita ſcribit in *diſſert. VI. ad hiſt. eccleſ. §. 3. in fictis decretalibus adſirmatur ſoli papae competere ſententiam decretoriam in epiſcopos ferre, atque haec regula ſaepius in iis inculcatur,* veluti epiſt. Elevtherii *cap.* 2. Victoris I. *cap.* 3. Ivlii *epiſt.* 2. *cap.* 1. *Verumtamen exempla centum, nouae regulae contraria memineris lector! atque vt illuſtriſſimum adferam, cauſa* Pavli Samosateni *epiſcopi antiocheni, quae vrbs prima* S. Petri *ſedes fuit, in toto Romanorum imperio nulli; niſi Romae, et Alexandriae ſecunda, in iudicio epiſcoporum orientis, et propinquarum prouinciarum nota eſt, et ipſe depoſitus, papa non participe, quem epiſcopi re peracta ſententia latae certiorem fecerunt, quod ex ipſorum epiſtola ſynodica diſpicimus.... Nil frequentius in nouem primis ſeculis occurrit, quam accuſatio, et depoſitio epiſcoporum, ſed iudicium in concilio prouinciali, omnium cauſarum eccleſiaſticarum foro ordinario agebatur. Hiſtoriam eccleſiaſticam penitus ignorat, qui putat, nunquam, et nullibi cauſam epiſcoporum finiri poſſe, niſi vel ipſe Romam mittatur, vel inde legati papales adcerſantur.* Cetera, quae vir doctiſſimus eodem loco diſſerit. Neque de adpellationibus hic plura adſcribo, ſuo loco tractanda; vide interim eandem Flevrii *cit. diſſ. §.* 5. egregie originem huius diſciplinae indicantem.

§. CCCI.

§. CCCI.

De auctoritatis primitialis extenſione.

Atque ita euidens eſt falſarum praecipue decretalium, quas decretvm Gratiani ſemel receptum mirifice protulit, auctoritate effectum eſſe, vt in eccleſia latina haec de infinita poteſtatis pontificiae auctoritate doctrina reciperetur; quo ſemel adcepto principio multa ex eo deducta ſunt, quibus ſuſtinendis ne ipſae quidem Isidori falſae decretales pares eſſe poſſunt.

Falſae iſtae decretales, quos fructus in eccleſia protruſerint, egregie doctiſſimus Covstantivs in praefat. ad epiſtolas romanorum pontificum *pag.* 127. Isidorvs, inquit, *hac ſua fraude, quam ſit pernicioſe de eccleſia meritus, dici vix poteſt. Hinc debilitati penitus, fractique diſciplinae nerui, perturbata epiſcoporum iura, ſublatae iudiciorum leges, aut miſerum ſaltem in modum adflictae: hinc diſcordiarum, ſeditionum, ac litium ſeges immenſa, quae tot ſeculis ad eccleſiae dedecus, fideliumque offenſionem fructificauit. Neque id ſolum, ſed alienae etiam communionis hominibus aperta ingens ad calumniam feneſtra. Quum enim putida tot ſcripta mendacii inſimulare promtum eſſet, ac re quidem vera inſimularent ipſi, conuincerentque, gradum inde ad genuina in dubium vocanda fecerunt. Errorem, vt par erat, refellere parum contenti, in veritatem ipſam inuolarunt. Exprobrata catholicis nimia credulitas: fuco falſi adſperſa ſapientiſſima decreta, ſanctiores ritus exploſi, reiecta ſine pudore, ac modo fundatiſſima quaeque ſummorum pontificum iura, aut certe ad tenuem, exilemque vmbram redacta.... ſpurios quidem hos foetus in ipſo ſtatim ortu exſtingui ad eccleſiae vtilitatem pertinebat.... Verum Iſidori aetate nihil mirum ab huiusmodi fraudibus non ita cautum eſſe. Diſciplinae veteris ſeueritatem laxauerat praepoſitorum incuria, ſeu fatalis illa rerum humana-*

humanarum conditio, vt optimae quaeque non ſint diuturnae. Adcedebat paucitas hominum, qui et intimam antiquitatis cognitionem, et ſanioris critices guſtum haberent. In hoc rerum ſtatu irrepſit ſenſim, neque animos ſtatim perculit, latens error, et ſub grauiſſimorum nominum perſona inualuit, ſic tamen, vt maiorum noſtrorum quaſi ſomno adoleuiſſe videatur.

CAPVT VIII.

DE

DE AVCTORITATE SS. PATRVM.

CCCII.

Sancti patres et doctores eccleſiae.

Patres eccleſiae vocamus illos eccleſiae praelatos, aliosque de clero viros, qui proditis memoriae doctrinae ſuae eccleſiaſticae monumentis de populo chriſtiano egregie ſunt meriti. Qui ex his doctrina, pietate, religionis puritate excelluerunt honorifico DOCTORVM ECCLESIAE titulo ab eccleſia inſigniti ſunt.

Ea de re haec eſt ANNATI *in adparatu ad theol. dogmat. lib. IV. art. I. concluſ. I.* ſententia. *Eos ſolos proprie* DOCTORES ECCLESIAE *dicendos eſſe, quos ob eminentem doctrinam, et inſignem vitae ſanctitatem, vt tales agnouit, ſiue recepit, vel declarauit eccleſia, ſicque ad conſtituendum eccleſiae doctorem tria illa requiri, videlicet* EMINENTEM DOCTRINAM, INSIGNEM VITAE SANCTITATEM, ET ECCLESIAE DECLARATIONEM.

§. CCCIII.

§. CCCIII.

Diſtinguendi ſunt a ſcriptoribus eccleſiaſticis.

Quum itaque ad conſtituendum eccleſiae doctorem, eccleſiae declaratio neceſſaria eſt, (ſup. §. 302.) conſequitur, vt ea, quae de ſanctorum patrum auctoritate dicturi ſumus, intelligenda minime ſint, de illis eccleſiae ſcriptoribus, qui doctrina licet excellenti, et inſigni eruditione, honore iſthoc eccleſiae digni haud videbantur.

Quin ergo, verba ſunt doctiſſimi CANI *lib. VII. cap. III. probatur* EVSEBIVS *caeſareenſis epiſcopus? quin* RVFFINVS? *quin* ORIGENES? *et hi eccleſiam* CHRISTI *ſuis literis illuſtrarunt. Nempe aliud fuit errare in rebus obſcuris, et quae non erant eo tempore explicatae, ac definitae, aliud in apertis, et quae tunc etiam in eccleſia firmiſſime credebantur.*

§. CCCIV.

Quorum aliquos non ſine ratione reſpuit eccleſia.

Nempe id ſciendum eſt, fuiſſe, qui dixerint, non conſtitiſſe rationem eccleſiae probandi hos, reſpuendi alios eruditione non minus conſpicuos. Sane ab erroribus illos non magis, atque hos immunes pronunciant.

At his difficile eſt vno in loco hic reſpondere. Id modo hoc loco alte in mentem demitti velim. Erant quaedam eccleſiae doctrinae non adeo perſpicue definitae, vti nunc ſunt quidem. Non condit quidem noua eccleſia dogmata, ſed quae dubia fuere aliquando, nunc in conſpicuo ſunt. Rebaptizandos dixit haereticos CYPRIANVS, alia

alii

alii. At Gelasivs *diſt. XV. can.* 3. probat opuſcula Cypriani, Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Ambrosii, cur autem Origenis libri damnantur, non etiam Ambrosivs aut Cyprianvs, ſi hi quoque in nonnullis fidei orthodoxae contradixerunt? *O rerum*, inquit Vincentivs Lirinensis, *mira conuerſio! auctores eiusdem opinionis catholici, conſectatores veri haeretici iudicantur. Abſoluuntur magiſtri, condemnantur diſcipuli.* Inter ſanctos, eſt, qui ab haereticis baptizatos, baptizandos iterum credidit, qui in Christi corpore et ſenſum, et dolorem negauit, qui in chiliaſtarum dogma deſcendit, qui adulterae vxoris marito alterum matrimonium conceſſit: at, horum quid dici hodie ſine nota poteſt? At hoc intereſt, Cyprianvs, Ambrosivs, Avgvstinvs, Hieronymvs *in nullo a ſanctae romanae eccleſiae conſortio deuiarunt, nec ab eius fideli praedicatione ſeiuncti ſunt, ſed ipſius communionis gratia ſemper fuere participes: at* Origenes *deſeruit vnitatem.* Canvs *cit. loc.*

§. CCCV.

Scripta SS. patrum per ſe vim legalem non habent.

Quod ad canonicas ſanctorum patrum ſanctiones pertinet, quamquam non omnia eorum ſcripta pro legibus habeantur, quandoquidem ad iura condenda doctrina, et ſanctitas non ſufficiunt, ſed neceſſaria quoque iubendi auctoritas eſt; tamen quatenus quaedam eorum dicta ſelecta aut conſtitutione concilii alicuius, aut pontificia comprehenſa ſunt, parem cum eis vim et robur merito ſortiuntur.

Non quod ex ſeſe tanta ſint auctoritate praedita, ſed quod eccleſia vim iis tribuerit, probandoque ſua effecerit. *Ego*, inquit S. Avgvstinvs *ep.* 82. *alias*

alias 19. *ad* HIERONYM. *tom. II. col.* 190. *n.* 3. *Solis eius ſcripturarum libris, qui iam canonici adpellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, vt nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid firmiſſime credam, ac ſi aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati nihil aliud, quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non adſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, doctrinaque polleant; non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores, canonicas, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.*

§. CCCVI.

Habent tamen vim probandi.

Quanta SS. patrum ſcriptis, ſententiisque vis, et auctoritas ad faciendam probationem, tribuenda ſit, non omnium idem eſt ſenſus. Sunt, qui temere eam pro nihilo habent: Sunt etiam, qui in contrarium vitium prolapſi eam canonicis ſcriptis aequiparant. Nobis conſtitutum eſt mediam ingredi viam.

Nec qui omnia, nec qui nihil tribuunt patrum auctoritati, recte ſentiunt. Antiquitati, doctrinae, ſanctitati iniurius eſt, qui fidem eorum contemnit: at qui ſibi perſuaſerit, in veterum libris nihil quidquam eſſe erroris, laterem, vt aiunt, lauerit, quisquis iſthoc conetur probare. Hanc ſiquidem felicitatem DEVS ſolis diuinis voluminibus ineſſe voluit. Ceteroquin nemo, quantumuis eruditus, et ſanctus, non interdum hallucinatur, non alicubi coecutit, non labitur quandoque. Grauiſſime S. AVGVSTINVS, ac veriſſime apud GRATIANVM *diſt. IX. can.* 10. *Neque* ait, *quorumlibet diſputationes, quamuis catholicorum, et laudatorum hominum velut ſcripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, ſalua honorificentia, quae illis debetur*

tur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi forte inuenerimus, quod aliter ſenſerint, quam veritas habet, diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum.

§. CCCVII.

Quae variat 1.) *ratione conſenſus.*

Solet autem fere, quum de ſanctorum patrum auctoritate incidit quaeſtio, trifariam diſputari: de *vnius* ſcilicet *alteriusue* proprio placito: de *communi plurium* doctrina, et in qua alios ſibi diſſentientes habent: denique de ſententia *omnium* probata conſenſu, atque auctoritate.

§. CCCVIII.

II.) *Ratione materiarum.*

Denique illud etiam conſiderandum eſt, auctoritatem patrum adferri ad dogma quandoque philoſophiae proprium confirmandum tum ad ſtabiliendam etiam fidei quamdam adſertionem. Quin et videas patrum fide theologos vti iis in diſputationibus, in quibus agitur de re, quas quisque doctiſſimus citra religionis, pietatisque iacturam ignorare tuto poteſt.

§. CCCIX.

Quanta ſit SS. patrum auctoritas I.) in philoſophicis.

Et quidem quum ad eas facultates, quae naturali lumine continentur, patrum adfertur

ſiue paucorum, ſiue etiam plurium auctoritas, certum minime argumentum ſuppeditat; ſed tantum pollet, quantum ratio naturae conſentanea perſuaſerit.

Non erat ſanctorum patrum ea ratio ſtudiorum, vt ſe totos philoſophiae dogmatibus perſcrutandis darent. Quin GREGORIVS NAZIANZENVS, et BASILIVS teſte RVFFINO *hiſt. eccleſ. lib. II. cap. IX.* tredecim annos omnibus libris ſecularium remotis, ſolis diuinae ſcripturae voluminibus operam dederunt, et HIERONYMVS *in prooem. comment. lib. III. ſuper epiſt. ad Galathas* de ſe teſtatur: *plusquam quindecim anni ſunt*, inquit, *ex quo in manus nusquam gentilium literarum quilibet auctor aſcendit, et ſi quid forte inde, dum loquimur, obrepit, quaſi antiqui per nebulam ſomnii recordamur.* Quin poſt paulo: *quotusquisque nunc*, ait, ARISTOTELEM *legit, quanti* PLATONIS *vel libros nouere vel nomen? vix in angulis otioſi eos ſenes recolunt, ruſticanos vero, et piſcatores noſtros totus orbis loquitur.*

§. CCCX.

II.) In dogmaticis quanta ſit a) aliquorum

At etiam in his, quae ad ſacras literas, et doctrinam fidei pertinent, vnius aut duorum patrum auctoritas, veri quidem ſimile argumentum ſubminiſtrare poteſt, indubitatum haud po eſt. Quo fit, vt deſpicere quidem, et habere pro nihilo impudentis ſit ingenii; imprudentis autem ſuſcipere omnia, et pro certis repu tare

Viderint itaque, q uam recte reipublicae chriſtianae conſulant, qui citra omne examen ſibi praeclare docuiſſe videntur, ſi vel vnius S. patris auctoritate ſe tueri valeant. Homines erant vtique pro huma-

humanitate erroribus obnoxii. Sane quidem, qui ab eis ne transuerſum quidem vnguem diſcedendum putat, ne is ſe in graues quandoque difficultates irretiat. Adpoſite Vincentivs Lirinenſis *contr. haereſes* operam dare in quaeſtionibus fide quemque iubet: *vt collatas inter ſe maiorum conſulat, interrogetque ſententias eorum duntaxat, qui diuerſis licet temporibus, et locis, in vnius tamen eccleſiae catholicae communione, et fide permanentes, magiſtri probabiles exſtiterunt. Et quidquid non vnus, et duo tantum, ſed omnes pariter vno, eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeueranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognouerit, id ſibi quoque abſque omni dubitatione intelligat credendum*; vid. Petavivs *in theol. dogmat. tom. I. proleg. §. 7. et* 8. Singulare eſt, quod ex auctore incerto vitae Ioannis Chrysostomi *cap.* 37. notat Gothofredvs in *comment. ad leg. I. cod. theod. de reſponſ. prud.* hunc ſanctum patrem *in interpretandis ſcripturis ita felici, diuinoque adeo ingenio praeditum eſſe, vt, quamuis ceteri eccleſiae patres communibus ſuffragiis locum aliquem ſcripturae ſecus, quam ipſi viſum eſſet, interpretarentur, contra omnes vnius praeponderaret ſententia etc.*

§. CCCXI.

(b.) plurium.

Quin etſi plures e ſanctis patribus in doctrina quadam ſtabilienda conſentiant, quum habent alios e ſuo numero, vtut pauciores ſuae aduerſos interpretationi, vix eſt, vt firmum veritatis, atque indubitatum praebere argumentum queant.

Verum hac in re cautione opus eſt. Thom. Walden. *in prooemio doctrin. fidei antiq.* docet, *quod maior pars patrum ab* Apostolis *profectum ſenſerit*, id eſſe, *catholicae eccleſiae fidem.* Idem prope Vincentivs Lirinensis tradit *in lib. adu. haereſ.*

Digitized by Google

Quum ait tria eſſe conſideranda: *vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur eccleſia. Antiquitatem vero ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos maiores, ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certe pene omnium ſacerdotum pariter, ac magiſtrorum definitiones, ſententiasque ſectemur.* Sed audiamus MELCH. CANVM *in loc theol. lib. VII. c. III. Vera ſunt haec*, inquit, *non inficior, ſed tunc cum vnius, aut paucorum contrariam ſententiam eccleſia penitus exploſit, vt illorum, qui putarunt ab haereticis venientes eſſe iterum baptizandos, illorum etiam, qui* MELCHISEDECH *non hominem quempiam, ſed* SPIRITVM SANCTVM *eſſe dixerunt; vtrumque enim horum poſt ea tempora eccleſia ſemper exhorruit. Porro autem, ſi vnius, aut paucorum opinatio non fuerit ab eccleſia reiecta, tum plurimorum auctoritas, quemadmodum diximus, nihil certum firmumque conficiet.*

§. CCCXII.

Dein (c.) omnium conſentientium auctoritas.

Enimuero in ſacrarum literarum interpretatione, conteſtandaque traditione omnium patrum conſentiens auctoritas, atque intelligentia certiſſimum praeſtat fidelibus diuinitatis argumentum; neque enim omnes, dum conſpirant, errare poſſe cenſendi ſunt, quin eccleſiae ipſius non errandi praerogatiua in diſcrimen veniat.

Sunt, quibus haec non placent. Alii, quum ſequi ſe patrum ſententiam praeſeferunt, acute magis, quam vere ſententias eorum ſuis opinionibus potius, quam opiniones ſuas eorum dictis accommodare ſtudent. Hi ſibi ſapiant, nobis cum eis nihil

nihil eſt negotii. Proteſtantes hac in re variant. Multi eorum patres primorum quatuor ſeculorum venerantur. Plurimi praeſertim recentiores magna audacia eos ſine diſcrimine contemnunt. Quos inter facile princeps eſt Avctor *animaduerſ. ad opera S. Auguſtini Antwerp.* 1703. ſub ementito nomine Ioan. Pherreponi, quem refutauit Lvdov. Mvratorivs in commendatiſſimo libello *de ingen. moderat. in relig. negot.* Nec pepercit patribus Dallaevs *lib. de vſu patrum*, contra quem Scriverivs anglus *apologiam pro SS. eccleſiae patribus* euulgauit, et quod mireris, nec Caietanvs theologus doctus et pius SS. patrum auctoritati multum fauet, ſed huic ſatisfecit Melch. Canvs *lib. VII. cap. III.*

§. CCCXIII.

Ea certum eſt diuinitatis argumentum, quod probatur 1.) *ex S. ſcriptura,*

Sed videamus, quam recte ſentiant. Certe quidem maîorum auctoritatem venerari, et vbi credendum eſt, eandem ſequi diuinis literis non vno in loco admonemur.

Non te praetereat, dicitur Ecclesiast. *cap. VIII.* 11. *narratio* Seniorvm, *ipſi enim didicerunt a* Patribvs *ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum, et in tempore neceſſitatis dare reſponſum.* Devteronom. *cap. XXXII.* 7. *Interroga* Patrem *tuum: et annunciabit tibi* Maiores *tuos, et dicent tibi.* Adde ſis Apostol. ad Rom. *cap. XII.* I. ad Corinth. *cap. XIV.* ad Ephes. *cap. IV.*

§. CCCXIV.

2.) *Ex conciliis.*

Quam Dei, et Apostolorvm doctrinam Ecclesia in conciliis congregata ſaepius imitata,

tata, pertinaciſſimorum haereticorum perniciosos errores ob id fere condemnare ſuſtinuit, quod eos PATRVM TRADITIONI diſſentientes intelligeret.

ORIGENIS ſectatores in CONCILIO VI. generali *act. XI.* ob id damnati ſunt, quod expoſitiones quasdam contra maiorum traditionem inuehere conati fuerint: quas videre licet *in epiſtol.* SOPHRONII *ſynodica* probata ab eadem ſynodo *act. XIII.* CONCILIVM quoque LATERANENSE ſub LEONE X. *act. XI.* praecipit omnibus, qui euangelicam veritatem populum docturi ſunt, vt ſanctam ſcripturam iuxta INTERPRETATIONEM DOCTORVM, quos eccleſia, vel vſus diuturnus adprobauit, explanent. Quod idem apertius definiuit CONCIL. TRID. *ſeſſ. IV.* in haec verba: *Decreuit ſancta ſynodus ad coercenda petulantia ingenia, vt nemo ſuae prudentiae innixus in rebus fidei, et morum ad aedificationem doctrinae chriſtianae pertinentium ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorqueat, aut contra eum ſenſum, quem tenuit, et tenet ſancta mater eccleſia, aut etiam contra vnanimem conſenſum patrum ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat.*

§. CCCXV.

3.) *Ex praxi eccleſiae*

Et vero id in eccleſia vſu perpetuo ſeruatum eſt. Viri pietate, atque doctrina multo etiam, quam nouatorum quisquàm, excellentiores tantum ſibi nunquam tribuerunt, vt ab omnium patrum conſentiente doctrina recederent. Quin imo veſtigia eorum premunt ſtudioſe, et conſectantur.

DIONYSIVS vel quisque alius eius operis auctor eſt, *lib. de coeleſt. hierarch. cap. I. Ad ſanctiſſimarum,* ait,

Digitized by Google

hit, *ſcripturarum intelligentias*, *prout illas a patribus accepimus*, *contuendis pro viribus pergamus*. Accedit eidem teſtis locuples S. IRENAEVS *lib. V. cap.* 63. dum *expoſitionem legitimam ſcripturarum per traditionem* MAIORVM *accipiendam* ſcribit. Idem denique ſenſere omnes EPIPHANIVS *haereſ.* 61. CLEM. ALEXANDR. *ſtrom. VII.* ORIGENES *tract. in Matth. XXIX. c.* 7 AMBROSIVS *lib. III.* ad GRATIANVM, HIERONYMVS *in epiſt. ad* EVAGRIVM *et in* DANIELEM *cap. XII.* AVGVSTIN. *in lib. de vtil. cred. ad* HONORAT. *c.* 17. *col.* 56. *tom. VIII.* praecipue. Quum enim ſacros iſte libros ſine aliena ope, et legere, et intelligere ſe poſſe arbitraretur: *itane eſt*, inquit AVGVSTINVS, *nulla imbutus poetica diſciplina* TERENTIVM *ſine magiſtro attingere non auderes.* ASPER, CORNVTVS, DONATVS, *et alii innumerabiles requiruntur*, *vt quilibet poeta poſſit intelligi*: *tu in ſanctos libros ſine duce irruis*, *& de his ſine praeceptore audes ferre ſententiam?* Adde huc GREGOR. NAZIANZ. et BASILIVM teſte RVFFINO *hiſt. eccleſ. lib. XI.* GREGOR. M. *lib. XXVII. moral. cap.* 9. CASSIODORVM *lib. diu. inſt. in prooem. et cap.* 11. *et* 25. vid. etiam GRATIANVM *diſt. XXXVII. can.* 14.

§. CCCXVI.

4.) *Ex eius infallibilitate*

Denique eccleſia dum hanc conſentientem patrum auctoritatem in ſacrarum literarum interpretatione tenendam praecipit, ſi hanc erroneam eſſe poſſe adfirmas, ipſam eccleſiam falli neſciam, errandi periculo obnoxiam concedas, neceſſe eſt. Quod quum diuinae prouidentiae minime ſit conſentaneum, ambigi non poteſt, quin conſentiens patrum teſtimonium certiſſimum ſit habendum.

Cum enim, verba ſunt doctiſſimi MELCHIORIS CANI *cit. loc. ſiue concionatores, ſiue ſcriptores omnes, qui ſanctis antiquis ſucceſſere, ſacrae ſcripturae ſenſum populo tradiderint iuxta doctrinam a ſanctis acceptam, populus autem ſenſum illum fidenter adceperit, nimirum qui concordem ſanctorum veterum expoſitionem reiicit, intelligentiam, quam hactenus eccleſia habuit, reiicere conuincitur.* Conſulendus omnino PETAVIVS *in theol. dogmat. tom. I. proleg. §. 4.*

§. CCCXVII.

III.) In diſciplinaribus

Atque hoc quidem in materia ad fidem omnino pertinente. Namque in eo genere quaeſtionum, quas ad fidem diximus minime pertinere (ſup. §. 308.), etiam omnium patrum auctoritas fidem facit non niſi cum honoris ſignificatione deſerendam; certam quidem et indubiam non facit.

Adpoſite in hanc rem VINCENTIVS LIRINENSIS *lib. aduerſ. prophan. nouationes.* Vbi, *antiqua*, ait, *ſanctorum patrum conſenſio non in omnibus diuinae legis quaeſtiunculis, ſed ſolum in fidei regula magno nobis ſtudio et inueſtiganda eſt, et ſequenda.* Legantur itaque a nobis patres veteres cum reuerentia quidem, ſed vt homines cum delectu atque iudicio. Quod *ſi quis aliter ſapit*, inquit doctiſſimus CANVS *lib. VII. cap. III. concluſ. 2. nec ſanis conſiliis adquieſcit, hic iam non ſanctorum religione, ſed ſui ipſius amore capitur, et ſub veterum nomine nouas opiniones inuehere conatur.*

§. CCCXVIII.

Vtilis patrum lectio cautione opus habet.

Quemadmodum diligens, atque adcurata patrum lectio diuinae traditionis ſtudioſis maximam

ximam adferre vtilitatem poteſt: ita in ea non ſine cautione verſandum eſſe recte praecipiunt harum rerum periti. Atque illud imprimis docendi ſumus, qui ſint veterum ſcriptores, in quorum monumentis euoluendis curam omnem, atque operam collocandam eſſe diximus.

Hos triplicis generis faciunt: Patres vocant, in quibus eſt eminentia quaedam *officii*, et *dignitatis* tum *aetatis*, porro *ſcientiae*, denique etiam *conſcientiae*, vt eleganter ſcribit Andreas Rivetvs *in tract. de patr. auctorit. cap.* 1. Praeter autem animi, ingeniique dotes in doctoribvs etiam *eccleſiae* auctoritatem requirunt. Ex his, qui noſtris temporibus viciniores, adeoque ea aetatis praerogatiua deſtituuntur, rectius aiunt Paedagogos adpellari. Ceterum eccleſia orientalis Doctoris Ecclesiae titulum praecipue tribuit SS. Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, et Ioanni Chrysostomo: occidentalis SS. Avgvstino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio M. quibus aetas recentior S. Thomam Aqvinatem et S. Bonaventvram adcenſuit. Ille a Pio V. P. hic Sixto V. eodem honore ſpeciali bulla donatus. Scripta patrum omnia aut ſunt *dogmatica*, aut *exhortatoria*, poſſuntque in ſpecies octo exacte referri. *Catecheſes*, *tractatus polemicos*, *apologias*, *homilias*, *et ſermones*, *epiſtolas*, *commentaria*, *hiſtorias eccleſiaſticas*, *et opera alia pietatis.* De quibus nonnulla in praelectionibus dicemus. Aduertendum autem eſt, non omnia patrum ſcripta iuris eccleſiaſtici ſtudioſo neceſſaria eſſe. Alia ad iurisprudentiam, alia ad hiſtoriam pertinent, qua de re, vt et eorundem legendorum ordine conſulendus eſt Mabillonivs *in tract. de ſtud. monaſtic. cap.* 3.

 §. CCCXIX.

§. CCCXIX.

Quia ſcripta eorum multa ſunt corrupta.

Quumque ſanctorum patrum monumenta variam a falſariorum temeritate, et iniuria librariorum fortunam ſint paſſa, in id incumbendum eſt diligenter, vt ne ſpuria pro genuinis, pro integris corrupta adhibeamus. Qua in re danda eſt opera, vt editionibus eorundem non niſi emendatiſſimis vtamur.

Quomodo ſpuria patrum ſcripta a genuinis, integra ab interpolatis diſcernenda ſint, *ars critica* docet, quam noſtra patrumque memoria egregie in ſacris excolueruut DVPINIVS, LAVNOIVS, ALEXANDER HONORATIVS A S. MARIA, alii, quibus auctoribus infra, quum de criticae vſu exponemus, nonnulla monebimus. Nunc de editionibus veriſſime ſcriptum eſt a GVILIELMO CAVE *in proleg. hiſt. lit. ſcript. eccles. ſect. V. pr. Nihil fere eſſe in toto rei literariae circulo, in quod frequentius impingere ſolent iuniores, et in ſtudio theologico minus exercitati, quam in prauis, minusque commodis ſanctorum patrum editionibus in vſus ſuos comparandis: dum nulla cura, nullo habito delectu, arripiunt, quidquid in procliui eſt, quidquid prima ſtatim fronte ſeſe iis offert, quo fit, vt non ſine graui ſumtus, temporis, et quod pretioſius adhuc ipſius quandoque veritatis diſpendio editiones quotidie terant imperfectas, corruptas vitiis, et erroribus ſcatentes, quaeque legentibus fucum faciunt, et non raro a recto veritatis tramite abducunt.* Huic malo, vt mederetur CAVEVS *cit. loc. regulas praeſcripſit, quarum vtiliores ex eo adferre iuuat.* I. *Editiones ſanctorum patrum, quo ſunt vetuſtiores, eo ſunt vt plurimum fideliores.* II. *Opera ſanctorum patrum, quae ex* ROBERTI STEPHANI *officina graece prodierunt, ceteras editiones emendationis cura, et typorum nitore facile vincunt.* III. *Patrum latinorum editiones* FROBENIANAE *iure merito magni aeſtimantur.* IV. *Sanctorum patrum opera, quae graece, et latine pari-*

pariſienſes in lucem emiſerunt, aliis in ſuo genere palmam praeripiunt. V. *In diſcernendis ſanctorum patrum editionibus plurimum refert, ſcire, quis editionis curam in ſe ſuſceperit.* Quas ille regulas pro eruditione ſua copioſe illuſtrauit. Certe immortalem ſibi peperit gloriam *congregatio benedictina S. Mauri* editionibus patrum adornatis longe adcuratiſſimis, iisque eruditiſſimis notis, et animaduerſionibus illuſtratis, in cuius congregationis laudem excurrere nec loci huius eſt, nec inſtituti.

§. CCCXX.

Regulae interpretandi ſanctos patres traduntur.

Nunc, quae ad intelligentiam ſanctorum patrum, eorumque ſcripta interpretandi rationem comparatae editae ſunt regulae, videamus. Harum quidem paſſim a doctoribus traduntur quam plurimae, quae partim *interna* operis ſpectant, partim *externa*.

§. CCCXXI.

Regula PRIMA.

Prioris generis ea eſt primum, adoleſcentibus praecipue magnopere commendanda: *vix fieri poſſe, vt recte interpretemur ſanctorum patrum opera, niſi ante rite lecta ſint.*

Rite autem legiſſe is eſt cenſendus, qui eos primum legit libros, qui ad alios intelligendos ſunt neceſſarii, qui continue nulla mora interpoſita legit. Quae enim carptim leguntur, ea nec memoria retinet, nec inter ſe comparari poſſunt. Porro tantum legendum eſt, quantum ſeruare memoria poteſt. Opprimit enim vires animi lectionis multitudo. Denique non negligendae eruditorum, et perſpicacium virorum notae, et animaduerſiones.

Sunt

Sunt enim multa, qnae diligentiam noſtram effugiunt, niſi aliorum monitione excitemur.

— — Cui lecta potenter erit res;
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.
HORAT. *de art. poet. v.* 40 *et* 41.

§. CCCXXII.

SECVNDA.

Quod ſi quid paulo dictum obſcurius, aut cum doctrina religionis chriſtianae minus congruum videatur: *Illud ex aliis eius operis locis perſpicuis explicandum eſt.*

In hac regula duo ſunt rite obſeruanda. *Primo* comprehendendum eſſe totius operis quaſi quoddam ſyſtema, vt vno quaſi oculo perſpici poſſit, conficiendumque eſſe lexicon non verborum modo, ſed etiam ſententiarum; hac enim ratione facillime cum verbis verba, ſententiae cum ſententiis comparari poſſunt. Deinde autem non ſtatim eſſe obſcurum exiſtimandum S. patris locum aliquem, quem ego, quem alii rerum imperiti obſcuritatis arguunt, ſed neque confundenda eſt cum obſcuritate ſeu difficultas, ſeu ſublimitas doctrinae ipſius, quod tamen negligenter paſſim animaduertitur.

§. CCCXXIII.

TERTIA.

Verba naturali ſenſu accipienda ſunt, niſi certa ſubſit ratio a literali ſenſu recedendi. Quod ſi quaedam dura, et antiquata patrum dicta reperias, ea caue corrigas, ſed benign et reuerenter exponas.

Saepius

Saepius a SS. patribus Christvm reperies adpellari *hominem dominicum*; cuiusmodi locutio, quia eccleſia iam ea non vtitur, in vſum non eſt deducenda, ſed neque corrigenda tamen aut immutanda, ne docere magis patres, quam interrogare videamur. Ceterum ex hac regula adparet, neceſſarium eſſe, vt linguarum, quibus ſcriptores vſi ſunt, peritiam nobis adcuratam comparemus, ſingulorumque vocabulorum proprietatem ſtudioſe inueſtigemus: alioqui fieri non poteſt, vt verborum ſenſum proprium vnquam adſequamur. A quo tamen ſine iuſta cauſa in interpretando recedendum non eſt. Rationes, quae nos cogunt saepe a ſenſu proprio diſcedere, multae eſſe poſſunt, de quibus in logica exponitur.

§. CCCXXIV.

QUARTA.

Ad alteram claſſem hos canones refero, *qui ſancti alicuius patris librum interpretaturus eſt, linguae, in qua primum ſcriptus eſt, facultatem adcuratam teneat neceſſe eſt.*

Huius regulae ratio euidens eſt. Verſiones enim non ſunt vllae ſatis perfectae, ſcilicet, quae auctoris mentem plene exhibeant. Quid ſi ne fieri quidem perfectae poſſunt? Idiomata enim ſibi non reſpondent, idiotiſmi, natiui colores, veneres, emphaſes verti in aliam linguam nequeunt, vt pluribus demonſtrauit Richardvs Simonivs *in hiſt. crit. V. T.* Quod ſi ea nos circumueniat neceſſitas, vt aliorum interpretationi habenda ſit fides, ceteris paribus praeferenda eſt interpretatio eius, cui auctoris lingua probe erat cognita, et in materia, de qua auctor commentatur, verſatus eſt.

§. CCCXXV.

§. CCCXXV.

QVINTA.

Porro diligenter attendamus neceſſe eſt, *quo ſeculo, quo anno, quibusue imperium ſacrum, et politicum tenentibus ſcripſerit ille, cuius ſcripta legimus, ſanctus eccleſiae pater.*

Id enim ſi diligenter obſeruet, inquit ANNATVS *lib. IV. art. IV. deprehendet ſaepe non in haereſim lapſum, quem interdum lapſum fabulantur, vel calumniantur haeretici. Sic e. g.* PAPIAM, IVSTINVM *et* IRENAEVM, *quantumuis fabuloſam, et haereticam hodie de millenario* CHRISTI *in terris regno ſententiam ſecutos, minime tamen in haereſim lapſos comperiet, ſi advertat ſententiam illam eo tempore, quo illi ſancti vixere patres, nondum vt haereticam fuiſſe damnatam.* Atque hoc ſibi vult VINCENTIVS LIRINENSIS, quum exclamat: *O rerum mira conuerſio! auctores eiusdem opinionis catholici, conſectatores veri haeretici iudicantur. Abſoluuntur magiſtri, condemnantur diſcipuli.* Quem locum eleganter interpretatus eſt MELCH. CANVS *in loc. theol. lib. VII. c.* 3.

§. CCCXXVI.

SEXTA.

Tum vero habenda eſt ratio: *aetatis, atque ſtyli, quo vtitur ſanctus pater; plerique enim patres graeci, et latini non ſcholaſticorum, ſed oratorio more ſcripſerunt, in quo multa ſunt figurata, atque hyberbolica, quae dextre intelligenda, neque vltra ſcopum vrgenda ſunt.*

Quod ad aetatem, animaduertendum eſt nimirum, iuuenis, an vir factus ſcripſerit. Conſtat enim experientia, plura nos probare iuuenes, quae ſeniores

niores facti non probamus. *Quum eſſem paruulus*, inquit APOSTOLVS I. *ad Corinth. XIII.* 11. *loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus, quando autem factus ſum vir, euacuaui, quae erant paruuli.* Quod autem ad ſtylum, huc pertinet S. HIERONYMVS *epiſt. ad Paulin.* TERTVLLIANVS, inquit, *creber eſt in ſententiis, ſed difficilis in loquendo. Beatus* CYPRIANVS *inſtar fontis puriſſimi dulcis incedit, et placidus, et quum totus ſit in exercitatione virtutum, occupatus perſecutionum anguſtiis de ſcripturis diuinis nequaquam diſſeruit Inclyto* VICTORINVS *martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non poteſt.* LACTANTIVS *quaſi quidam fluuius eloquentiae tullianae, vtinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit.* ARNOBIVS *inaequalis, et nimius eſt, et absque operis ſui partitione confuſus:* SANCTVS HILARIVS *gallicano cothurno attollitur, et quum Graeciae floribus adornetur, longis interdum periodis inuoluitur, et a lectione ſimpliciorum fratrum procul eſt.*

§. CCCXXVII.

SEPTIMA.

Denique ad id quoque animus aduertendus eſt, *cur, et qua occaſione, quibusue de rebus ſcripſerint interdum ſancti patres.* Non enim in omnibus libris, ac locis omnia tradunt veteres, ſed in vnum aliquod ſaepe intenti, alia aut praetermittunt, aut leuius, atque obſcurius exponunt.

Quod praeſertim vſu venit tum, quando de iis rebus nulla adhuc exorta quaeſtio eſt, contra quam acriore ſtudio, ac vigilantia niti eos oportuit. Tum enim ſaepe eos ipſa ſecuritas reddidit minus curioſos. Atque huc quoque pertinet illud, quod monet THEODORETVS *dialog. III. aduerſ. haereſ. non raro patres modum exceſſiſſe, quum ad-*

uer-

uerſum eccleſiae hoſtes pugnam concernerent. Quod ipſum agricolis quoque ſtirpium cultoribus vſuuenit. Qui quum incuruatam aliquam plantam viderint, non ſolum ad rectam normam erigunt, ſed etiam vltra directum in partem alteram inflectunt, vt ex vehementiori in contrarium inclinatione ad rectum ſtatum perducatur. Atque hoc de SS. patribus. Conferri poteſt MELCH. CANVS *in loc. theol. lib. VII. per tot.* Et PETRVS ANNATVS *in apparat. ad theol. poſitiu. lib. IV.* qui poſterior ſatis copioſe hac de re expoſuit. MABILLON. *in tract. de ſtud. monaſt. c. III.*

CAPVT IX.

DE CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM.

§. CCCXXVIII.

Licet poteſtas vere ſacra principibus non competat.

Quos intra fines regi oporteat ſupremas in orbe poteſtates *ſacram* et *politicam* ſatis expoſitum eſt (ſup. §. III.) Atque illud quidem indubitatum eſt, ſacram illam eccleſiae poteſtatem, quae nobis reuelatione innotuit, naturae viribus multo ſuperiorem principibus regnorum nequaquam eſſe tribuendam.

§. CCCXXIX.

Ius tamen circa ſacra illis denegari nequit.

Quamquam autem ſacrorum poteſtas ſumma illa atque independens penes eccleſiae ſit an-

antiſtites, (ſup. §. 100.) id tamen non ita adcipiendum eſt, vt principibus, qui e numero ſacerdotum non ſunt, nihil omnino iuris *circa ſacra* conuenire poſſe exiſtimetur. (ſup. §. 19.)

Non ignoro, quam ſit hoc totum genus ſcribendi delicatum, atque obnoxium cauillationibus. Cum hoſtibus religionis auitae ſentire ignaris, adulandi principibus, noxio veritati chriſtianae ſtudio abripi videmur, qui in vindicandis principum iuribus verſamur: genus calumniae mentem incauti lectoris facile occupans, et ab inquirendi ſolertia abducens. Sed cui arctum cum veritate initum eſt foedus, ei neſcio, an non ſit facile amore veritatis, et conſcientiae, vt in memoriam calumniarum non veniat. Id moneo, ſacra haec nemo vnus adeat, qui *iuris publici principiis*, non illius *imperii romano-germanici*, ex quo nuper lepide poſitiones meas non nemo impugnauit, ſed eius, *quod in rebus publicis omnibus obtinet*, et ideo *vniuerſale* dicitur, antiquitatis eccleſiaſticae notitia, rerumque olim geſtarum cognitione recte imbutus non eſt.

§. CCCXXX.

Quotuplicis generis negotia eccleſiaſtica?

Sed iuuerit hanc diſpoſitionem in ſuas partes tribuere. Negotia eccleſiaſtica omnia vel *dogmatica* ſunt, vel *diſciplinaria* (ſup. §. 33. 57.) Atque haec porro circa *perſonas*, *res* et *iura eccleſiaſtica* verſantur. Singula denique aut ſunt *ſpiritualia*, aut *temporalia*, aut ex vtroque *mixtam quamdam naturam* habent.

Hoc negotiorum ſeruato diſcrimine progredietur oratio noſtra, et quam circa unumquodque horum imperantes poteſtatem habeant, ex principiis hactenus ſtabilitis (quippe in his omnibus conuenit) dabimus operam, vt demonſtremus. Equidem ſcio: quam hic campus late pateat, digniſſimus, vtique, in quo excolendo doctorum ſeſe ingenia exerceant; ſed non patitur inſtituti mei ratio liberius euagari, quare ſumma tantum perſtringens capita, e quibus, quid hac in re iuſtum ſit, intelligemus.

§. CCCXXXI.

Dogmata ſolius eccleſiae iudicio determinanda ſunt.

Et dogmata quidem, quum ſolius DEI nitantur auctoritate, (ſup. §. 75. ſeq.) cui, qui in ciuilem coeunt ciuitatem, renunciare nec voluiſſe cenſendi ſunt, nec vero poterant etiam; dubia quoque, ſi qua ſuſpenſos tenent fidelium animos, ſolius neſcio falli eccleſiae iudicio determinanda ſint atque euellenda, citra omnem principum auctoritatem vim habent, et ex integro ſubſiſtunt.

Scis IMPERATOR, inquit GREGORIVS II. PONTIFEX, SANCTAE ECCLESIAE DOGMATA *non imperatorum eſſe, ſed pontificum; quae tuto debent dogmatizari, idcirco eccleſiis praefecti ſunt pontifices, a reipublicae negotiis abſtinentes, et imperatores ergo ſimiliter ab eccleſiaſticis abſtineant, et quae ſibi commiſſa ſunt, capeſſant: epiſt. ad* LEONEM ISAVRVM IMP. *apud* HARDVIN. *tom. IV. col.* 10. Quam in rem lectu quoque digniſſima eſt epiſtola GELASII P. ad ANASTASIVM IMP. apud HARDVIN. *tom. II. col.* 893. *ſeqq.* Quapropter merito gentiles illos re-

religionis chriſtianae hoſtes corripit elegantiſſimus LACTANTIVS, quod cogere ad ſacrificandum diis ſuis auderent chriſtianos: *Quis enim tam inſolens, tam elatus eſt*, inquit, *qui me vetet oculos in coelum tollere? qnis imponat mihi neceſſitatem vel colendi, quod nolim, vel quod velim, non colendi? Quid iam nobis vlterius relinquetur, ſi etiam hoc, quod voluntate fieri oportet, libido extorquet aliena? Nemo iſtud efficiet, ſi quid nobis ad contemnendam mortem, doloremque virtutis eſt lib. V. diu. inſt. cap.* 13. conf. EVND. *in epiſt. inſt. diuin. cap.* 53. §. 6. *ſeqq. et cap.* 54. §. 1. *ſeqq.* TERTVL. *in apolog. cap.* 23.

§. CCCXXXII.

Neque coactioni obnoxia eſſe poſſunt.

Quemadmodum autem fides omnis expers eſt coactionis, quatenus quidem haec ab humano proficiſcitur arbitrio: ita et ad externas actiones rectae rationi, et verbo DEI reuelato aduerſas cogi quemquam nefas eſt. (ſup. §. 111.) Quae enim haec inhumanitas eſt adigere aliquem ad id faciendum, quod eſt a DIVINA VOLVNTATE alieniſſimum. Harum igitur actionum arbitrium cuique per imperium ſalvum eſſe debet, *in quo ſita eſt vera conſcientiae libertas.*

Atque huc reſpicit canon CONCILII TOLETANI apud HARDVINVM relatus *diſt. XLV. canon. de Iudaeis V. Praecipit S. ſynodus nemini deinceps ad credendum vim inferre.* Quem locum etiam retulit GROTIVS *de I. B. et P. lib. II. cap. XX.* §. 48. aliisque tam ſacrae ſcripturae quam patrum teſtimoniis confirmat, dignus vtique, qui legatur.

§. CCCXXXIII.

Eorum tamen obſeruationem princeps promouere tenetur.

Quemadmodum autem naturali quadam ratione tenetur omnis homo verum Dei cultum pro virili parte promouere, adhortarique alios ad dogmatum obſeruationem, quorum adcurata cuſtodia religionem abſoluit, ita hanc diuinae gloriae curam ad principes praecipue ſpectare, nemo eſt, facile, qui ambigat.

Neque enim regum in promouenda ſuorum externa ſalute officium tam arctis continetur limitibus, vt interioris illius nullam eos habere rationem oporteat: vt ergo parentibus incumbit praecipue quidem, vt liberos exhibeant; ſed huic naturali curae accedit etiam altera ex profeſſione religionis chriſtianae profecta, vt eos ad veram fidem, et pietatem erudiendos magiſtris tradant; ita etiam principes, quibus divinvm Nvmen ad procurandam in republica pacem vices ſuas commiſit, eo etiam ſtudium ſuum porrigere debent, vt ciues ad felicitatem aeternam proſequendam compellant, quam in rem prae oculis haberi meretur epiſtola S. Avgvstini ad Bonifacivm ſcripta infra in ſchol. ad §. 338. a nobis adlegata; ſi modo Avgvstinvm habet auctorem. Praeclare Valerivs Maximvs ſolo naturae lumine illuſtratus *de romanis lib. I. cap. I. Omnia namque*, ait, *poſt religionem ponenda ſemper noſtra ciuitas duxit: etiam in quibus ſummae maieſtatis conſpici decus voluit. Quapropter non dubitauerunt ſacris imperia ſeruire, ita ſe humanarum rerum futura regimen exiſtimantia, ſi diuinae potentiae bene, atque conſtanter fuiſſent famulata.*

§. CCCXXXIV.

§. CCCXXXIV.

I.) *Leges eccleſiaſticas auctoritate ſua firmando.*

Quod omnino adſequentur, ſi per epiſcopos, quae ad fidei ſinceritatem, et mores componendos pertinent, populis denunciari curent, res in hoc genere ab eccleſia decretas ſuis legibus ſanciant, et ne regulis conſtitutis vis aliqua fiat, ſedulo inuigilent.

Elegantiſſime S. Avgvstinvs contra Cresconivm *col.* 464. *tom. IX. lib. III. c.* 51. *In hoc*, inquit, *Reges, ſicut eis diuinitus praecipitur*, Deo *ſeruiunt, in quantum* Reges *ſunt, ſi in regno ſuo bona iubeant, mala prohibeant; non ſolum, quae pertinent ad humanam ſocietatem, verum quae pertinent etiam ad* divinam Religionem. Et S. Leo *epiſt.* 81. *Debes incunctanter aduertere regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed etiam maxime ad* praesidivm Ecclesiae *eſſe collatam, vt auſus nefarios comprimendo, et quae bene ſunt ſtatuta, defendas, et veram pacem iis, quae ſunt turbata, reſtituas:* Idem Pontifex *epiſt.* 33. profitetur: *Res aliter tutas eſſe non poſſe, niſi quae ad* Divinam Confessionem *pertinent, et* Regia, *et* Sacerdotalis *defendat* Avctoritas. *Apud* Gratianvm *cauſ. XXII. q. V. can.* 21. adde *cit. loc. can.* 20. Quam ad ſe curam pertinere non ignorarunt piiſſimi imperatores. Egregium Constantini promouendae religionis ſtudium elucet ex eius *epiſtola ad eccleſias de ſynodo nicaena apud* Evsebivm *de vita Conſtant. lib. III. cap.* 17. *In hoc*, inquit, *praecipue mihi elaborandum eſſe exiſtimaui, vt a ſanctiſſimis eccleſiae catholicae populis vna fides, ſincera charitas, et conſona erga* Omnipotentem Devm *religio ſeruaretur.* Eaque de cauſa *ap. eund.* Evsebivm *lib. IV. de vita Conſtant. cap.* 25. *Vos quidem*, inquit epiſcopis, *in iis, quae intra eccle-*

 ſiam

ſiam ſunt, epiſcopi eſtis. Ego vero in iis, quae extra geruntur, epiſcopus a Deo ſum conſtitutus. Nec minorem CONSTANTINI ſucceſſores in tuenda religione curam impendiſſe conſtat: MARCIANVS *in prima concilii chalcedonenſis ſeſſione* ita patres adloquitur: *Imperium diuino nutu ſortiti, ſubditis pro pietate et manſuetudine ſimiliter neceſſaria plurimam ſollicitudinem impertimus, quatenus et vera religio, et noſtra respublica cultu* DEI *puriſſimo, et pietate firmata praefulgeat apud* HARDVIN. *tom. II. col.* 71. Neque immerito id quidem; nihil enim religione ad ſalutem publicam efficacius, nihil vtilius; *Intuemini*, ait, CAMILLVS vtut *ethnicus apud* LIVIVM *lib. V. cap.* 5. ad conciues ſuos, *horum deinceps annorum vel ſecundas res, vel aduerſas, inuenietis omnia proſpere eueniſſe ſequentibus deos, aduerſa ſpernentibus.* Si DEVM dixiſſet, nihil verius, nihil magis pium.

Heu primae ſcelerum cauſae mortalibus aegris
Naturam neſciſſe DEVM.

§. CCCXXXV.

II.) Praecauendo ne oriantur haereſes, ortasque tollendo.

Vis, quae chriſtianae fidei inferri poteſt, omnis ad duo ſumma genera pertinet, *haereſim*, et *ſchiſma.* Quoniam igitur ad principis chriſtiani officium pertinet, eccleſiam; fidemque ab omni inuaſione immunem, praeſtare, (ſup. §. 333. ſeq.) illius quoque curae eſt, dare operam non modo, vt orta ſemel haec mala e republica chriſtiana *tollantur*, ſed et; vt ne oriantur, *praecauere.*

Se-

Sero, difficile certe, malis remedium, quum inualuerunt, adhibetur, non admittere plerumque non ardui laboris. Tritum illud, ſed veriſſimum eſt, quod poeta canit.

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Quum mala per longas iuualuere moras.

§. CCCXXXVI.

1.) *Conuocando concilia.*

Schiſmatis componendi, extirpandaeque haereſis media ſunt conciliorum generalium auctoritas, et ecclesiarum particularium extra concilium conſenſus (ſect. II. c. VI.) Illius *conuocandi ius* praecipue quidem ad pontificem romanum pertinet. (ſup. §. 237.) At ab eo ſi tardior, quam quidem expediat, ſpes adfulgeat, nihil impedit, quo minus ſuos ſinguli principes epiſcopos congregent, verum ab erroneo pro auctoritate ſua definituros.

Poſſemus hoc ingenti exemplorum multitudine vix non per omnem antiquorum conciliorum ſeriem eundo comprobare. Verum ſatius erit ex infinito pene numero pauca delibare. Vt autem a nicaeno initium capiamus, quod Evsebio teſte, auſpicio, iuſſuque Constantini Imp. indictum fuiſſe conſtat. *Mox*, inquit, *velut diuinam quamdam phalangem aduerſus eum* (Arrium) *inſtruens generalem ſynodum conuocauit, honorificis litteris, epiſcopos vndique inuitans, vt quantocius adeſſent*: Epiſcopi autem: *Perlato in omnes prouincias imperatoris* praecepto, *ſtatim cuncti velut ex tranſenna emiſſi, ſumma cum alacritate aduolarunt*, cui Socrates *lib. I. c.* 5. Sozomenvs *lib. I. c.* 16. Theodoretvs *lib. I. c.* 7. Nicaetas *in theſaur. lib. V. cap.* 5. conſentiunt. Quod et ſynodus

Digitized by Google

ipſa in epiſtola ad eccleſiam alexandrinam apud SOCRATEM *lib. I. cap. 6.* et THEODORETVM *lib. I. cap. 9.* fatetur, ſardicenſem ſynodum, quam multi pro oecumenica habent, ab IMPP. CONSTANTIO, et CONSTANTE congregatam fuiſſe. SOCRATES *lib. II. cap. 16.* THEODORETVS *lib. II. cap. 8.* NICEPHORVS *lib. IX. cap. 2.* perhibent. Et diſerte ATHANASIVS *in apolog. ſecunda* ait: *Viſa audacia euſebianorum epiſcoporum a religioſiſſimis* IMPERATORIBVS CONSTANTIO, *et* CONSTANTE *iuſſi ſunt epiſcopi orientis, et occidentis ſardicam conuenire:* Conſtantinopolitanum I. auctore THEODOSIO habitum idem SOCRATES *lib. V. cap. 8.* refert: *Imperator*, ait, *nulla mora interpoſita concilium epiſcoporum, ipſius fidem amplectentium conuocat*, cui conſentiunt SOZOMENVS *lib. VII. cap. 7.* et NICEPHORVS *lib. XII. cap. 10.* De Epheſino I. teſtes ſunt EVAGRIVS *lib. I. cap. 3.* Et SOCRATES *lib. VII. cap. 33.* *Imperatoris* (THEODOSII iunioris ſcilicet) MANDATO *epiſcopos ex locis omnibus conueniſſe*, quod nec ipſa diffitetur ſynodus in relatione ad COELESTINVM romanum pontificem apud HARDVIN. *tom. I. col.* 1503. Et vero pontificum quoque romanorum non deſunt ingenuae preces, quibus apud imperatores pro habenda ſynodo ſupplicarunt, vnus ſufficiat nobis Leo P. *in ep. IX. ad* THEODOSIVM IMP. *Pro integritate fidei*, inquit, *christianum principem conuenit eſſe ſolicitum. . . Vnde ſi pietas veſtra* SVGGESTIONI, *ac* SVPPLICATIONI *noſtrae dignetur annuere, vt intra Italiam habere iubeatis epiſcopale concilium.* Cuius conſenſus an concilii conuocationem anteceſſerit: quod vult BARONIVS *ad an. 381. num. 19. et 20.* et DOVIAT. *lib. II. cap. IX.* ducti auctoritate THEODORETI *lib. V. cap. IX.* dubito, exiſtimo enim ſatisfactum cardinali doctiſſimo a PAGIO *in critic. ad cit. an. n. 4. ſeqq.* et NATAL. ALEXANDRO *diſſ. XXXVI. art. I. ſecul. IV. tom. IV.*

§. CCCXXXVII.

Digitized by Google

§. CCCXXXVII.

Vel 2.) omnium ſaltem diſperſorum epiſcopoporum conſilia exquirendo.

Conciliorum generalium conuocatio non vni eſt difficultati obnoxia. Tardius hoc, quam pro neceſſitate quandoque remedium eſt. Exorta praeter expectationem in prouincia haereſi, epiſcoporum eius gentis munus eſt, in id incumbere, vt ſuffocetur malum (ſup. §. 263.) Quod ſi et hos officio ſuo deeſſe contingat, iam imperantis et ius, et munus eſt, pro auctoritate ſua mandare, vt collatis conſiliis veritatem adſertum eant, quae definitio, quum ex ore primi epiſcopi in orbem emiſſa, omnium iudicio, et conſenſu probata eſt, infallibilem conſequitur auctoritatem

Semper ſtudium fuit, inquit Iustinianus Imp. *in epiſt. ad ſynod. conſtantinopolit. II. apud* Harduin. *tom. III. col.* 54. *orthodoxis, et piis imperatoribus patribus noſtris pro tempore exortas haereſes per congregationem religioſiſſimorum epiſcoporum amputare, et recta fide ſincere praedicata, in pace ſanctam Dei eccleſiam cuſtodire.* Rationem dabo, *ex epiſt.* Theodosii *ad ſynod. epheſin.* quae exſtat apud Harduin. *tom I. col.* 1345. cuius teſtimonio eo lubentius vtor, quod ſynodi iudicio adprobata ſit et in acta relata: ſic autem ait: *Pendet in Deo cultura noſtrae vitae ſtatus, et multa his ineſt cognatio, et inſertio. complectuntur enim alterutra, et vtraque aeterno profectu concreſcit: vt vera quidem religio per iuſtitiam, res autem publica, dum per vtraque continetur, refulgeat; imperatores ſiquidem conſtituti a Deo, et coniuncti ſubiectorum pietate, et ſecuritate conſiſtentes: inerumpibilem ſemper copulationem horum ſeruamus, prouidentiae, et hominibus mediantes. Illi namque miniſtramus ad reipublicae incrementum.* Hinc

CONSTANTINVS apud EVSEBIVM *de vita Conſtant. lib. I. cap.* 37. ECCLESIAE DEI *peculiarem curam gerens, ortis varia per loca diſſidiis, ipſe tanquam communi a Deo conſtitutus epiſcopus concilia miniſtrorum Dei indicebat.* Ita CLODOVAEVS aurelianenſe I. concilium apud HARDVIN. *tom. II. col.* 1007. THEODORETVS arſernenſe *apud* HARDVIN. *tom. II. col.* 1119. CHILDEBERTVS aurelianenſe II. apud HARDVIN. *cit. loc. col.* 1174. aliique reges alia, vt non modo de Francia, ſed et de Hiſpania, Africa, Hungaria, Polonia, aliisque regnis ex hiſtoria docere poſſumus. Vna ſufficiat GREGORII M. epiſtola ad THEODORICVM FRANCIAE REGEM miſſa *lib. IX. epiſt.* 94. *Veſtra*, inquit, *excellentia DEI noſtri mandatis inhaerens ſtudium ad congregandam ſynodum pro ſua mercede adhibere dignetur, vt omne a ſacerdotibus corporale vitium poteſtatis veſtrae imminente cenſura, et concilii definitione tollatur.* Sed vix alium quemquam regum hac pietate in vnionem chriſtianae fidei per frequentia concilia conſeruandam CAROLVM M. ſuperaſſe exempla comprobant quam plurima. Aperte id fatetur concilium MOGVNTINVM *de an.* 813. *in praefat.* ibi: *quia venimus ſecundum iuſſionem veſtram apud* HARDVIN. *tom. VI. col.* 1008. Hunc filius eius LVDOVICVS imitatus AQVISGRANI *generalem ſanctum conuocauit conuentum apud* HARDVIN. *tom. IV. col.* 1055. CAROLVS CALVVS meldenſem, LOTHARIVS IVNIOR valentinianum, LVDOVICVS II. wormatienſem: ARNOLPHVS triburienſem ſynodos imperauerunt, Eodem ſpiritu animatus CAROLVS V. promiſit ſtatibus imperii ſe curaturum, vt quantocius conuocetur concilium nationis germanicae (National-Verſammlung ordentlicher Weiſe berufen) vel in defectu huius intra octodecim menſes computando a fine horum comitiorum, (ein gemeinen Reichstag) ſi ſcilicet pontifex non conuocauerit ſynodum vniuerſalem *in* R. I. SPIR. *de an.* 1541. §. 22.

§. CCCXXXVIII.

§. CCCXXXVIII.

3.) *Non tolerando impugnatores verae religionis.*

Ad fidei diuinae ſinceritatem incorruptam ſeruandam decretorumque diuinorum, ac ſynodalium auctoritatem defendendam comparatum quoque ius eſt principis non tolerandi homines ſuo in territorio, qui contra patrum ſtatuta, veterem ac veram religionem, qua voces qua ſcriptis impugnant, bonisque moribus, et virtuti bellum minime ferendum indicunt.

Nulla res magis animos, et mores componit, quam religio: et vbi haec in pectus demiſſa, agmen virtutum conſequitur, ſine quibus beata vita nulla eſſe poteſt, ne ciuilis haec quidem. Itaque praecipua impendenda cura eſt, vt moribus integris ſint ciues.

Prima mihi debes animi bona ſanctus haberi.

Et vere S. AVGVSTIN. *tom. V. lib. V. de ciuit. Dei cap.* 24. *col.* 141. illos demum reges fideles iudicat, qui *ſuam poteſtatem ad DEI cultum maxime dilatandum* MAIESTATI *eius famulam faciunt: qui Deum timent, diligunt, colunt.* Quomodo autem reges Domino ſeruiant in timore? docet IDEM S. PATER *in epiſt.*185. *alias* 50. *ad* BONIFACIVM, *tom. II. n.* 19. *col.* 651. ſcilicet ea, *quae contra iuſſa DOMINI fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo, atque plectendo. Aliter enim ſeruit, qua HOMO eſt, aliter qua REX eſt. Qua HOMO eſt, ſeruit viuendo fideliter, qua vero etiam REX eſt; ſeruit leges iuſta praecipientes, et contraria prohibentes conuenienti vigore ſanciendo. Sicut ſeruiuit* EZECHIAS, *locos, et templa idolorum, et illa, quae contra praecepta DEI fuerunt conſtructa, deſtruendo; ſicut ſeruiuit* IOSIAS, *talia et ipſe faciendo: ſicut ſeruiuit* REX NINIVITARVM, *vniuerſam ciuitatem ad placandum* DOMINVM *compellendo: ſicut ſeruiuit* DARIVS, *idolum*

fran-

frangendum in poteſtatem DANIELI *dando, et inimicos eius leonibus ingerendo: ſicut ſeruiuit* NABVCHODONOSOR, *omnes in regno ſuo poſitos a blasphemando DEO lege terribili prohibendo. In hoc ergo ſeruiunt* DOMINO REGES, *in quantum ſunt* REGES, *cum ea faciunt ad ſeruiendum illi, quae non poſſunt facere, niſi* REGES. Atque hinc intelliguntur regum iura cogendi ſubditos ad audiendum verbum diuinum, extirpandi fana, et idolorum templa, inhibendi actus feſtos dies profanaturos, iubendi paſtoribus, et epiſcopis obedientiam exhiberi, eliminandi peruerſa docentes, aliaque quam plurima ad religionem ſartam tectam ſeruandam, morumque integritatem tuendam. Vid CORP. NOST. IVR. ECCLES. AVSTRIACI *voc. de reform. morum.*

§. CCCXXXIX.

4.) *Illos conſtitutis poenis perſequendo.*

Quin nec illud vocari in dubium poteſt, quo minus contumaces, ſi turbare rempublicam pergant, conſtitutis perſequi poenis liceat. Neque enim credendum eſt, hoc principum eccleſiam defendendi ius otioſum, et imbelle eſſe.

Prudens fuit hac in re primorum chriſtianae religionis CAESARVM oeconomia. Haereſin THEODOSIVS *in l. 4. §. 1. c. de haeret. primum quidem voluit eſſe publicum crimen: quia, quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam,* atque ideo *huic hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune eſſe cum ceteris* conſtituit in eccleſiaſticis: *nullus ſit haereticis miniſteriorum locus l. 2. pr. c. de ſumm. trinit. Si epiſcopi, aut clerici ſint, ab eccleſiis eiiciantur. L. 3. ibid. §. 2. ſchemate, atque nomine ſacerdotis exuti; cit. l. §. 4. non poſſunt epiſcopos, presbyteros, alioſue clericos creare . . . et habere non ſynacteria, ſeu collectas facere, aut paraſynaxes, aut ſynodos, aut ordinationes, aut baptiſmata, aut exar-*

exarchos habere, aut paternitates, ſeu abbatias aut defenſiones inſtituere, aut curare, ſeu adminiſtrare villas per ſe ipſos, aut per interpoſitas perſonas. L. 8. §. 2. *de haeret. l.* 3. *l.* 5. *l.* 6. §. 1. *l.* 8. §. 3. *et* 14. *c. de haeret. et manich.* ſed et a ciuilibus muneribus arcebant haereticos: *prohibuerunt enim eos magiſtratum gerere, et dignitatem habere, aut ius dicere, aut defenſores, aut patres ciuitatum fieri, ne habeant licentiam vexare, et iudicare chriſtianos aut epiſcopos. L.* 12. *c. de haeret. Nullus ad aliquam adſpirare militiam debet. L.* 8. §. 4. *eod. iung. l.* 1. *l.* 7. *l.* 13. *l.* 19. §. 1. *nou.* 115. *c.* 3. Quin et commercium cum illis omne interdicitur etiam priuatum. DONATIO *l.* 5. *c. de haeret.* VENDITIO *l.* 10. §. 20. *c. eod.* SVCCESSIO *l.* 4. §. 2. *et* 6. *l.* 5. *l.* 10. *l.* 19. *pr. l.* 22. *eod.* adde *l.* 18. §. 1. *l.* 20. §. 3. Quid? quod ſi id neceſſarium ſit, et ex vſu reipublicae, etiam ad mortem vsque animaduertendi poteſtatem principibus tribuant non ſane pauci. Quam imperii ſummi virtutem PAVLVS APOSTOLVS *iure gladii* declarat, quem *portant* principes *in iram eorum, qui malum agunt.* In republica Hebraeorum haec medicina ipſum DEVM auctorem habet, mandantem DEVT. *XIII. et XVIII.* falſos prophetas, qui ſuadent colere Deos alienos, ſine vlla miſerationis ſpe occidi. Neque etiam, ſi neceſſe foret, arduum eſſet, integerrimorum regum HELLIAE, IOSIAE, IEHV, ASAE, nec non chriſtianorum imperatorum exempla in medium proferre. *Melius quidem eſſe*, inquit S. AVGVSTINVS *in epiſt.* 185. *alias* 50. *ad* BONIFACIVM *n.* 21. *col.* 651. *t. I. quis dubitauerit, ad DEVM colendum homines doctrina duci, quam timore poenae vel dolore compelli. Sed non quia iſti meliores ſunt, ideo illi, qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit prius timore, vel dolore cogi, vt poſſint poſtea doceri, aut quod iam verbis didicerunt, opere ſectari.* Sed non leuiſſimis quibusuis de cauſis virgae ſunt, et ſecures expediendae, ſed tum demum, quum minora illa peccata in reipublicae chriſtianae ingens detrimentum eruptura ſunt. Namque errores mentis, intra animum conſiſtentes, nulla vis, nullus metus tollit: elegantiſſime

THVA-

THVANVS *in praefat. ad regem chriſtianiſſimum* HENRICVM IV. *Experientia ſatis edocti ſumus, ferrum, flammas, exilia, proſcriptiones irritaſſe potius, quam ſanaſſe morbum menti inhaerentem, ad quem proinde curandum non iis, quae in corpus tantum penetrant, ſed doctrina, et ſedula inſtitutione, quae animum leniter in inſtillata deſcendit, opus eſſe.* Sed non eſt conſilium haec latius perſequi, ſatis enim opinor, in eo omnes conueniunt, ſeditioſos et perduelles, qui tot funera in ciues inducunt, dignos eſſe, qui et ipſi poenas dent. Audiamus diſertiſſimum aeque ac prudentiſſimum BARCLAIVM, quid ipſe in perſona IBVRANIS ARCHOMBRATO nihil niſi arma in haereticos clamanti conſilii dederit *in Argen. lib. II. c. III. part. I. p. m.* 136. *Si quid vero ipſe ſentiam*, inquit, *neque cum illis pacem, neque bellum ſimpliciter volo. Nam ſi quietem poſſunt pati, non hos puto vllis motibus ſollicitandos; ſin in regem, remque publicam ſeditioſis conſiliis ſponte inſurgent, ferendos non arbitror, ſed vi, armisque premendam veſaniam ſuperbe furentium. Pia tunc arma, tunc omni laude digna in eos ſeueritas. Totis regni viribus enitendum, nec impune auferant abominandi in reges exempli audaciam. Et eo quidem celerius vindicandum eſt facinus, quo ipſi ferocius ſolent graſſari in cunctantes noſtramque patientiam pro imbecillitate contemptim adcipere. Neque enim haec ſecta, ferendo, parendoue (vt ſolent meliores diſciplinae) quaerit ſibi incrementa: ſed iurgio, rixa, tumultu ſua facinora aſſueuit aſſerere. Ferro igitur, et plusquam aemula ferocitate cenſeo in eos eſſe agendum, quoties ſuis iniuriis regem ac patriam laceſſent. At ſi ſeditionibus, ſi rebellione abſtinebunt, patienturque mitius ſe haberi, tunc ego cum illis pacem malim etc.*

§. CCCXL.

5.) *Inſtituendo colloquia.*

Illud etiam porro principis chriſtiani officium eſt, non ortis duntaxat malis conuenientem adplicare medicinam, ſed et ante prouidere,

dere, vt quum maxime conetur gens perdita, vires tamen nequeat exercere, atque ita flamma ipſo in ortu ſuffocetur. Haec prouiſionis cura poteſtatem eidem tribuit inſtituendi *colloquia*, vt gliſcentia religionis diſſidia mature componantur, et concordia inter diſſidentes, antequam animi in odium abeant, reducatur.

Hunc in finem CAROLVS V. congreſſus HAGENOVIAE, et WORMATIAE 1540. indixit vtut ſperato deſtitutos ſucceſſu, vt videre eſt in R. I. RATISBON. de *a.* 1541. §. 8. *ſeqq.* adde §. 21. Et adeo nouum iterum congreſſum in RECESS. WORMATIENS. *de an.* 1545. §. 7. conuocari promiſit verbis notatu digniſſimis. Dieweil wir aus ſondern gnädigen väterlichen Gemüth, ſo wir zum heil. Reich deutſcher Nation tragen, nichts höhers begehren und ſuchen, dann den Zweyſpalt unſer heil. Religion nachmals zu chriſtlicher Einigkeit und gleichem Verſtand zu bringen: ſo ſind wir als chriſtlicher Kaiſer und Beſchirmer, unſers liegenden kaiſerlichen Amts, auch unſerm hievor beſchehenen gnädigſten Erbieten nach, gnädiglich wohl geneigt und begierig geweſen, die Sachen der ſtreitigen Religion, auf gegenwärtigen Reichstag zu chriſtlicher union-reformation, und Vergleichung ſonderlich zu befördern. Es iſt aber allen Ständen guter Maßen bewußt, aus was ehehaften und wichtigen Urſachen, ſolche Vergleichung dieſer Zeit, auch füglich nicht vorgenommen noch erlangt werden mögen. Darum, und damit wir dannoch ſolche nothwendige Vergleichung, vermittelſt göttlicher Gnaden, nachmals mit guter Ordnung eheſter Möglichkeit befördern, erheben, und ins Werk bringen mögen: haben wir zu Beförderung angeregter Vergleichung, für nützlich und gut angeſehen, abermals ein chriſtlich Geſpräch und colloquium von etlichen frommen, gottesfürchtigen, gelehrten, gutem Gewiſſen, ſchiedlichen, ehr- und friedliebenden Perſonen, in geringer Anzahl zu halten, und obberühmten Reichstag vorgehen zu laſſen.

Digitized by Google

ſen. Adde §. 10. *et* 18. *ibid.* et RECESS. IMP *de an.* 1557. §. 11.

§. CCCXLI.

6.) *Diſputationibus theologicis imponendo finem.*

Quem in finem comparatum quoque eſt ius feruentibus theologorum diſputationibus, quae tumultibus, et turbis in republica occaſionem praebere poſſunt, vel vtrique vel alterutri litigantium parti ſilentium eiusque imponendi, donec a ſacra poteſtate legitima deciſio fuerit in alterutram partem conſecuta.

Adponere iuuerit verba R. I. SPIR. *de an.* 1529. §. 8. Und als zu Nürnberg auf den zwoen letzten, alda gehaltenen Reichstagen zween Artikel, ſonderlich der Prediger und Druckerey halben verabſchiedt und verwilliget worden ſeynd: haben wir uns ſamt Kurfürſten, Fürſten, Prälaten und Grafen, verglichen und vereinigt: daß demſelben nachmals gelebt und Folge gethan werde: nämlich, daß ein jeder Kurfürſt, Fürſt, Prälat, Graf und andre Stände im Reich, mit allem möglichſten Fleiß, in ſeiner Obrigkeit beſtellen und verfügen, daß mit allen Predigern, füglich und ziemlicher Weis geredt, nnd gehandelt werde, in ihren Predigen zu vermeiden, was zu Bewegung des gemeinen Manns wider die Obrigkeit, oder die Chriſtenmenſchen in Irrung zu führen, Urſach geben möchte; ſondern, daß ſie allein das Evangelium nach Auslegung der Schriften von der heil. chriſtlichen Kirchen approbieret, und angenommen zu predigen und zu lehren. Und was diſputirliche Sachen, ſich deſſelben zu lehren und zu predigen enthalten; ſondern gemeldtes chriſtlichen concilii-Entſcheids zu gewarten. Quibus concordant REC. IMP. *de an.* 1530. §. 58. 1541. §. 40. 1578. *aug. vindel.* §. 15.

§. 15. 1570. §. 154. ORD. POLIT. 1577. *tit.* 53. §. 1. *ſeqq.*

§. CCCXLII.

Quo referenda eſt celebris illa conſtitutio:
INTERIM.

Atque huc referri poteſt celebris illa an. 1548. ex conſilio prudentum theologorum a CAROLO V. promulgata religionis formula, INTERIM adpellata, in qua ſuſpenſo tum CONCILII TRIDENTINI proceſſu, queis legibus exercitium ritus ſui proteſtantibus permitteretur, vsque dum certum quid a concilio tridentino conſtitutum eſſet, definiebatur.

Dogmata fidei in ea comprehenſa, nemo eſt, qui ambigat, fuiſſe omnino catholica exceptis duobus duntaxat diſciplinae capitibus, ſcilicet vt interim *communio laicorum*, qui ea ita vti adſueuiſſent, ſub *vtraque ſpecie* toleraretur, et *coniugatis ſacerdotibus in coniugio perſiſtere* fas eſſet, donec aliud a concilio fuerit definitum, cuius ſententiae tum omnes adquieſcerent. Hac via diſponi poſſe animos ſperabat CAESAR, vt potiore parte diſcordiarum ſuſpenſa, facilius ad vnam tridentini doctrinam, et diſciplinam reuerterentur. Quae quidem mens imperatoris tantas quorundam calumnias haud meretur, neque ſtatim PONT. PAVLO III. reprobata fuiſſe videtur, quum poſt oblatum ſibi a cardinali SFONDRATO libellum hunc denunciauit CAESARI: *his legibus obligandos non eſſe verae, antiquaeque religionis adſertores, nouae profeſſionis auctores admitti poſſe, vt tanto nimirum veritati, ſalutique propiores ab omni denique errore facilius traduci poſſint*, teſte IAC. MASENIO *in hiſt. Caroli V. et Ferdinandi I. l. 7. n.* 44. et citatis ab eo auctoribus, id quod vnum intendebat CAROLVS. Quando quidam haec

duo in iis duntaxat prouinciis valere iuſſerit, quas a nouitatibus ad catholicam fidem reduci ſtuduit, vt conſpicuum eſt ex Edicti praefat. vers. *quae nunc caeſarea maieſtas etc.* Quare id non immerito defendendum ſuſcepit R. P. Ios. Pichler *in hiſt. auguſta quinque Carolorum Viennae* 1735. *fol. edita p.* 409. *l. V. n.* 808. *ſeqq.* contra Natal. Alexandr. et Raynaldvm, qui poſterior hoc edictum temere *nefarium adpellat.*

§. CCCXLIII.

7.) *Prohibendo libros religioni pernicioſos.*

Nec non minus religioni, bonisque moribus pernicioſos libros proſcribendi, prohibendiue, ne diuerſarum ſectarum fautores in ſcriptis eriſticis mutuis ſe conuitiis, calumniisque proſcindant, ad alienandos magis, quam conciliandos diſſidentium animos valituris.

Iam olim in legem abierat, vt doctrina ab eccleſia damnata, ſcripta quoque ad eam pertinentia legibus ciuilibus ſub poena capitali prohiberentur. Anastasivs P. *epiſt. II. ap.* Covstant. *p.* 728. *Gaudet beatiſſimorum principum reſponſis vnumquemque ab* Origenis *lectione reuocari.* Huius generis ſunt *l.* 3. *§.* 3. *c. de SS. Trinit. et l.* 10. *c. de epiſc. aud.* et *nou. XLII. c.* 1. *§.* 2. vbi Ivstinianvs mori antiquo inſiſtens ita diſponit: *et ſicuti non licet* Nestorii *libros ſcribere, vel poſſidere, ſic nec dicta, et ſcripta* Severi *maneant penes aliquem chriſtianum, ſed ſint profana, et aliena, ab eccleſia catholica, igneque comburantur a poſſidentibus, niſi qui iſta habent, velint periculum pati.* Leges imperii ſaluberrimas in variis comitiis nimirum Norimb. *de an.* 1524. *§.* 28. Spirens. *de an.* 1521. *§.* 9. Avgvst. *de an.* 1530. *§.* 58. et Ratisbon. *de an.* 1541. *§.* 40. conditas Carolvs V. non ſolum in R. I. Avgvst. *de an.* 1548. *tit.* 34.

confirmat, ſed etiam in proſcribendis iis modum procedendi praeſcribit, porro idem repetitum legimus in Rec. Imp. Erfordano *de an.* 1567. §. 61. Spirens. *de an.* 1570. §. 154. Francof. *de an.* 1577. *tit.* 35. §. 1. 2. 3. 4. Nec hac in parte defuere officio ſuo principes noſtri auſtriae teſte edicto Ferdinandi III. *de an.* 1628. Gegen die Buchdrucker und Buchführer der Sectiriſchen verbotenen Bücher, welche in Oeſterreichiſchen Landen betreten werden; ſubiecta poena: daß ſie als Hauptverführer und Vergifter aller Länder, ohne alle Gnade, ſtracks am Leben mit Waſſer geſtraft, ihre verbotene Waaren aber, verbrennet werden. Exſtat *in cod. auſtr. tom. I. voc.* Buchdrucker, Buchdruckerey Quantum Avgvstissima nostra Imperatrix in extirpandis eiusmodi ſcriptis impendat ſolicitudinem, notiſſimum eſt omnibus. Memorabile quoque eſt edictum Caroli VI. contra eiusmodi calumniatores promulgatum, in quo leges imperii hac ſuper re hactenus editas renouat, hancque clauſulam notatu digniſſimam, et ab omnibus altiſſime in animos demittendam ſubiicit: daß dergleichen Zank, und ſchmähſüchtige Schreibarten und Lehren, ſo wenig den Chriſten- und Kaiſerthume als der Gerecht- und Ehrbarkeit gemäß, noch auch zur Ausbreitung der Chriſtlichen Lehren, und allerſeitigen Glaubens- oder gemeinnützigen Rechts- und Staatsſachen den geringſten Nutzen und Ehre, wohl aber ein und anders den empfindlichſten Schaden haben. Daß daraus, und ſtatt der ſo hoch nöthigen Einigkeit und innerlichen gutem Vornehmen, nichts als Zank, Mißtrauen, Entfernung der Gemüther, Irrwege, auch wohl gar Unfrieden und Empörungen zu entſtehen pflegen. vid. *elect. iur. pub. tom. VIII. n.* 3. *p.* 77. *ſeqq.* cui gemina eſt Capitulatio Francisci I. *art.* 2. §. 8. *in fine.* Daß von beyden Theilen, in den künftig neu zu verfertigenden Schriften oder Büchern, alle anzüglich- und ſchmähliche Ausdrückungen gegen beyderley Religionen im Reich, den heilſamen Reichsſatzungen gemäß, vermieden bleiben, und ſich deren enthalten werden.

Digitized by Google

§. CCCXLIV.

Diſciplinaria reſpiciunt vel perſonas, vel iura, vel res eccleſiaſticas.

Atque hactenus quidem, *quantum ad fidei dogmata.* Nunc *de diſciplina* videamus. Illius circa perſonas eccleſiaſticas pars maxima verſatur: in quibus intereſt, qua ſub ratione conſiderentur. Enimuero, qua ſunt perſonae per collationem ſacrorum ordinum ad cultum DEI externum ſpeciali quodam modo deſtinatae, imperio ciuili exemtae, ſolius eccleſiae regimini obnoxii viuunt.

Pulchre id docet HINCMARVS remenſis archiepiſcopus *in opuſc. c. 55. de ſacris autem ordinibus promulgare eſt*, ait, *qui et quot ſint, et quales ac qualiter, et a quibus, vel quando ſint ordinandi, et quomodo, ac quantum in ſingulis gradibus debeant miniſtrare; qualiter etiam ab oſtiario vsque ad ſummum ſacerdotium quique valeant, prouehi. Et quae ſint ex eis a ſedis romanae pontificibus promulgata, omnibus in eccleſiaſticis dogmatibus exercitatis conſtat eſſe notiſſimum*, et agnoſcit IVSTINIANVS IMP. *in nou. LXXXIII cap. I. Si crimen ſit eccleſiaſticum a clerico commiſſum, egens caſtigatione eccleſiaſtica, et mulcta*, ſtatuit, *vt cum Deo amabilis epiſcopus hoc diſcernat, nil communicans clariſſimis prouinciae iudicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino ſcire ciuiles iudices, cum oporteat talia eccleſiaſtice examinari, et emendari animas delinquentium per eccleſiaſticam mulctam ſecundum ſacras, et diuinas regulas, quas etiam noſtrae ſequi non dedignantur leges.* Atque hinc eſt, *quod*, ait de MARCA *lib. II. cap. VII. §. 8. de ritibus, cerimoniis, ſacramentis, cleri cenſura, functione, conditionibus, et diſciplina, canones a conciliis, et decreta a pontificibus romanis tanquam de materia ſibi ſubiecta frequentiſſime edantur, vt vix vlla proferri poſſit conſtitutio principum, quae hac de re la-*

Digitized by Google

ta fuerit ex mero poteſtatis ſecularis imperio. Securitas quidem hac in parte leges publicas videmus, ſed non anteceſſiſſe.

§. CCCXLV.

Perſonae eccleſiaſticae a principe 1.) *moneri poſſunt, vt canones eccleſiaſticos exactiſſime obſeruent.*

Quoniam autem principis eſſe officium diximus, dare operam, vt verus DEI cultus in populo ſibi ſubiecto, quantum fieri maxime poteſt, promoueatur, (ſup. §. 337.) etſi eidem minime tribuamus poteſtatem, determinandi normas diſpenſandorum religionis myſteriorum, ambiguum tamen non eſt, quin admonere officii ſacerdotes, curamque impendere queat, vt ſtabiliti a CHRISTO, APOSTOLIS, ECCLESIA canones in negotiis religionis ab eis quam exactiſſime obſeruentur.

Huius ſui officii memor THEODOSIVS in epiſtola ad CYRILLVM epiſcopum probata a ſynodo epheſina ap. HARDVIN. *tom. I. col.* 1343. ait: *Studium ergo ponimus prae omnibus eccleſiaſticum ſtatum DEO decentem, et noſtris temporibus congruum permanere, et habere ex omnium vnanimitate tranquillitatem. Et per pacem eccleſiaſticarum rerum quietem exiſtere piae religioni irreprehenſibilem, et eos, qui in clero, magnoque ſacerdotio conſtituti ſunt, omni conuerſationis querela priuari.* Quo referenda quoque ſunt ea, quae religioſiſſimus imperator IVSTINIANVS *in nou.* 137. *de epiſcoporum electione, clericorum ordinatione* conſtituit: *ſi enim ciuiles leges*, (rationem dedit ipſe) *quarum poteſtatem nobis DEVS pro ſua in homines benignitate concredidit, firmas ab omnibus cuſtodiri ad obedientiam, ſecuritatem ſtudemus, quanto plus ſtudii adhibere debemus circa ſacrorum canonum, et di-*

uinarum legum cuſtodiam, quae ſuper ſalute noſtrarum animarum definitae ſunt . . . ſane cum hactenus canones obſeruati non recte fuerint, diuerſas ex eo paſſi ſumus interpellationes contra clericos, et monachos, et quosdam epiſcopos, vt qui ſecundum diuinos canones non viuerent.

§. CCCXLVI.

2.) *Ne talia conſtituant, quae forent nocina eccleſiae.*

Quando quidem porro etiam ciuium numero clerici, vtut piorum principum liberalitate non vno donati priuilegio continentur, conſequens eſt, vt ius ſit principi, epiſcopis ſuae poteſtati eatenus ſubiectis imperare, vt pro auctoritate ſibi a CHRISTO tradita ea conſtituant, quae ad tollenda, ſeu etiam praecauenda, queis eccleſia eius tutelae commiſſa premitur, mala pertinere videbuntur.

Saepe principes epiſcopis latis legibus canonum executionem praecipiunt, non raro eam curam magiſtratibus ſuis imponunt, quod vtrumque copioſe atque erudite demonſtrauit PETRVS DE MARCA *de concord. ſacerd. et imp. L. IV. c. I. et II.* Hoc eodem ex principio facile rationem reddideris omnium eorum, quae ſupra de principum in conuocandis ſynodis poteſtate diſſeruimus. Denique hinc petenda ratio eſt, quare ſynodi etiam oecumenicae canonum ſuorum confirmationem ab imperatoribus expeterent. VESTRAM *ergo* MAIESTATEM *iterum atque iterum rogatam cupimus*, inquiunt patres concilii epheſini *apud* HARDVIN. *tom. I. col.* 1444. *vt vniuerſam illius* (Neſtorii) *doctrinam e ſanctiſſimis eccleſiis ſubmoueri, eiusdemque libros vbicunque locorum repertos flammis tradi iubeat, per quos* DEI *gratiam, propter ſuam in nos be-*

Digitized by Google

benignitatem hominis facti, abolere contendit, quod ſi quis veſtras ſanctiones ſpreuerit, ille veſtrae dominationis indignationem formidet, ſic enim apoſtolica fides per veſtram pietatem munita,. perſiſtet illaeſa. Et clarius concilium moguntinum *ap.* HARDVIN. *tom. IV. col.* 1009. his verbis ad CAROLVM M. directis. *De his tamen omnibus valde indigemus veſtro adiutorio; atque ſana doctrina, quae et nos iugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quae paucis ſupter perſtrinximus capitulis, a veſtra auctoritate firmentur, ſi tamen veſtra pietas ita dignum eſſe iudicauerit, et quidquid in eis emendatione dignum reperitur, veſtra magnifica imperialis dignitas iubeat emendare.* Quapropter etiam factum eſt, vt principes aliquando ſuſpenderent ſynodorum iudicata, vt praeclare docuit DE MARCA *l. IV. c. IV.*

§. CCCXLVII.

3.) Ne bona eccleſiaſtica alienent.

Rerum immobilium poſſeſſio diu penes eccleſiam nulla fuit. Subinde autem cuique data eſt poteſtas in fauorem eccleſiae de rebus ſuis diſponendi. Hinc bonorum eccleſiaſticorum immobilium origo. Quorum nomine immunitatem illi non vnam imperatores impertiti ſunt. Quemadmodum autem principes id ſibi datum negotii intelligunt, vt eccleſiam tutam, florentemque conſeruent, ita et in tuendis eius bonis auctoritas eorum, et defenſio verſabitur.

C. 31. XVI. q. 7. add. can. 23. 24. qui obſtant. Et primus quidem imperatorum, qui hac de re legem edidit, creditur LEO IMP. cuius exſtat conſtitutio *in l.* 14. *c. de SS. eccleſ.* decernens: *Nulli epiſcopo, aut oeconomo eſſe alienandi facultatem... nec ſi omnes cum religioſo epiſcopo, et oeconomo cle-*

rici conſentiunt in earum poſſeſſionum alienationem. Rationem ſubiungit dignam ſane, quae animaduertatur: *Ea enim, quae ad beatiſſimae eccleſiae iura pertinent, vel poſthac forte peruenerint, tanquam ipſam ſacroſanctam et religioſam eccleſiam intacta conuenit venerabiliter cuſtodiri: Vt ſicut ipſa religionis, et fidei mater perpetua eſt, ita eius patrimonium iugiter ſeruetur illaeſum.* Quae quidem LEONIS conſtitutio, quum ad ſolam eccleſiam conſtantinopolitanam pertineret. ANASTASIVS IMP. eam ad omnes Conſtantinopolitani patriarchatus eccleſias *in l. 17. cod. eod.* extendit. Denique IVSTINIANVS ad omnes in ſuo ſitas imperio voluit pertinere. *Nou. VII. et CXX. ad cauſ. X. q. 2. can.* 2. Ad quas ſine dubio reſpexit GREGORIVS M. P. cum *lib. VI. epiſt.* 35. ait: *Et ſacrorum canonum, et legalia ſtatuta permittunt, miniſteria eccleſiae pro captiuorum eſſe redemptione vendenda.* Et IDEM rurſus *lib. VII. epiſt.* 14. vid. VAN ESPEN *p. II. tit.* 36. *c.* 3.

§. CCCXLVIII.

Quid circa iura eccleſiaſtica?

De iuribus ad eccleſiam pertinentibus non eſt, quod moneam. Ea enim, ſi ſint omnino ſpiritualia, ſolius ſubſunt eccleſiae iudicio, (ſup. § 107.) at quum ea ſunt laicis communia per ſe iure cum his communi reguntur.

De iure ſacramenta adminiſtrandi, aliaque religionis obeundi miniſteria non principis, ſed epiſcopi iudicium eſto. Niſi fortaſſe ob nimium grauamen ad eum recurratur, vt defenſorem ſuorum. At cauſae ciuiles, iura temporalia ad praeſcriptum iuris ciuilis exiguntur, niſi quid iuris ſingularis tributum eſt. Vnde illud IVONIS dictum *epiſtola* 22. *ad* PHILIP. REG. *Reſpondere non ſupterfugiam in eccleſia, ſi ſint eccleſiaſtica negotia, in curia, ſi curialia.*

§. CCCXLIX.

§. CCCXLIX.

Princeps, praeter aduocatum eccleſiae, etiam defenſorem populi agit.

Atque haec quidem ad protectionem, & aduocatiam eccleſiaſticam principum chriſtianorum pertinent. Iam et quid iuris eis qua regnorum ſuorum cuſtodibus competat, paucis examinare liceat. Et vero illud primum haud ita difficulter intelligitur, omnia, quae expoſita ſunt hactenus iura, iisdem vindicari poſſe etiam, ea ratione, qua ſupremam in republica poteſtatem obtinent, et exercent.

Hoc nos ratio ipſa docet. Quia enim imperans eſt, et chriſtianus eccleſiae defenſor eſt, et aduocatus, quia vero defenſor eſt, haec poſſidet iura; igitur, quia imperans eſt chriſtianus, haec obtinet iura, nihil hoc dici magis perſpicuum poteſt. Sed hoc iuris publici vniuerſalis doctores demonſtrant.

§. CCCL.

Conſequenter cauere debet, ne quid mali immineat reipublicae.

Sed ſunt huius loci iura quaedam. Regula eſt ex natura, atque indole propria ciuilis ſocietatis promanans, atque ideo immutabilis, qua is, qui ſummum tenet imperium, ſalutem ciuitatis tueri obligatur. Hinc, quid cum huius vtilitate coniunctum ſit, quid adferre detrimentum aliquod poſſit, principis iudicium eſt. Laedi ſe atque eos, quos ſuae poteſtati, et tutelae ſubiectos habet, ne pa-

tiatur, ius ei eſt, et diſcrimen ab his vndeunde immineat, auertere non poteſt modo, ſed etiam debet.

Euidentia ſunt haec principia, et in natura imperii ciuilis ita fundata, vt ab ea diuelli nulla humana poteſtate valeant, de quibus videri poſſunt iurispublici vniuerſalis doctores.

§. CCCLI.

Quod quum etiam per leges eccleſiaſticas contingere poſſit.

Si habenda eſt veterum monumentis fides, ambiguum non eſt, quin pontificum conſtitutiones optimo licet animo editae, plus quandoque mali in republica, vitio temporum, quam boni pariant, praecipue quando ſunt de negotiis ad ſalutem, & tranquillitatem vtriusque reipublicae comparatis. Quum igitur principis officium ſit, diligentem adhibere curam, ne quid omnino fiat, quod turbare poſſit rempublicam; (ſup. §. 350.) aequum vtique etiam eſt, eius generis leges ſine eius conſenſu non promulgari.

Atque ea quidem, quae dogmatica ſunt, quum fieri nequeat, vt reipublicae politicae obeſſe poſſint vnquam, nihil eſt, quod metuat eccleſia, quum interno veritatis ſenſu conuictus admittere eadem debeat princeps. Diſciplina autem, quoniam ita comparata eſt, vt ad ſalutem non ſit neceſſaria, noluit vtique Devs vtriusque reipublicae fundator, hanc eo rigore praecipi, vt pereat ciuilis ſocietas, imo contra ſaluti huius leges illae adtemperandae ſunt, quum mutua demum felicitate vtriusque contineatur felicitas. (ſup. §. 111.)

Adpo-

Adpoſito Isidorus Pelus *lib. III. epiſt.* 24. *Quamuis permagna ſit*, inquit, *vtriusque regni differentia (illud enim veluti anima, hoc veluti corpus) ad vnum tamen, et eundem finem tendunt, hoc eſt, ad hominum ſalutem.*

§. CCCLII.

Nulla ſine placeto regio promulganda eſt.

Conſenſus imperantis in legis eccleſiaſticae promulgationem dicitur placetum regium. Quod ad iura imperii ciuilis maieſtatica, haud dubie referendum eſſe neceſſitas illius, et vel unus eccleſiae, populorumque tam diuturnus vſus ſatis edocet.

Neminem turbet *conſenſus* vocabulum, quaſi inde conſequens ſit, vim eccleſiaſticarum legum ab arbitrio politicorum principum pendere. Exceptionem enim voces, Remonſtrationem, aut alio, quo deſignes, congruo nomine per me quidem licet. Ceterum etſi conſenſum adpelles ea mente, qua nobis ſumere placuit, nihil eccleſiae iniurioſum dixeris, Argumenta, quibus neceſſitas Placeti Regii innititur, plena manu ſuppeditant, viri in iure eccleſiaſtico adprime verſati de Marca *de C. S. et I. lib. II. cap.* 10. §. 9. *cap.* 16. §. 4. *lib. IV. c.* 6. Van Espen *in erudititiſſimo tractatu de promulg. leg. eccleſ. part. II.* Covarruvias *pract. qq. cap.* 35. *n.* 4. *clariſſ.* Barthel. *in diſſert. de iure reform. antiq. art. VIII.* §. 24. Celeberrimus quondam pragenſium profeſſor Neumann de Pucholz, *in annot. ad Schwed. ius publ. cap. V.* §. 14. hunc in modum: *Quamuis princeps omnes declarationes pontificias in materia articulorum fidei, item in materia morum, nec non leges poſitiuas eccleſiaſticas circa ritus miniſterii ſpiritualis, et ea, quae ſunt mere ſpiritualia recipere teneatur, tamen conſtitutiones poſitiuas mere eccleſiaſticas circa ea, quae incurrunt ad materiam temporalem,*

licet

licet in illis decentia aliqua ad finem ſpiritualem ſubſit, recipere non teneretur, ſi eiusmodi conſtitutiones in graue detrimentum finis temporalis vergant, et ad obtinendum finem ſpiritualem beatitudinis aeternae non ſunt neceſſariae. Neque vero de veritate huius principii nos ſinunt dubitare pientiſſimorum noſtrorum principum FERDINANDI III. et LEOPOLDI A. A. reſcripta, quae exſtant in COD. AVSTRI. voc. geiſtliche, und päbſtliche Bullen.

§. CCCLIII.

Nec perſonae eccleſiaſticae, quatenus ciues ſunt, imperio ciuili eximendae.

Quumque perſonae eccleſiaſticae alia ratione ciuium in numero habeantur, eoque reſpectu aequo cum ceteris iure imperio ciuili ſubiectae ſint, nihil inſolens eſt: de iis pro arbitrio diſponere ſtatuendo iuſtum earundem numerum, definiendo aetatem, qua quis huic ſe addicere ordini poſſit, aliaque ad patriae ſalutem neceſſaria, quoties id ſeu vtilitas euidens, ſeu neceſſitas publica exigit.

Nihil eſſe dixi inſolens, quid enim? non obligantur clerici patriam ad interitum vergentem defendere? hoc quidem adfirmare temerarium eſt. At quid adeo inſolens eſt dicere, principi ius eſſe exigendi a clericis, vt praeſtent ea patriae cauſa, ad quae etiam nemine iubente, iure naturali tenentur? Aſt cogetne? inquies; enim vero coget, inquam: quid enim prohibet, quo minus princeps cogat clericum ad debitum patriae praeſtandum, quum quisque priuatus eum cogere queat ad debitum ſibi perſoluendum. At clericus eſt: ita ciuem cogit, non clericum. Verum tamen clericus eſt, ita, eiusque honore non ad ſordida munia obeunda mittet, ſed quae cum re-

ue-

uerentia, cum honeſtate, cum diuino miniſterio optime conſiſtant, officia iniunget. Si haec non impediunt, quo minus ſe ſua recte defendant, quid patriae operam negamus? Arma non decent clericos. At decuerunt ad rectum vſum Apostolos *ap.* Lvcam *XXII.* 36. *Quid? gladios habere certe non liceret, ſi vti illis nullo pacto liceret:* Cicero *orat. pro Milon. c. IV.* Clericis ergo non debet eſſe aliena illa *fortitudo, quae vel bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus ſocios,* quam plenam iuſtitiam adpellat Ambrosivs *lib. I. offic. c.* 17. quo pertinet etiam elegantiſſimus Leonis IV. locus ap. Gratianvm *can:* 9. *cauſ. XXIII. quaeſt.* 8. Sed hunc nuper riſit aduerſarius meus: quaſi inquit; Leoni non de eo tantum *bello ſermo ſit, quo impugnatur religio,* belle, vt nihil ſupra. Audiamus Gregorivm *lib. VII. epiſt.* 20. *Quia vero comperimus, multos ſe a murorum vigiliis excuſare, ſit fraternitas veſtra ſollicita, vt nullum nec per noſtrum, vel eccleſiae nomen, aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiatur, ſed omnes generaliter compellantur, quatenus cunctis vigilantibus melius auxiliante domino ciuitatis valeat cuſtodia procurari.* Quod et refertur *in cap.* 2. *de immunit. eccles.* ad quod quid commentatus ſit eruditiſſimus Gonzalezivs noſtram ſententiam confirmans, dignus eſt omnino, vt prae ceteris legatur.

§. CCCLIV.

Nec principi ius dandi excluſiuam denegandum eſt.

Electiones praelatorum hodie ad normam iuris canonici celebrantur. Eis ſe principes non immiſcent, neque de eligenda canonica dignitate iudicium ſibi vindicant. Enimuero ius contra miniſtros, et paſtores ad dignitates, et officia eccleſiaſtica quocunque titulo pro-

promouendos, vbi id grauis exigit cauſa, *excipiendi*, iisque, vt loqui ſolemus, dandi EXCLVSIVAM; cuique principi quaeſitum eſt, quod in iis praecipue regnis locum habere debet, in quibus epiſcopi, aliaeque perſonae eccleſiaſticae ordinum regni dignitate praefulgent, et poteſtatem politicam cum ſacra coniunctam tenent.

Cauſa autem non vna eſſe poteſt, quae cautum reddat imperantem, quid enim ſi eligendus ſit hoſtis patriae, vel oriundus ex tali regno, vel prouincia, in qua alibi locorum nati a ſimilibus dignitatibus et beneficiis eccleſiaſticis excludi ſolent? ſane hoc iure retorſionis rite fieri poſſe nemo facile negabit. Adſenſu imperatorum epiſcopos in ITALIA, ILLYRICO, GRAECIAQVE ſeculo VI. deſinente conſtitui ſolitos euincunt epiſtolae GREGORII I. STEPHANI IV. et LEONIS IV. quarum ſententiae a GRATIANO *can.* 9. 10. 16. *ſeqq. diſt. LXIII.* referuntur. Hoc iure vſus LEOPOLDVS IMP. CARDINALEM FÜRSTENBERGIVM EPISCOPVM ARGENTORAT. ab ARCHI-EPISCOPATV COLONIENSI arcuit. Quam in rem legi omnino meretur propoſitio, a caeſareo legato ILLVSTRIS. COMIT. DE KAVNITZ capitulo coloniens. 14. Iul. 1688. facta ap. IOAN. CHRISTIAN. LVNIG. *ſyllog. publ. negot. p.* 970. Quoad electiones abbatum, et praelatorum in auſtria aperte deciſum eſt, vt electus, aut poſtulatus dem Landsfürſten um conſens namhaft gemacht werden müſte, vt ſunt verba des Paßaueriſchen Vertrags *in* COD. AVSTR. vt ſi ARCHID. AVSTRIAE grauem cauſam (ein erhebliches Bedenken) haberet, electum non admittendi, talis electio ab epiſcopo irritetur, niſi aliud ſuperſit remedium. Ex quo ipſo perſpicuum fit, nihil hic agi contra libertatem electionis canonicae. Neque ipſe hic ſummus eccleſiae pontificatus excipitur, quum id ius principi ex repraeſentatione populi competat, qui

olim

olim in omnibus electionibus etiam pontificis teſtimonii cauſa admiſſus fuit, qui mos hodiedum in pontificali romano commendatur. *Tit. de ordinat. presbyt.* vide dictamen illuſtriſſ. ac reuerend. P. Mag. Fr. Gabr. Adarzo de Santander *epiſcop. viglauienſis ad interrogata reſpondens circa excluſiuam, quandoque a principibus interpoſitam, vt aliquis in ſummum eccleſiae pontificem eligatur. Francof.* 1660. *n.* 4.

§. CCCLV.

Quid circa res eccleſiaſticas?

Res eccleſiaſticae imperio ciuili per ſe non eximuntur: nihil adeo impedit, quominus et his in neceſſitate reipublicae recte vtatur, eorumque nomine tributa cuiuscunque generis ad ſalutem publicam perſoluenda imponat. Id modo cauendum eſt imperantibus, vt ne deſint aut ad congruam clericorum ſuſtentationem aut ad cultus diuini exterioris ſplendorem reditus neceſſarii.

Eſt haec natura, et indoles imperii ciuilis, et dominii, quod inde fluit, alti, et eminentis cum republica nati, eidemque adeo proprii, et arctiſſime connexi, vt ab eo nullo vnquam tempore, aut caſu auelli queat, vt vim ſuam tam circa bona, quam res ſibi ſubditas exerat, quoties religionis, aut regionis ammittendae periculum certum imminet. Mirum ergo non eſt, quod in instr. pacis osnab. *art. V. §.* 2. 24. 15. 25. *intuitu rerum eccleſiaſticarum prima dies ianuarii A.* 1624. tanquam *dies normalis*, et vnica reſtitutionis et retentionis clnoſura, fuerit praeſtituta: periclitabatur enim tota religio catholica cum omnibus bonis eccleſiaſticis, teſte illorum temporum hiſtoria. Relinquenda ergo erant hoſtibus aliqua, ne eriperentur omnia, horumque poſſeſſio pactis fuit

fir-

firmanda amiſſione aliorum, e quibus deiici hoſtes iam non poterant. Aurea ſunt verba S. Ambrosii *lib. II. de offic.* relata a Gratiano *cauſ. XII. quaeſt. II. can.* 70. *Aurum eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget, et ſubueniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt cuſtodire, quod nihil adiuuat? An ignoramus, quantum auri, atque argenti de templo* Domini *Aſſirii ſuſtulerunt? Nonne melius conflat ſacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quam ſi ſacrilegus contaminator aſportet hoſtis? Nonne dicturus eſt* Dominus, *cur paſſus es tot inopes fame emori; et certe habebas aurum, vnde miniſtraſſes alimoniam? Cur tot captiui deducti in commercium ſunt, nec redempti, ab hoſte occiſi ſunt? melius fuerat, vt vaſa viuentium ſeruares, quam metallorum. His non poſſet reſponſum referri. Quid enim diceret? timui, ne templo* Dei *ornatus deeſſet? reſponderet, aurum ſacramenta non quaerunt, neque auro placent, quae auro non emuntur. Ornatus ſacramentorum redemptio captiuorum eſt. Et vere illa ſunt vaſa pretioſa, quod ſanguis eius operatus eſt.* Sed de his alibi, et ſaepius erit dicendi locus.

§. CCCLVI.

Habet imperans ius condendi legem amortizationis.

A qua ratione alienum non eſt quantitatem rerum immobilium ad eccleſias pertinentium, reditusque perſonarum eccleſiaſticarum, quos habere liceat, ita temperare, vt ne detrimenti aliquid capiat respublica, quae *lex amortizationis* dicitur.

Extat eam in rem Leopoldi Imp. conſtitutio *de A. 1669. in corp. iur. eccleſ. Auſt.* edito 1764. *p.* 23. cuius haec notatu digniſſima verba tranſcribere libuit: das uns von unſern getreuen zwoen obern politiſchen Landſtänden. . . . mit ſonderbarer Beſchwerde ge-

gehorſamſt vorgebracht worden: Wasgeſtalten … von vielen Jahren her, je länger, je mehr allerhand liegende Güter, auf unterſchiedliche Weis und Wege, von denen weltlichen an die geiſtlichen gebracht werden, und wo nicht hierinnen Remedir-und Einſehung beſchehen thäte, daraus nothwendig erfolgen müßte, daß nach und nach faſt alle des Adels und der weltlichen Güter, an die Geiſtlichkeit gelangen, unſere übrig getreue. Stände der Länder, von allen Kräften kommen, und uns als ihren natürlichen Erbherrn und Landesfürſten, weder an unſerm kaiſerlichen Hof, noch ſonſten ihrer unterthänigſten Schuldigkeit nach, würden bedienen können. En rationem conſtituendi, ſi-ta autem voluntas in eo eſt, daß bis zur erfolgend weiterer reſolution, einig = liegend= unbewegliche Güter und Grundſtücke, ohne unſerm vorhergehend gnädigſtem Conſens und Bewilligung, an die Geiſtlichkeit weiter nicht verkaufen, verſetzen, verſchenken und vermachen etc. Quod et firmauit Carolvs VI. et latius extendit, vid. ibid. Quibus conſonum eſt reſcriptum a Serenissimo Electore Bavariae anno ſuperiore promulgatum, quod nemo ignorat.

§. CCCLVII.

Ius tollendi iura eccleſiaſtica, ſi exinde oriantur turbae, et diſſidia.

Et quamquam iura mere eccleſiaſtica imperio ciuili non ſint obnoxia; tamen ſi qui ſint eorum iurium abuſus, turbas, et diſſidia excitaturi, prouidebunt principes, vt ſeruen-

tur canones; et ab iniuria ſubditi immunes praeſtentur.

Agnouit LEO I. *epiſt.* 9. *ad* THEODOS. hanc ſolicitudinem ad principes pertinere, ne ſcandala in rebus eccleſiaſticis emergant: *Si quidem praeter imperiales,, et publicas curas piiſſimam ſolicitudinem religionis habetis, ne ſcilicet in populo* DEI *aut ſchiſmata, aut haereſes, aut alia ſcandala conualeſcant.* Et ANASTASIVS PAPA rogat IMPERATOREM ANASTASIVM, vt nomen Accacii non recitaretur in myſteriis inter ceteros epiſcopos *in decretis cap,* 3. *apud* HARDVIN. *tom. II. col.* 947 *Precamur itaque clementiam veſtram, vt ſpecialiter nomen, quod multis ex cauſis ſcandalum vel offendiculum eccleſiae concitauit, ſpeciali adpellatione taceatur.* Seueritatis egregiae et vere imperialis exemplum hac in re praebuit IVSTINIANVS *in nou.* 123. *cap. I. in fin.* Conſ. PETR. DE MARCA *lib. IV. c.* 4.

§. CCCLVIII.

Vel ſi cum ſecularibus cohaereant, ab inuicem ſeparandi.

Enimuero ſi mere eccleſiaſtica non ſint, ſed quodammodo cum ſalute reipublicae ciuilis cohaereant, ea a ſecularibus euitandae colliſionis ſacerdotium inter et imperium cauſa ſeparandi ius eſt, adhibito, ſi ſubſit dubium, mutuo vtriusque partis examine, et conſenſu.

Wir wollen promittit IMPER. IOSEPHVS II. *capit. art. XIV. §.* 4. wann es ſich etwan begebe, daß die cauſae ciuiles, von ihrem ordentlichen Gerichte im heil. Reich ab und außer daſſelbe ad nuntios apoſtolicos, und wohl gar ad curiam romanam, gezogen wurden, ſolches abſchaffen, vernichten

nichten und ernſtlich verbieten; auch unſern kaiſerl. Fiſcalen, ſowohl an unſerm kaiſerl. Hofrath als Kammergericht anbefehlen: wider diejenige, ſowohl Partheyen als Advocaten, Procuratoren, und Notarien, die ſich hinführo dergleichen anmaſſen und darinnen einiger Geſtalt gebrauchen laſſen wurden, mit gehöriger Anklage von Amtswegen verfahren, damit die Uebertreter, dem nächſt gebührend angeſehen, und beſtrafet werden möchten. Conf. §. 5. ibid. De recurſu ad regni tribunalia etiam in cauſis eccleſiaſticis, vide ſis FRANC. SALGADO DE SOMOZA *de ſupplicatione ad Sanctiſſimum a litteris apoſtolicis in perniciem reipublicae, regni, aut regis impetratis nouiſſ. edit. lugdun.* 1664. *fol.* et *idem de regia protectione vi oppreſſorum appellantium a cauſis, et iudicibus eccleſiaſticis edit. lugdun.* 1669. *fol.* HIERON. DE CARVALLOS *de cognitione per viam violentiae colon.* 1687. *fol.* CAROLVS FEVRET. *d' Abus, et du vrai ſujet des appellations qualifiées du nom d' abus* 1736. *fol.*

§. CCCLIX.

Et denique ſubditis a vera religione alienis liberum ſacrorum exercitium permittendi.

Atque illud denique e ſupremo tuendi ciuitatem iure, conſequens quoque eſt, vt diſſentientibus a vera religione ſubditis liberum ſacrorum ſuorum exercitium permittere, illudque non ſolum ſimpliciter *tolerare*, ſed *tolerantiae* quoque *normam*, et *modum* mali alias ineuitabilis auertendi cauſa, pactis, legibusque determinare, ſtabilireue poſſit.

Digitized by Google

Eiusmodi pactis, legibusque fundamentalibus innititur modernum imperii romano-germanici ſyſtema. Funeſta religionis diſſidia expreſſerunt TRANSACTIONEM primum PASSAVIENSEM an. 1552. Dein PACEM RELIGIOSAM an. 1555. compoſita denique poſt tricennale bellum per PACEM WESTPHALICAM. Nec deſunt ſimilia fati aliorum regnorum exempla de quibus alibi uberius expoſuimus.

Digitized by Google

SECTIO III.

DE

ADMINICVLIS

STVDII

IVRIS ECCLESIASTICI.

Digitized by Google

CAPVT I.

DE

VTILITATE EX HISTORIA ATQVE ANTIQVITATIBVS SACRIS IN IVRISPRVDENTIAE ECCLESIASTICAE STVDIO CAPIENDA.

§. CCCLX.

De adminiculis ſtudii canonici.

Poſteaquam de principiis iurisprudemtiae eccleſiaſticae pro ratione inſtitutionum paucis diſſeruimus, reliquum eſt, vt ea quoque breui oratione perſequamur, quibus animum ante imbui neceſſe eſt, quam ad iurisprudentiam eccleſiaſticam perdiſcendam animum adplicamus.

 §. CCCLXI.

Digitized by Google

§. CCCLXI.

Primum eſt hiſtoria eccleſiaſtica.

In his primo nobis loco commemoranda eſt *hiſtoria eccleſiaſtica*. Non dicam nunc, quanti aeſtiment hiſtoriam omnes, in quibus eſt aliquod ingenuarum artium ſtudium, quotque ea nominibus chara nobis, atque iucunda eſſe debeat, vt tamen aliqua ſaltim ex parte perſpicuum euadat, quam iuſtis laudibus exornentur doctiſſimorum virorum producendis rebus antiquis impenſi labores, operae pretium fuerit oſtendere, quanta ex hiſtoriae adcurata cognitione in iuris eccleſiaſtici diſciplinam vtilitas proficiſcatur.

Hiſtoriae quanta ſit apud omnes exiſtimatio, vel ex eo intelligi ſatis poteſt, quod quicunque noſtra, patrumue memoria ſuam de bonarum artium ſtudiis ſententiam expoſuerunt, etſi in aliis vix duos conſentientes reperias, in hiſtoria tamen collaudanda mirifice conſentiant. Non dubitauit iam olim MARCVS TVLLIVS hiſtoriam *vitae magiſtram* adpellare. Et poſt hunc, qui ſcripſerunt, nemo vnus extitit, cui ſententiae huius veritas non manifeſta videretur. Sed ampliſſimus hic campus eſt, in quem excurrere nunc non vacat. Mihi id operae nunc ſumſi, vt oſtenderem, tantam eſſe in excolenda iurisprudentia eccleſiaſtica hiſtoriae quum vtilitatem, tum vero etiam neceſſitatem, vt intutiſſimum ſit ſine hac duce iter illud adgredi, conficere autem, qui id ſe poſſe putat feliciter ſine hiſtoria, nae is ſe minus intelligentem, vt nihil dicam grauius, fatetur. FRANC. BALDVINVS *de hiſt. cum iure commun.*

§. CCCLXII.

§. CCCLXII.

Quae eius vtilitas generatim?

Quoniam iura, atque inſtituta eccleſiaſtica, prout illa in corpore iuris, quo vtimur, conſpicimus, non vno alteroue die orta ſint, ſed tenuia in principio atque ſimplicia, diuerſis interuallis pro ratione negotiorum eccleſiaſticorum maius atque maius incrementum acceperint, dum in hanc, qua nunc ſunt, molem excreuerunt, ecquis eſt tandem, qui origines eorum, atque cauſas, progreſſus, et viciſſitudines adcurate inueſtigabit, niſi qui antiquitatis, et hiſtoriae eccleſiaſticae exactam memoriam tenet.

Verum id quidem eſt, ſolius rationis lumine intelligi, harum rerum omnium aliquam fuiſſe originem, atque cauſam. Tempus tamen, locum, occaſionem, modumue ſolus poteſt ſenſus deprehendere. At, quia quae multis ante nos ſeculis contigerunt, eorum certe initia oculis noſtris non conſpeximus neceſſe eſt, vt ab iis petamus conſilium, qui res ſua aetate geſtas memoriae, ac litteris prodiderunt. Quod et plerique omnes fatentur iurisconſulti, qui ſupra vulgus ſapiunt, et ad ſolidam iuris noſtri cognitionem adſpirarunt. Vt Franc. Florens eruditiſſimus iuris canonici interpres *in orat. de recta iur. can. diſcendi ratione* Boehmervs *in diſſert. de neceſſ. et vtilit. ſtudii hiſt. eccleſ. in iur. eccleſ. prud.* copioſe oſtenderunt.

§. CCCLXIII.

Idem.

Recentiora vero eccleſiae iura, quis neſcit ex veteri eccleſiae traditione atque vſu

perpetuo ad nos perueniſſe. Quod ſi qui ſunt itaque, qui haec adminicula negligunt, ii neſcio, quemadmodum ad veram iuris eccleſiaſtici recentioris intelligentiam perueniant, praeſtantiſſimamque ſcientiam non obſcurent magis, quam illuſtrent.

De hoc neglectu grauiter conqueſtus eſt FRANC. FLORENS iuris, et hiſtoriae eccleſiaſticae peritiſſimus *in diſſert. de orig. art. et auctorit. iur. can. Inueſtiganti autem cauſas*, inquit, *corruptae et obſoleſcentis iuris canonici doctrinae, tres potiſſimum occurrunt.* PRIMA, *quod plerique interpretum inſuper habuerunt illius iuris origines ſcrutari, ius vetus a nouo diſtinguere, vices, et mutationes varias obſeruare, et quod in Ariſtone tantopere laudat* PLINIVS *lib. I. epiſt.* 22. *Omiſerunt, vetera tractare, vt recentia, publica, vt priuata, contenti iure nouiſſimo, quod vſu, et tritura receptum putabant, parum animum aduertentes ad can. fuerint diſt. VII. Etſi legum antiquarum, quae vetuſtate, atque incuria obſoleuerunt, nullus iam vſus ſit, notitia tamen neceſſaria videtur. Quin et eas in vſum reuocari aliquando imo ſaepius intereſſet publice.* SECVNDA *apocrypha plurima, id eſt, ſuſpectae, & incertae fidei pro veris, ac certis nimium patienter collectores recentiores, eorumque interpretes ſibi tulerunt obtrudi, quae a veris ſecernere ſumma fuit antiquis religio can. ſancta romana diſt. XV.* TERTIA *ritus, mores, inſtituta: quae in aliquibus eccleſiis ſpecialiter obtinebant, vel omnino neglexerunt, vel ita acceperunt, quaſi apud omnes eccleſias peraeque cuſtodirentur.*

§. CCCLXIV.

Qualis hiſtoria deſideretur?

Enimuero per hiſtoriam eccleſiaſticam non eam intelligo, quae, qui, quaque aetate doctores vixerint, quas contentiones cum paganis, atque haereticis pro adſerenda fidei chriſtianae ve-

veritate habuerint, enarrat. Neque eas antiquitates requiro, quae de ritu capiendi cibos, ieiuniis, ſalutationibus fidelium exponit, ſed eas demum antiquitates, eam hiſtoriam eccleſiaſtici iuris ſtudioſo vtiles exiſtimo, quae veras canonum origines, eorum cauſas atque progreſſus explicant, quid olim obtinuerit, quid recentior aetas addiderit, oſtendunt, et ad praeſentem vsque eccleſiae ſtatum deducunt.

Non quod non ea quoque vtilia eſſe putem, ſed quod non tam illa, quam haec iuris canonici ſtudio neceſſaria. Hiſtoria commune quoddam bonum eſt, ex quo tantum ſibi quisque, atque illud ſumit, quod vtile ſibi, quod neceſſarium duxerit. Qui iurisprudentiae operam dat, origines praecipue conſtitutionum in ea curioſus ſcrutabitur, tum cauſas inueſtigabit, perſequetur porro per ſecula omnia, progreſſum, acceſſiones, mutationes, harumque ita tempus, cauſam, occaſiones; haec, qui tenet omnia, eum ego magnum iuriſconſultum, et hoc nomine dignum cenſeo. Et vero incredibile dictu eſt, quanto, qui his diſciplinis large inſtructi ad interpretandum ius eccleſiaſticum ſe contulerunt, excellentiores euaſerint iis, qui illotis, vt aiunt, manibus huic ſe dederunt operi. Ianvs a Costa, Franc. Florens, Petrvs de Marca, Ant. Avgvstinvs, Cironivs, Espenivs, alii nunquam ad hanc nominis immortalitatem perueniſſent, niſi regiam hanc atque vnam viam tenuiſſent.

§. CCCLXV.

Quam vtilitatem praeſtet in S. ſcriptura interpretanda?

Poſtquam oſtendimus, qualem eſſe oporteat hiſtoriam, quae aliquam in ſtudio iurisprudentiae

tiae eccleſiaſticae vtilitatem habeat, nunc, in quo ea ſita ſit utilitas, reliquum eſt, vt explicemus. A ſacris litteris capiamus initium. Scriptores, et noui et veteris teſtamenti haud raro ad facta, mores et conſuetudines ſuorum, et quae eos anteceſſerunt, tempora reſpiciunt: quae, niſi nobis ex antiquorum monumentis ante cognita ſint, fieri non poteſt, quin in Scriptura interpretanda quam ſaepiſſime haereamus, et non raro a vera intelligentia aberremus.

Iam vero ad ſacram ſcripturam intelligendam, triplicem eſſe hiſtoriam neceſſariam ſtatuunt eruditiores. Vnam *geſtorum*, alteram *doctrinarum*, tertiam *verborum*; *Conetur ſcilicet*, inquit ANTONIVS GENVENSIS *art. logico-criticae lib. IV. cap. V. interpres ſibi ponere ante oculos in tabulis chronologicis praecipua ſcripturarum geſta: ea comparet inter ſe. Ita ex claris ea, quae paulo ſunt obſcuriora, intelliget. Deinde idem faciat cum doctrinis, earum ſibi conficiat ſeriem, omnes cum omnibus comparet. Hoc modo obſcuras ope clararum interpretabitur. Tandem habeat hiſtoriam verborum, id eſt, ſciat quodlibet verbum, quoties in ſcriptura occurrat, & cum quibus notionibus adhibeatur.* Sed his porro illuſtrandis abſtineo. Nam et ignota ſunt nemini, et doctiſſimorum virorum commentaria fidem luculentam facere cuique poſſunt.

§. CCCLXVI.

In traditionibus.

De traditionibus autem quid dicam? quarum in eo ſita eſt omnis natura, vt continua quadam, ac perpetua memoria antiquorum eccleſiae dogmatum, inſtitutorumque cognitio ad poſteros transmittatur. Quis illud, *quod vni-*

vniuerſa tenet eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, ſine hiſtoriae eccleſiaſticae ſubſidio intelligat?

Quod ſi ius ſcriptum cum tradito conferamus, negari non poteſt, hoc eſſe illo longe antiquius. Sane tribus illis prioribus eccleſiae ſeculis vix alio, quam iure tradito, ſi ſcripturam demas, regebatur fidelis populus. Quoniam igitur primitiuae eccleſiae diſciplina pene omnis iure non ſcripto comprehenderetur, profecto eius notitia, niſi ex hiſtoria eccleſiaſtica aliunde comparari non poteſt, quae vna earum rerum memoriam nobis ſeruauit, quae ad traditiones eius aetatis referri debent. Et vero huius eo magis neceſſaria cognitio eſt, quod plerique poſt demum ſcripti canones ex tradito hoc iure profluxerunt. Frequentiſſimum eſt, vt concilia, vt patres ad traditiones prouocent, obſcuriſſimae ſint omnes patrum ſententiae, neceſſe eſt, niſi quae ſint illae, ad quas prouocant, traditiones intelligamus. Recte igitur ſcriptum eſt a Boehmero *cit. diſſert. origines rerum eccleſiaſticarum recte euoluiſſe vnicum eſſe medium ad ſolidam iurium eccleſiaſticorum prudentiam adſpirandi, quod ſi negligitur, ſuperficiariam, imo ſaepe, et plerumque falſam exinde naſci eruditionem.*

§. CCCLXVII.

In conciliis.

Conciliorum auctoritas, quanta ſit in eccleſia, nemo ignorat; oportet autem notitiam eorum exacte haberi ante, quam quid de vnoquoque ſtatuendum ſit, iudicari poſſit. At vero notitia haec conciliorum ſine hiſtoria, atque antiquitate eccleſiaſtica non modo non eſt exacta, ſed omnino nulla.

Ex

Ex his enim repetendum eſt, quae fuerit congregandi concilii occaſio? quis error turbauerit pacem eccleſiae? quem proſcriptum voluerint patres? quid ante, quid in eo, quid poſt celebratum concilium in eccleſia actum fuerit? Et tamen ſine his vanus ſit, qui ſe concilii habere notitiam iactet. Facile eſſet oſtendere exemplis quamplurimis, quam difficile ſit conciliorum decreta intelligere, quam periculoſa eorundem adplicatio, quam arduum etiam ſaepe de auctoritate eorundem ſtatuere ſine hiſtoriae luce. Breuem conciliorum hiſtoriam dedi in Introd. *ad ius eccles. vniuers. ſect. III. de concil.*

§. CCCLXVIII.

In intelligendis SS. patrum ſcriptis.

Tum vero hiſtoriae, et antiquitatis eccleſiaſticae ſcientia, quantum emolumenti adferat ad rectam SANCTORVM PATRVM intelligentiam, ex iis praeſcriptionibus cognoſci poteſt, queis doctores monumenta eorundem lecturis commendare ſolent.

Aiunt neceſſarium eſſe eius ſeculi, quo vixit is, cui legendo nos damus, hiſtoriam eccleſiaſticam penitus eſſe ediſcendam, vt nouerimus, quae motae ſint controuerſiae, quae haereſes exortae, quas mutationes ſtatus eccleſiae ſubierit. Sciendum praeterea, quo aetatis anno, quo loco, cuius ſub imperio, quo fine ſcripſerit, quibus aliis innutrita ſtudiis mens fuerit, quod geſſerit munus eccleſiaſticum, et alia id genus multa, quae ex hiſtoria partim vniuerſali, partim ex vita eius perdiſcenda ſunt, de quibus ſupra actum eſt vberius.

Digitized by Google

CCCLXIX.

In decretalibus exponendis.

Decretalium Gregorii IX. collectio, qua in academiis vtimur, epiſtolas continet, quibus pontifices ad caſus ſpeciales, dubiasque quaeſtiones conſulti reſponderunt. Illud extra omne dubium poſitum eſt, vnam harum interpretandarum viam eſſe, adcuratam controuerſiae, et circumſtantiarum tenere notitiam. Quae quum ſaepiſſime, neque ex decretali, neque ex integra pontificis epiſtola hauriri poſſit, ex hiſtoria eam repetendam eſſe nemo eſt, qui non perſpiciat.

Quae quum ita ſint, quid mirum, qui hodie iuri canonico dant operam, eos tantopere in hiſtoria eccleſiaſtica penitus excutienda deſudare, Franc. Florens, iuris vtique eccleſiaſtici peritiſſimus copioſe neceſſitatem hiſtoriae eccleſiarum praecipue occidentalium ad intelligentiam decretalium oſtendit in ea oratione, quam *de recta diſcendi iuris ratione* ſcripſit, eamque non ex vulgatis, ſed ex coaetaneis repetendam eſſe monumentis oſtenderunt id luculentius et ipſe, et Ianvs a Costa, ſuis in decretales commentariis, quos vtinam perfeciſſent integros! Atque hoc non in recentiore hoc tantum, ſed et multo magis in antiquo iure cum nouo hoc coniungendo locum habere debet. Quid enim? Quum in primitiua eccleſia diſciplina nullo fere iure ſcripto continetur, vnde eius nobis arceſſenda erunt principia, niſi ab antiqua eius obſeruantia, atque vſu? Ecquid autem aliud eſt antiquus vſus, quam antiquitatis eccleſiaſticae hiſtoria? ex qua hauriendae ſunt occaſiones inſtitutorum eccleſiaſticorum, ſtatus eccleſiae, eiusque viciſſitudines animo repraeſentandae; rationes iuris verae a ſpuriis ſecernendae

Digitized by Google

et alia his ſimilia, quae copioſe atque eleganter tractauit IVST. HENNIG. BOEHMER. *laudata diſſertatione.*

§. CCCLXX.

Auctoritas fide & ſcientia ſcriptoris conſtat.

De vtilitate hiſtoriae diximus, nunc quanta ſit ſcriptoris cuiusque auctoritas, videamus. De qua, vt conſtet, duae inprimis ſunt hiſtoricorum dotes examinandae, *ſcientia*, & *probitas.* Quarum illa duo complectitur, *mentis acumen*, et *capacitatem.* Deinde *viam*, *et rationem*, qua id, quod narrauit, ſcire potuerit.

Iudicium, et perſpicacia, quum in alia omni, tum vero maxime in hiſtoria eccleſiaſtica ſcribenda neceſſaria ſunt, quippe non alias magis a vulgo fabellae vulgantur, atque creduntur, quas niſi diligens hiſtoricus a vero ſecernat, pro ſeueris hiſtoriis fabulas lectori dabit. Qua de re legi poteſt theologus grauiſſimus MELCH. CANVS *in loc. theol. lib. XI. cap. 6. et* FLEVRY *in ſerm. praelim. ad hiſt. eccleſ.* Perpenſa ſcriptoris capacitate atque doctrina, tum ad id animus aduertendus eſt, ſcirene potuerit id, quod narrat; nam ſi ratio ei, et via defuit, qua id ſcire potuerit, adſenſum nullum merebitur. Scire autem potuiſſe ex eo intelligitur, ſi et coaeuus, et domeſticus ſit ſcriptor. Ex quo patet, quale iudicium faciendum ſit de iis hiſtoricis, qui res a ſua aetate remotas litteris mandarunt. Nam horum ſi qui fide aliqua digni, hi certe ſunt, qui ab antiquioribus monumentis genuinis narrationem ſuam hauſerunt. Neque maiorem tamen, quam vnus ille, ex quo deſcripſerunt omnes, qui poſteriori aetate vixerunt.

§. CCCLXXI.

Digitized by Google

§. CCCLXXI.

Improbi ſcriptoris nulla eſt fides.

Quodſi probitas hiſtorico nulla ineſſe deprehenditur, tum vero narrationis eius auctoritas penitus intercidit. Intelligitur autem deeſſe probitatem, ſi vel aliunde ſcriptoris vita nobis cognita ſit, aut mendacii non vnius, et impoſturae ſuis e ſcriptis argui poſſit.

Ita vt rem exemplo illuſtrem, quum conſtet aliunde Machvmedem inſignem fuiſſe impoſtorem, nemo ſani iudicii vera illa miracula putauerit, quae ille in alcorano ſuo narrat. Tum vero partium ſtudia quantam vim corrumpendis ſcriptorum animis habent? Graecia latinis *mendax* ſaepe dicta eſt, et neſcio, an iure, conſtat enim ſcriptores eos, qui alto ſupercilio prae ſe nationes omnes contemnunt, in ſuae gentis laudem effuſiſſimos ſemper fuiſſe. Elegantiſſimus hanc in rem Taciti locus ſub initium annalium. *Temporibus* Avgvsti *dicendis*, inquit, *non defuere decora ingenia, donec gliſcente adulatione deterrerentur.* Tiberii, Caiique, *et* Clavdii, *ac* Neronis *res florentibus ipſis ob metum falſae, poſtquam occiderunt, recentibus odiis compoſitae ſunt.*

§. CCCLXXII.

Canones in legendis hiſtoriis ſeruandi.

Sed ſunt multae quoque in legendis veterum monumentis obſeruandae regulae iis, quibus veros ex hiſtoria colligere fructus animus eſt. Harum alias atque alias excogitarunt plerique. Mihi autem conſtitutum eſt virorum in hiſtoria eccleſiaſtica verſatiſſimorum Ma-

BILLONII, et CANI inſiſtere veſtigiis, non quod hos ſolos ſapere exiſtimem, ſed quod ad inſtitutum meum adcommodatiſſime.

MABILLON *de ſtud. monaſt. p. II. cap. VIII.* MELCH. CANVS *de loc. theol. lib. XI. cap. 6. queis iung.* HONOR. A S. MARIA *animaduerſ. in regg. et vſum critic. diſſert. I. art. III. §. 3.*

§. CCCLXXIII.

Primus a MABILLONIO editus.

Imprimis operae pretium eſt auctoris dotes ſedulo perpendere, num ſcilicet idoneus ſit, an ſincerus, quo fine, et ratione ad ſcribendum ductus fuerit, an aliquorum factioni, aut ſectae adhaereat.

Quemadmodum EVSEBIVS arianis, SOCRATES ac SOZOMENVS nouatianis, THEODORETVS Theodoro Mopſueſteno. Hoc niſi recte animaduertatur, facile fit, vt errore circumueniamur.

§. CCCLXXIV.

SECVNDVS.

Deinde inueſtigandum eſt: *num auctor, quem legimus, ſynchronus ſit, num autographus, an amanuenſis, num prudens in ſuis adſertis, an coniecturis tantum nitatur. Enimuero, ſi cetera ſint paria, pluris facienda eſt coaeui auctoris opinio, quam alterius recentioris.*

Dixi,

Digitized by Google

Dixi, ſi cetera ſint paria: quoniam fieri poteſt, immo quandoque contingit, auctorem haud ſynchronon hiſtoriam exaraſſe, ſeriis monumentis, rationibusque innixum, omnique maturitate, ac prudentia, ſecus vero contemporaneum, vtpote negligentem rerumque inſcium, vel etiam adſentatione aliqua aut proprii commodi foenore adlectum.

§. CCCLXXV.

TERTIVS.

Hinc propterea fit, *nimis fidendum non eſſe iis, quae ſcriptores vel abſolute, vel ferme contemporanei, ſilentio praetereunt.*

Sed hoc argumentum non calumnioſe vrgendum eſt: *contingere ſiquidem poteſt*, vt recte videt *cit. loc.* MABILLON, *vt auctor vel tempore remotior ſelecta quaedam monumenta perlegerit, in ſecretis, cum res euenerunt, habita ſeu etiam ſcriptores ſynchronos vel ferme ſynchronos inuiſerit, quorum opera mox euanuerint.* At vero ſi nec eiusmodi ſcriptores, nec qui vnius, aut duplicis ſeculi interuallo ſucceſſere, geſtum aliquod innuant, et nihilo ſecius hiſtoriographus aliquis recentior, nullo teſtimonio, vel auctoritate innixus, id temere adſeuerare audet, tunc quidem parui pendendus erit, ſecus enim ampla ad errandum alioſque fallendum via ſterneretur.

§. CCCLXXVI.

QVARTVS.

Summopere cavendum eſt, ne a nonnullis ſuppoſititiis noſtrae huius tempeſtatis auctoribus decipiamur; tametſi contemporaneorum auctorum nomina referant.

Huius generis recenſet *cit. loc.* MABILLON chronica FALSI, MAXIMI, LVCII DEXTERI, LVITPRANDI, item hiſtorias MANETONIS, BEROSI et alias ab ANNIO VITERBIENSI, et id genus aliis impoſtoribus confictas. Quomodo autem cauere nobis poſſimus, CRITICA docet, de qua nonnulla infra praecipiemus.

§. CCCLXXVII.

QVINTVS.

Nec vice verſa abſolute proſcribendus erit auctor aliquis ob aliquot hallucinationes, vel paſſionis defectus, ob ſtyli aſperitatem, vel alium quemdam naturalem defectum, dummodo ſincerus, ſolerſque in reliquis comperiatur.

Argumento ſit IOSEPHVS hebraeus, qui egregios inter hiſtoricos adnumeratur, quamuis identidem calamo inter ſcribendum ceſpitarit, et HERODOTVS halicarnaſſaeus CICERONI parens hiſtoriae, et hiſtoricorum princeps, licet in ipſo quamplurima commentitia inueniri teſtetur. *Quid obſtat*, inquit PHOTIVS *bibl. cap.* 97. *quae vtiliora videntur, ſeligere, ceteris poſthabitis.*

§. CCCLXXVIII.

SEXTVS.

Inter relationum varietates cauendum eſt, ne ab vberiori duntaxat auctorum copia alliciamur, ſed potius ab ipſorum merito, et grauitate.

Multoties enim fit, vt grauis, periti, atque ſinceri ſcriptoris auctoritas, centum aliorum minoris fidei teſtimonio ſit praeferenda, qui nimirum abſque matura diſcuſſione, ac diligenti rerum examine,

ſibi

ſibi ſuccedentes ſubſcripſere. *Iſthaec tamen auctorum diſcretio ex matura ponderatione, ingeniique praeſtantia pendet, ſeu etiam ex optimo electorum genio, ac diſpoſitione, qui diuturna fuerint exercitatione, atque experimento probati, vel ex prudentis, verſatique viri conſortio inſtructi.*

§. CCCLXXIX.

SEPTIMVS.

Hac etiam de cauſa non multum inſiſtendum eſt, innumeris propemodum narratiunculis, quas plerique recentiorum congerunt in deſcriptione vitae quorumdam ſanctorum.

Ceterum haec innuens vehementer angor, inquit MABILLON, *dolenterque addere compellor, longe adcuratiores fuiſſe profanos auctores, ethnicorum vitas deſcribendo, ac fuerint quamplures CHRISTI fidelium in deſcriptione vitae ſanctorum, quod etiam adſeuerare nullatenus metuit* MELCHIOR CANVS *de* DIOGENE LAERTIO *philoſophorum vitas recenſente, et de* SVETONIO *ſuper duodecim Caeſarum geſtis. Et ſane mirum eſt, quantum credulitate vulgique ſimplicitate nonnulli abutantur, aliquot ſanctorum acta enarrare praeſumentes, quorum corpora ex cryptis fuere extracta, vt* S. OVIDII, *et* S. FELICISSIMI, *qui enim fieri poteſt, vt horum ſanctorum geſta a prudenti lectore adprobentur, cum vel propria ipſorum nomina vſque modo nos lateant.*

§. CCCLXXX.

OCTAVVS.

Verum cautiſſime in his cenſuris procedendum eſt: et quidem ſatius eſt, ſapienter dubitare, quam nimis credule falſa aliquando ſubſcribere.

ſcribere. Quare ambo haec extrema aeque vitanda ſunt: nihil ſcilicet, niſi difficillime credere, vel ſingulis facillime adſentiri.

Quare prudens lector duo ſibi praecipue aduertenda intelligat, primum, vt auctores ceteris praeſtantiores et commendet aliis, et ipſe ſequatur, tum vero, vt ne inferioris quoque notae ſcriptores omnino contemnendos putet, ſed vtilia in iis ſecernat ab inutilibus, ſuumque ſibi in vſum ſeponat. Verum hoc ipſum quanti ſit iudicii, quantae prudentiae, haud difficulter poteſt perſpici. Quam in rem adcommodatiſſimae ſunt regulae a MELCHIORE CANO *cit. loc.* traditae, quas opere pretium fuerit integras tranſcribere.

§. CCCLXXXI.

PRIMVS MELCHIOR. CAN.

Prima lex, inquit, *ex hominum probitate, integritateque ſumetur. Quae omnino res locum habet, cum, quae narrant hiſtorici, ea vel ipſi ſe vidiſſe teſtantur, vel ab his, qui viderunt, accepiſſe.*

Eamque regulam exemplis illuſtrat. *Qualia ſunt*, ait, *pleraque in epiſtolis* AMBROSII, CYPRIANI, HIERONYMI, AVGVSTINI *in libros quoque huius de ciuitate DEI in dialogis* GREGORII, *breuiter in omnibus fere doctorum eccleſiae probatiſſimorum ſcriptis, in quibus mendacium ſuſpicari, quod ad memoriam ſempiternam transferre illi ſcribendo voluerint, piaculum eſt. Magnis quippe, praeclariſque virtutibus viri ſanctiſſimi, atque optimi id conſequi meruerunt, vt in rebus eiuſmodi, quas vel ſpectaſſe ſe, vel ab aliis fide dignis, qui ſpectarint, ſe audiiſſe teſtati ſunt, fides omnino illis habeatur. Qua in re* ERASMVS ROTTERODAMVS *aliique iuniores quidam ſaepe, ac licenter erra-*

errarunt. Quid enim liberius, licentius, immoderatius dici potuit, quam HIERONYMVM *adſerentem,* MATTHAEI EVANGELIVM *hebraicum deſcribendi ſibi copiam fuiſſe, in eo virum grauiſſimum, ſanctiſſimumque mentiri? Iure itaque piis hominibus nimia haec quorundam iuniorum, liberiorque licentia diſpiicuit, iure etiam in crimen vocata eſt.*

§. CCCLXXXII.

SECVNDVS.

Lex vero ſecunda in hiſtoriae iudicio ſanciatur, vt eos hiſtoricos reliquis anteferamus, qui ingenii ſeueritati quamdam prudentiam adiunxerunt, et ad eligendum, et ad iudicandum.

Haec lex iis in rebus locum habet, quas nec ſcriptores ipſi ſe vidiſſe, nec a ſcriptoribus fide dignis, qui viderint, ſe accepiſſe teſtantur. Elegantiſſime MELHIOR CANVS *cit. loc. Miſeranda ſane hominis ignorantia potius, quam ludenda, qui vſque adeo aut bonus, aut ſtultus erat, vt omni narrationi ſtatim crederet, ſi modo eſſet literis prodita. Verum inuenies alios non pari inſcitia quidem, ſed imprudentia pene pari, qui veritatem non inde petunt, vbi ea reſidere ſit ſolita, ſed ex iis, in quibus raro eſt eam inuenire nempe ex diſſipatis, peruagatiſque rumoribus, quae res plerumque iis accidit, qui ſunt inconſtanti leuique natura. Nam homines graues atque ſeueri non ſolent inanem vulgi ſermonem aucupari. Quamquam negare non poſſumus, viros aliquando grauiſſimos in diuorum praeſertim prodigiis deſcribendis ſparſos rumores et excepiſſe, et ſcriptis etiam ad poſteros retuliſſe. Qua in re, vt mihi quidem videtur aut nimium illi ſibi, aut fidelium certe vulgo indulſerunt: quod vulgo ſentiebant non tantum ea facile miracula credere, ſed impenſe etiam flagitare: Itaque ſigna nonnulla, et prodigia ſancti quoque memoriae prodiderunt, non quod ea libenter credidiſſent, ſed ne deeſſe fidelium votis viderentur.*

 §. CCCLXXXIII.

§. CCCLXXXIII.

TERTIVS.

Tertia regula ſit: *Si cui hiſtorico auctoritatem eccleſia tribuit, hic dubio procul dignus eſt, cui nos etiam auctoritatem adiungamus; contra vero cui eccleſia derogauit fidem, ei quoque nos fidem iure, ac merito derogabimus.*

Quem vtrumque canonem iudicio GELASII P. de EVSEBII, et SOZOMENI hiſtoria eccleſiaſtica illuſtrat, dum ſubiicit: *Ac perſpicua ſunt haec quidem et in vulgari prudentia ſita: Nam in quibus animi quaedam maior vis, acriorque in iudicando prudentia eſt, ii ſine hiſce regulis, exacuendo illam ingenii aciem vera deligent, reiicientque contraria. Mihi ſane aliquando et verum ipſum in ſcribentis ſinceritate, candoreque relucet, et mendacium contra auctoris quidam angor, et calliditas patefaciunt. Sincera, mihi crede, veritas eſt, et ſi animum repurgatum inuenerit, ipſa per ſe recte influit. Falſitas circuitiones quaerit, et anfractus, ſeque verborum ambitu ſolicite circumdat, ac protegit - - - Non itaque prudentibus, et ingenioſis iudicandi praecepta diligenter elaborata dedimus, ſed vt dicitur, craſſa, pinguique minerua rudioribus. Nec vero adeo ſtultus ego ſum, vt exiſtimem, in has formulas omnia hiſtoriae iudicia concluſa, et comprehenſa. Sed ſi quae fuerunt praeſcribendae formulae, hae videntur potiſſimum conſentaneae conuenientesque fuiſſe.*

§. CCCLXXXIV.

Ad geſta Apoſtolorum cognoſcenda S. Codex non ſufficit.

Reliquum eſt, vt ex quibus haurienda nobis ſit hiſtoria, et antiquitas eccleſiaſtica, dicamus. Hiſtoricum trium praeſertim priorum ſeculorum vix vnum habemus, qui tutum ſe no-

nobis ducem praebeat, et ex quo omnia ſcitu neceſſaria cognoſcere poſſimus.

Non haec ſine ratione querela eſt. EVANGELISTAE ſiquidem pauca duntaxat diuini verbi geſta prodiderunt literis. S. autem LVCAS duorum tantum PETRI, et PAVLI APOSTOLORVM res geſtas in actibus contexuit; neque has quidem omnes, quarum tamen memoria ad quamplurima hiſtoriae eccleſiaſticae capita conſtituenda neceſſaria foret. Ecce LVCAS nullibi diſſenſionis eius PETRVM inter et PAVLVM, qua hic ei *in faciem reſtitit*, meminiſſe legitur, quo ſilentio ducti quidam alium quemdam e diſcipulis PETRVM fuiſſe contendebant. Cui ſe tam viriliter oppoſuiſſe commemoratur *in epiſt. ad Galathas cap.* 2. Enimuero: quid mirum eſt, ſi LVCAS hanc rem tacuerit, quid et alia multa, quae Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoricorum licentia ſilentio praeteriit? Primum epiſcoporum antiochenae eccleſiae PETRVM fuiſſe, et inde ROMAM translatum fuiſſe, veterum auctoritate conſtat. At huius rei memoriam LVCAS nobis nunquam ſeruauit, vt adeo ex his ſolis eius aetatis plena cognitio hauriri non poſſit.

§. CCCLXXXV.

De EVSEBIO.

EVSEBII quidem hiſtoria magna nobis cum dignitate excipienda, vtpote ſine qua magna vtique in rerum eccleſiaſticarum ignoratione verſaremur. Neque tamen diſſimulandum eſt, hunc alias non negligentem ſcriptorem, quum in *chronico ſuo*, tum vero etiam *hiſtoria* & iis, quos de vita CONSTANTINI ſcripſit, libris ſaepe in errores lapſum fuiſſe.

Quid memoratu dignum tria priora eccleſiae ſecula tulerunt, ea fere omnia ex EVSEBII hiſtoria diſci

 poſ-

Digitized by Google

poſſunt, dignuſque adeo eſt, quem charum habeamus. Multa tamen chronologiae menda ei exprobrat Ios. SCALIGER *de emend. tempor. in proleg. et lib. VI. p.* 516. Et quamquam in defendendo EVSEBIO operam omnem conſumſerit COVSINVS, fateri tamen debuit denique, erraſſe eum vehementer, quando HERODEM obſcuris natum parentibus: alterum autem IVNIOREM *Viennam* in exilium pulſum adſeruit; quod S. IACOBVM eccleſiae hieroſolymitanae epiſcopum e templi pinna praecipitem actum teſtatur; quod *Novatum* a NOVATIANO non diſtinguat, alia, quae a viris doctis notata ſunt. Vid. BARONIVS *tom. I. in proem.*

§. CCCLXXXVI.

RVFFINO.

RVFFINI duo de hiſtoria eccleſiaſtica libri, in quibus res in eccleſia geſtas vſque ad THEODOSII IMPERATORIS obitum exequitur, ſatis illi quidem, & copioſe, & eleganter ſcripti ſunt, ita tamen comparati, vt multa ei exciderint a vero quam alieniſſima.

Edidit RVFFINVS hiſtoriae eccleſiaſticae libros duos, quos ad translationem librorum EVSEBII adiecit. Deduxit hiſtoriam his libris ad vſque mortem THEODOSII imperatoris. Elegantes ita quidem ait DVPIN *bibl. nou. tom. III. p.* 275. ſed multa continent aduerſus hiſtoriae fidem: e. g. ATHANASIVM integros ſex annos delituiſſe poſt latam in ipſum a concilio Tyri habito ſententiam comminiſcitur. GREGORIO NAZIANZENO, vt et BASILIO paulo iniquior eſt. Falſo HILARIVM excommunicatum adſerit. *Multa praeterea ſunt*, inquit idem DVPIN, *eiusmodi vitia in hac hiſtoria, quae tamen non obſtant, quo minus vtiliſſimam eccleſiae operam nauauiſſe* RVFFINVS *dicendus ſit: quippe qui prius omnium ſui temporis hiſtoriam conſcripſit, et certo ordine digeſſit.*

Digitized by Google

§. CCCLXXXVII.

SOCRATE.

Quamuis ea diligentia, tamque acri iudicio in conſcribenda hiſtoria eccleſiaſtica verſaretur Socrates, ut maiorem deſiderari adcurationem inhumanum videatur: efficere tamen non potuit, quo minus laberetur interdum grauiter, factaque adſereret veritati minime quidem conſentanea.

Quod et de reliquis horum fere auctoritatem ſecutis graeciae ſcriptoribus Sozomeno, Theodoreto, Evagrio, Philostorgio, Theodoro Lectore, Nicephoro, Callisto tenendum eſt; atque huius quidem poſtremi hiſtoriam tot tantisque incertis, ac fabuloſis narrationibus corruptam indicant eruditi, vt pronunciare non dubitaverit Casavbonvs: *Non pluris quam folia farfaris faciendam eſſe.* Vid. Doviat. *in praenot. iur. can. lib. V. C. XI.* Praecipue autem Mabillonivs *cit. loc. cap.* 8. qui prioribus Bibliothecam Byzantinam Photii, et Zonaram adiungit.

§. CCCLXXXVIII.

De ſcriptoribus hiſtoriae eccleſiaſticae latinis antiquis.

Latinorum eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptorum non multo minor eſt numerus. Ex antiquioribus commemorandi nobis ſunt Hegesippvs, Severvs Svlpitivs: Martivs Avrelivs: Cassiodorvs: Haymo: Pavlvs Orosivs: Vincentivs Bellovacensis: Antoninvs Florentinvs: quorum praeclara in rem eccleſiaſticam merita dignis alii laudibus exornarunt.

No.

Notitiam horum literariam ſatis illam quidem ſuccinctam habes apud DOVIAT. *cit. loc.* Nemo ſane ſeu veterum, ſeu recentiorum hiſtoriam ornatius contraxit SVLPITIO SEVERO, ſed fatendum eſt eum magis, quam quidem expedit, res in anguſtum contraxiſſe. Accedit, quod nec chronologia eius ſatis exacta ſit, quodque infinita veterum deliria coeca credulitate confirmauerit; ſcriptores eccleſiaſticos medii aevi, quod vocant a CAROLO M. ad tempora reformationis, recenſet MABILLONIVS *loco proxime citato*: GREGORIVM TVRONENSEM, BEDAM, ANNALES S. BERTINI, DIACONVM PAPIENSEM, EVLOGIVM CORDVBENSEM, FLODOARDVM, LVITPRANDVM, DITHMARVM, LAMBERTVM SCHAFNABVRGENSEM, HVGONEM ABBATEM FLORIACENSEM, SIGEBERTVM GEMBLACENSEM, ORDERICVM VITALEM, WILHELMVM MALMESBVRIENSEM, MATTHAEVM PARISIENSEM.

§. CCCLXXXIX.

Recentioribus.

Iam vero ad eos veniamus ſcriptores, qui noſtra, patrumue memoria hanc ſpartam exornarunt. Hos inter, ſi principem locum BARONIO vindicemus, neminem puto nobis diſſentientem habituros. Naeuos tamen ſuos ei operi non deeſſe poſt eruditiſſimam PAGII in illud criticam dubitare nemo poteſt.

SCHELSTRATVS *in antiquit. illuſtrat. circa concil. general.* ſapienter animaduertit, poſt celeberrimi huius cardinalis interitum multa vetuſtatis monumenta in lucem producta fuiſſe, quae, quia ignota ei fuerunt, euenit, vt in multis lapſus ſit, facile detegendis, ſi his ei per aetatem vti licuiſſet. BZOVIVS, et SPONDANVS ad proſequendos BARONII annalium libros ſeſe contulerunt. Sed et is ordinis ſui potius, quam eccleſiae geſta collegit, et

hic

hic in contrahendo Tovrnellio feliciorem, quam in proſequendo Baronio operam collocauit: At *critica hiſtorico-chronologica* Pagii quantam baroniano operi lucem adtulerit, dici non poteſt. Celebrioris famae ſcriptores ſunt: Ant. Godavivs epiſcopus graſſenſis, qui hiſtor. eccleſ. gallico idiomate ſcripſit: Nat. Alexander ord. S. Dominici *hiſt. eccleſ. vet. et nou. teſtam.* Le nain de Tillemont *mémoires pour ſeruir à l'hiſtoire eccleſiaſtique.* Clavdii Flevry *hiſtoire eccleſiaſtique.* De antiquioribus hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptoribus, qui plura ſcire cupit, conferre poteſt Lvd. Ellies. Dv Pin. *nouvelle bibliotheque des auteurs ecclésiaſtiques.* Recentiorum autem ſyſtemata, et compendia retulit. Io. Ernest. Floerkivs *in praenot. iuriſpr. eccles.* §. 26. cui adde obſeruatoris ad eum monita.

§. CCCXC.

Notitia antiquitatum non confundenda cum hiſtoria.

Notitia antiquitatum eccleſiaſticarum, tametſi ſub hiſtoria eccleſiaſtica in ſenſu latiore ſumta comprehendatur, diſtincta tamen eſt, et peculiarem ſcientiam conficit, quam diuerſis ſcriptis multi egregie excoluerunt.

Equidem multae ſunt antiquitatum eccleſiaſticarum ſpecies, quarum omnium deſcriptiones, illuſtrationes a viris eruditis habemus. Sed haec non omnia aeque ad iurisprudentiam comparata ſunt. De quibus nonnulla paulo poſt et ipſi monebimus.

Digitized by Google

CAPVT II.

DE STVDIO CHRONOLOGIAE ECCLESIASTICAE.

§. CCCXCI.

Alterum ſubſidium eſt chronologia.

Qui *chronologiam*, ac *geographiam* hiſtoriae *oculos* nominant, eos ego aequiſſimo ioue iudicare exiſtimo. Nam ſi *quidquid locis, temporibus, perſoniſque conueniat, diligenter adtendendum eſt, ne temere flagitia reprehendamus*, vt S. AVGVSTINVS auctor eſt, ad hunc ſane vſum plurimum adferre vtilitatis poteſt duplex haec diſciplina.

S. AVGVSTINVS *Lib. III. de doct. Chriſt. n.* 19. *tom III. cap.* 12. *col.* 51. Qui, quum vetuſtis monumentis euoluendis ſe dat, neque haec duo lumina ſibi adiungenda putat, is mihi perinde facere videtur, ac ſi vtroque orbatus lumine per abrupta viarum ſine duce iter inſtituat. *Sunt germanae ſorores, et quaſi duo ocelli hiſtoriae*, inquit eruditiſſimus VOSSIVS *in iſagog. chron. ſacr. quorum altero, ſi orbetur, luſca fiat, vtroque extincto, coeca ſit prorſus.*

§. CCCXCII.

Quid ea ſit?

De chronologia primum videamus. Ea PETAVIO eſt *ars, certis notis, ac indiciis, praeteri-*

ritarum rerum memoriam ſuis temporibus adſignans.

De doctr. tempor. tom. I. prolegom. Quam arcte notitia haec temporum cum hiſtoria coniuncta ſit, idem Petavius eo loco docet, quem, quia notionem chronologiae mirifice illuſtrat, adſcribere operae pretium eſt: *Nam*, inquit, *ab illa* (hiſtoria) *conditione ac materia non differt, quamuis adpellatio ſit diſpar amborum. Vtraque enim rerum geſtarum, ac praeteritarum in memoria conſiſtit; tempusque non aliter, quam vt elapſum eſt, reſpicit. Hoc tamen inter illas intereſt, quod hiſtoria rerum ſiluam, ac materiam praebet alteri. Haec illi viciſſim ordinem, et collocationem, quae eſt veluti forma, ſuppeditat, huius orbata praeſidiis, manca eſt, inermis, ac coeca eſt hiſtoria. Itaque tritum illud, quia veriſſimum erat, in prouerbium abiit: hiſtoriae oculum eſſe chronologiam;* temporis enim adnotatio lux veritatis eſt, et anima quaſi hiſtoriae, et diuturnitatem eius, memoriamque rerum geſtarum ſola conſeruat, et tuetur. Contra vero apud quos ratio temporis non cohaeret, apud illos neque veritatis, neque fidei hiſtoricae ratio vlla conſtare poteſt.

§. CCCXCIII.

Quae eius vtilitas?

Ac huius quidem quanta ſit in ipſis ſaepe rerum momentis iudicandis vtilitas, ex eo perſpicue intelligi poteſt, quod viros ceteroquin doctiſſimos ex vna huius diſciplinae ignoratione in grauiſſimos errores lapſos fuiſſe deprehendamus, quibus ſe recentior aetas ab his inſtructior mediis, magna cum hiſtoriae eccleſiaſticae vtilitate feliciter expediuit.

Ma-

Digitized by Google

Mala, quae ex neglectu huius diſciplinae oriuntur, grauiter deſcribit S. CHRYSOSTOMVS *hom. in illa Oſeae verba*: VIDI DOMINVM. *In totius orbis hiſtoria*, inquit, *vel magni, ac diuturni imperii, totiusque eccleſiae rebus, ſi ordo geſtorum foede conturbetur, ne illa quidem, quae videre nobis videmur, magis cernimus, quam eximiam, et ab omni orbe laudatam corporis humani fabricam conſpiceremus ſolum oculorum aciem defigentes in monſtroſam hominis picturam, vbi venter pectoris, pectus capitis, brachia pedum occuparent locum. Econtrario vbi ſe extulerit aureum temporum iubar, pulſis tenebris plusquam cimmeriis clara omnium luce veſtiuntur, inque formoſo corpore omne membrorum decus adparet: atque hoc eſt ſerenum, ac ſplendidum illud lumen, quod in hiſtoria exigimus.* Certe apud quos temporum notatio non cohaeret, apud eos nec veritatis, nec hiſtoricae fidei rationem vllam poſſe conſtare, vel illa fortaſſe ſola de paſchatis die concertatio docere poteſt, quam doctiſſimus ille PETAVIVS *L. II. et VI. laudati operis* diſcuſſit.

§. CCCXCIV.

Quae partes?

Artis autem chronologicae duae ſunt partes, *hiſtoria*, et *aſtronomia*. Haec quamuis non ſit negligenda, illa tamen præcipue huc pertinet. Cuius explicatio duplici ratione inſtitui ſolet: vel ita, vt prouti res geſtae plures eundem in annum incurrunt, ita vno etiam contextu indicentur, vel per tabellas quaſi quibusdam ſegmentis diſtinctas, quae variarum gentium geſta per certa annorum ſpatia deducta contineant.

Vtraque methodo vſus eſt EVSEBIVS CAESARIENSIS tum in *chronographia*, tum *canone chronico*. qui a S. HIERONYMO in latinum translatus, et continuatus

tus eſt. Priori illa e recentioribus plerique Gilbertvs, Genebrardvs, atque ipſe Petavivs *in priore rationarii ſui parte.* E Proteſtantibus autem Calvisivs, Vsserivs. Poſteriorem autem omnium feliciſſime expreſſit Christophorvs Helvicivs *in theatro hiſtorico et chronologico.* Paullo aliter Scaliger in animad. ad Evseb. p. 4. quando ait, chronologiae partes: *chronographica*, et *canonica.* Prior pars chronologiae, quam *chronographiam* adpellant, *interualla temporum, et epochas examinat, priſca tabularia diſcutit, fontes antiquitatis recludit, priorum ſcriptorum aut errores tollit, aut ſequius dicta emendat, aut obſcura illuſtrat. Metas, et terminos interuallis ponit, incerta a certis diſtinguit, vbi ab hiſtoria nullum eſt auxilium, ab aſtronomia petit, totius ſummae, ac diſputationis definita capita, et annos collectos a certo, ac indubitato initio ad certum finem perducit.* Altera vero pars *canonica*: quae in priore parte per demonſtrationes, et argumentorum neceſſitates, et hiſtoriarum teſtimonia in genere collecta ſunt, *ſingillatim, et per annos expanſos, ac ſeries digerit, archontes cum conſulibus adnotat, reges cum caeſaribus, externa cum vernaculis confert.*

§. CCCXCV.

Temporis computatio difficilis, et quare?

At enim, quia temporum non eadem omnium fuit computatio, diuerſaque, et annorum ratio, et temporum ſignandorum nota, difficile admodum eſt certam rerum eccleſiaſticarum cum ciuilibus inſtituere comparationem, praeſertim quum ſcriptores ipſi in rebus ſuorum populorum referendis inter ſe mirifice diſſentiant.

Diuerſa fuit apud gentes varias annorum ratio. Multis curſus lunae finiebat annum. Pleriſque ſolis curſus. Alii hoc, alii alio tempore annum incho-

abant. Apud iudaeos triplex fuit anni auſpicandi modus, neque chriſtianis omnibus conueniebat. His inter ſe rebus conciliandis maxime ſeruiunt fixa temporum momenta, quae *epochas* vocamus, quae rerum praeteritarum memoriam factorum celebritate quodammodo ſuſtinent, facilemque reddunt intelligentiam rerum vbiuis locorum intra illud temporis interuallum geſtarum. *Aeras* etiam vocant, notatione vocis ſatis ingenioſa.

§. CCCXCVI.

Epochae veteris teſtamenti.

Hiſtoriam veteris teſtamenti *ſeptem* praecipuis *epochis*, inde ab orbe condito ad CHRISTVM deductis, diſtinguere ſolent. PRIMA eſt *diluuii*: ALTERA *vocationis* ABRAHAE: TERTIA *exitus Iſraelitarum* ex Aegypto. QVARTA *templi primi* a SALOMONE inchoati. QVINTA eiusdem *templi* a NABVCHODONOSORE *deſtructi*, et *captiuitatis babylonicae*. SEXTA *templi ſecundi* a ZOROBABELE *abſoluti*. SEPTIMA regni Seleucidarum poſt ALEXANDRVM M. in Syria.

Miraberis, cur, quum harum rerum omnium memoria ex ſacris libris peti poſſit, tantum tamen ſit in horum temporum interuallis computandis chronographorum diſcrimen? ſed res, etſi facilis adpareat, multis tamen inuoluta eſt difficultatibus. Nos anno vtimur iuliano, qui a prima die Ianuarii decurrens cum Decembri finem nanciſcitur. At alia longe apud hebraeos, et graecos annorum fuit ratio, adeo, vt nec initia annorum, nec menſes cum noſtris congruant, quo fit, vt difficilis ſit conciliatio. Accedit, quod nec ipſae bibliorum editiones numerum referant, multumque adeo differat ſeptuaginta interpretum verſio, qua graeci, et veteres la-

latini vtebantur ab hebraico textu, et a latina vulgata editione in determinandis patriarcharum natalibus, a quibus tamen omnis ea tempora metiendi petenda eſt ratio. Omnium et veterum, et recentiorum computandi eas epochas modum vna tabella expreſſit DOVIAT. *in praenot. iur. can. cit. l. p.* 502.

§. CCCXCVII.

Aera chriſtiana.

Anni apud chriſtianos hodie ad normam epochae CHRISTI numerantur. Primus eam DIONYSIVS EXIGVVS inſtituit. Deducitur autem ab anno AVGVSTI *quadrageſimo ſecundo* deſinente, PVB. CORNELIO LENTVLO et LVC. CALPVRIO PISONE conſulibus.

Atque haec aera chriſtiana non tantum ad eas res deſignandas vſui eſt, quae poſt CHRISTVM natum geſtae, ſed et eas, quae eundem anteceſſerunt, quemadmodum id a pluribus praeſtitum eſt, qui geſta veteris teſtamenti per annos ante CHRISTVM natum deſignarunt. Ceterum ſunt et aliae celebres epochae, quas rerum eccleſiaſticarum amantes negligere non oportet. Ex hoc genere ſunt: *Olympiadum*: *Vrbis conditae*: *Auguſti*: *Antiochena*: *Hiſpanica*: *Diocletiani*: *Indictionum*: *Hegirae* apud arabes: *Izdegerdis* apud perſas: et iudaeorum *Aſtronomica*: De quibus ſingulis hoc loco exponere longum foret. Quaedam in praelectionibus.

§. CCCXCVIII.

Scriptores chronologici.

Atque haec ſtrictim de materia difficili, atque intricata dicta ſunto: Qui plura ſcire

volet, conſulat IOS. SCALIGERI *iſagog. chronologiae canonum libros*, ſiue *opus de emendatione temporum* GER. IO. VOSSII *iſagogen chronolog. ſacr.* et DIONYSII PETAVII *de doctrina temporum* ſemper quidem, numquam tamen ſatis laudandum opus.

Veterum chronologorum, vt EPHORI, ERASTOTHENIS, THALI, CASTORIS, APOLLODORI, THRASILLI, PHLEGONTIS, AFFRICANI, aliorum opera temporum iniuria perierunt; Fragmenta tantum, atque ea non multa apud DIONYS. HALICARNASSAEVM, CLEMENTEM ALEXANDRINVM, et inprimis apud EVSEBIVM reliqua ſunt, quae laudando ſtudio IOS. SCALIGER *in theatro temporum euſebiano* collegit. Poſt hos vtilem in hoc ſtudio operam nauarunt EVSEBIVS, HIERONYMVS, VICTOR, THVANVS, IOAN. BELLARIENSIS, IDACIVS LEMICENSIS, MARCELLINVS COMES, BEDA, HERMANNVS CONTRACTVS alii. Sed hilarioris famae ſine dubio ſunt, qui noſtra, et patrum memoria in eo elaborarunt, quorum hinc inde a nobis facta eſt mentio.

CAPVT III.

DE

VSV GEOGRAPHIAE SACRAE.

§. CCCXCIX.

De geographia ſacra.

Alterum ad hiſtoricorum intelligentiam neceſſarium ſtudium eſt *geographiae*. De

qua

qua commendanda non eſt, quod multum nos oporteat eſſe ſolicitos, quandoquidem eius quanta ſit non vtilitas modo, ſed et ad oble-ctandos animos vis, qui neſciat, opinor eſſe neminem.

Veriſſimum eſt monitum Carol. a S. Amore *in geogr. ſacra. Quis ſine geographia in hiſtoria eccleſiaſtica ſubinde non ceſpitabit? quis intelliget, cur hi, aut illi epiſcopi in certa concilia conuenerint, certis primatibus, ac metropolitis in eccleſiaſtico ordine ſubiecti eſſent, ſi neſciat, quibus in prouinciis ſedes eorum epiſcopales ſitae fuerint? quis adſequetur lites olim de finibus dioeceſium, et iurisdictione eccleſiaſtica frequenter inter patriarchas, et praeſules ortas? deſtitutus hac cynoſura miſcebit fines prouinciarum, et dioeceſium, epiſcopesque cognomines, qui in hiſtoricis veteris eccleſiae monumentis permulti occurrunt, paſſim confundet. Vrbes praeſertim minus celebres, quibusdam in locis ſitae fuerint, cum ignoret, non intelliget, cur hic aut ille epiſcopus ſubſcripſerit nomen ſuum huius vel illius ſynodi canonibus. Quod ſi forte adgrediatur epiſcoporum conditionem iudicare, quorum ſedes in ſubſcriptionibus omiſſae ſunt, innumeris erroribus ſeſe implicabit, niſi ariadneum ſacrae geographiae filum habeat, quo ſeſe eo labyrintho explicet.*

§. CD.

Quotuplex?

Geographia pro duplici fine, quem ſcriptores veteres, atque noui adcuratiores obſeruarunt, et ipſa duplex traditur, *mathematica* nimirum atque *hiſtorica*, atque illa quidem eſt *ſcientia globi terreſtris ex magnitudine, ſitu, circulis, partibusque aliis menſurandi pariter atque cognoſcendi.*

Ex hac geographiae mathematicae definitione iam partes eius nullo negotio intelligi poſſunt. Nimirum *hydrographia*, ſeu aquarum, et oceani ſcientia: *topographia*, ſeu regionum, et locorum ex menſuris, et circulis mathematicis deducta ſcientia. *Chorographia*, et *atmoſpheria*, id eſt, ſcientia aeris, et ventorum omnium. Quicunque igitur ſtudium geographicum amplexurus eſt, arithmeticam, et geometriam veluti in numerato habeat, neceſſe eſt. Ab his facto initio ad ſphaeram accedat, cuius plena hauſta notitia tum vero demum iis ſe erudiendum committat, qui geographica tractant.

§. CDI.

Quid hiſtorica?

Geographia vero *hiſtorica* nihil aliud eſt, quam *ſcientia locorum ſingularium, quotquot memoratu digna, et in terris ſunt cognita ad varium vitae humanae vſum.*

Geographia hiſtorica adeo longe, lateque patet, vt ambitu ſuo omnes terrae partes complectatur, ſiue ad continentem, ſiue ad inſulas, et peninſulas pertineant. Scripta, quae ad hanc geographiae partem pertinent, ad duas claſſes reducuntur, quarum vna *veterem*, altera *nouam* explicat: Veterem illam in *ſacram*, et *ciuilem* commode diſtinguimus. Sacram illuſtrarunt EVSEBIVS, et HIERONYMVS, quorum opera geographica cum ſuis, et aliorum notis edidit CLERICVS *Amſtel. an.* 1707. Palmam ceteris praeripuit HADRIANI RELANDI PALAESTINA: cui ſi SAMVELIS BOCHARTI *geographiam ſacram* addideris, ceteris facile carebis. Illam aliam geographiae ſacrae partem, quae ad hiſtoriam eccleſiaſticam refertur, magna commendatione tractauit CAROLVS A S. AMORE in ſua *geographia ſacra*, quam cum notis HOLSTENII edidit FRANC. HALMA *Amſtel.* 1704. EMMANVEL SCHELSTRATE libro poſthumo, *antiquitas eccleſiae diſſertationibus*,

monu-

monumentis, ac notis illuſtrata. Cuius libri tomus alter opus *geographico-hierarchicum* continet fol. ROMAE 1697. *Notitiam orbis antiqui* ex vetuſtis probatisque auctoribus collegit CHRISTOPH. CELLARIVS. Opus nunquam ſatis laudatum ſaepius recuſum. Ciuilem autem geographiam veterem et recentiorem tradiderunt auctores prope innumeri, quos non recenſeo. Neque enim notitiam litterariam geographiae dare conſtitui; ſed de vtilitate eius, et vſu pauciſſima monere.

§. CDII.

Vtilitas eius in ſacris litteris interpretandis.

Et ad teſtamenti quidem vtriusque ſolidam interpretationem, quantum vtilitatis adferat Palaeſtinae adcurata deſcriptio, dubitare nemo poteſt, qui in legendis vtriusque libris vel mediocriter verſatus eſt.

Loca Palaeſtinae, vicinarumque regionum, quarum ſacrae literae meminerunt, magna eruditione illuſtrauit HADRIANVS ADRICOMIVS, natione Belga, *in ſuo theatro terrae ſanctae.* Adcuratiſſimae cenſentur geographiae ſacrae tabulae tres a NICOLAO SANSONE confectae. Quibus adiungi poſſunt *Phaleg. et Chanaan* SAMVELIS BOCHARTI.

§. CDIII.

Notitia imperii neceſſaria.

Dudum id obſeruatum eſt eruditioribus, caeſarum hiſtoriam ab antiquitatis eccleſiaſticae memoria non eſſe ſeparandam. Quapropter ad res primitiuae eccleſiae adprime cognoſcendas, non mediocre adferre commodum

poteſt imperii romani *notitia*, quale illud ſub primis imperatoribus fuit.

Notitia imperii romani veteris ex ſcriptoribus eorum temporum STRABONIS de ſitu orbis, PLINII hiſtoria naturali. PTOLOMAEI geographia, POMPONII MELA de ſitu orbis haurienda eſt. Quamquam recentiores etiam negligendi non ſunt, ſi qui de antiquo romano imperio ſcripſerunt, quos inter inſignem tulit laudem CAROLVS SIGONIVS. Magnumque adeo emolumentum praeſtare poſſunt *topographia in martyrologium romanum* PHILIPPI FERRARII, et ARNOLDI MERMANNI *theatrum conuerſionis gentium.*

§. CDIV.

Vt et notitia vetus vtriusque imperii.

Eccleſia etiam CONSTANTINI M. adhuc aeuo fere intra fines imperii romani continebatur. Quare ad noſcenda loca, et prouincias, in quibus res eccleſiaſticae hoc caeſare imperante, eiusque ſucceſſoribus vsque ad ſeculum ſextum geſtae ſunt, adiumento haud exiguo erit *notitia vetus* vtriusque imperii.

Quam perpetuis atque eruditiſſimis commentariis illuſtrauit GVIDO PANZIROLLVS vir doctiſſimus. Hanc eandem in rem inſignem etiam vtilitatem habent ſubſcriptiones nicaenae, aliisque ſynodis ſubiectae, ſed pleniſſimam illorum temporum, et quae haec conſecuta ſunt proxime, quantum ad *prouincias et metropoles*, eccleſiaſticas cognitionem haurire harum rerum ſtudioſus poteſt ex CAROLI a S. AMORE *geographia ſacra* 1641. *Pariſiis edita.* Ad cuius operis calcem etiam notitiam quinque patriarchatuum, et ſedium vnicuique ſubditorum duplicem ſubiecit, quorum alteram ex biblio-

theca

Digitized by Google

theca regia, alteram ex thuana ſe eruiſſe adfirmat.

§. CDV.

Diſpoſitio metropoleon LEONIS SOPHI, et PALEOLOGI.

Sed metropoleon patriarchatui conſtantinopolitano ſubiectarum diſpoſitio immane quantum immutata eſt a LEONE SOPHO, et ANDRONICO PALEOLOGO imperatoribus orientis.

Vtriusque diſpoſitionem vir rerum orientalium facile doctiſſimus IOANNES LEVNCLAVIVS in ſuo iure *graeco-romano* protulit, quarum poſteriorem CVRAPOLATES in libro *de officiis* eccleſiae conſtantinopolitanae illuſtrauit. Quod ad hodiernum eccleſiarum epiſcopatuum, et abbatiarum ſtatum conſulendi ſunt MIRAEVS *in politica eccleſiaſtica*, *et notitia epiſcopatuum et index ordinum regularium*, quem *praenotionibus iur. can.* adnexuit DOVIAT, *p.m.* 597. Ad Germaniam in ſpecie pertinet *L'hiſtoire eccléſiaſtique d'allemagne, contenant l'érection, les progrès et l'état ancien et moderne de ſes archevêques, et evêques tom. II. à Bruſelles* 1724. 8.

Digitized by Google

CAPVT IV.

DE NECESSITATE, ATQVE VSV CRITICAE.

§. CDVI.

Quid ars critica?

Inter alias ad hiſtoriae intelligentiam ſpectantes praeſcriptiones principem facile locum obtinent illae, quae ad facta, ſcriptaque ſincera a commentitiis ſecernenda, veramque eruendam ſententiam faciunt. Quae quia *ex arte critica* petendae ſunt, de hac, ut praecipiamus, neceſſe eſt: Quod antequam facio, indicandi ſunt varii modi, quibus menda in libros irrepere poſſint.

Criticam definit MABILLONIVS *tract. de ſtud. monaſt. cap. XIII.* quod ſit *ſcientia coniecturalis, docens modum recte iudicandi de quibusdam operibus praeſertim auctorum, eorumque ſcriptis.* Alii aliter. vid. IOAN. CLERICVS *in arte critica in praenot.* HONORATVS A S. MARIA *in animaduerſ. in regg. et vſum critic. diſſert. I.* Haec ars, quamvis antiquiſſima, nunquam tamen ſplendidius, quam hac noſtra aetate effloruit. Quantam vtilitatem in ſtudio rerum eccleſiaſticarum adferat, ſi ea ſobrie vtamur, vix dici poteſt. Quod argumentum, quia copioſe ab aliis tractatum eſt, nobis licet eſſe breuiores.

§. CDVII.

§. CDVII.

Cautio in veteribus legendis.

Qui in litterarum ſtudio auctoritate vtuntur veterum, in id potiſſimum curam intendere debent, vt ne a mendis, quae pluribus de cauſis in monumenta antiquitatis irrepſerunt, ſibi illudi patiantur, easque veteribus opiniones tribuant, quas illi nunquam probarunt.

Enimuero infinita prope menda veteres libros potuiſſe inficere, non eſt, quod dubites, quod enim menda, et quotuplicis generis admitti poſſint in deſcribendo, ii tantum ignorare poſſunt, qui nunquam ſcripſerunt aliquid. Atqui conſtat ante medium ſeculum decimum quintum aerae chriſtianae artem typographicam europaeis fuiſſe incognitam, vt adeo codices omnes manu exſcribi oportuerit.

§. CDVIII.

Cauſae mendorum a tempore.

Cauſas autem mendorum omnino quatuor numerat Ioann. Clericvs in arte critica: *tempus*, *impoſtores*, *criticos*, et *librarios*. Atque primum quidem edax rerum tempus ſaepe in cauſa eſt, vt membranae antiquitate, et ſitu lacerae, atque exeſis litteris ad poſteritatem transmiſſae ſint. Qua ratione ingentes in veterum libris lacunae, deſiderium tantum in nobis verorum ſcriptoris verborum, relinquunt.

Non

Digitized by Google

Non eſſet difficile hoc longa exemplorum ſerie comprobare, ſed non eſt, cur in re omnibus manifeſta diutius moremur.

§. CDIX.

A falſariis.

Sed nec defuerunt homines nequam, quos *falſarios* vocauerim, qui data opera varia in vetuſtis monumentis mutauerunt, iis detraxerunt, aut etiam adſuerunt. Quod, quum in aliis multis, tum vero potiſſimum in antiquiſſimis eccleſiaſticorum ſcriptorum voluminibus frequenter accidit.

Graues ſunt hac de re, et frequentes SS. patrum querelae. Dionysivs corinthiorum epiſcopus queritur apud Evsebivm *hiſt. eccl. lib. IV. cap* 23. ſe adhuc viuo epiſtolas ſuas zizaniis eſſe impletas. S. Hieronymvs in libro *de ſcriptor. eccleſ.* paſſim diuerſa ſcripta apocrypha, quae Apostolis, et iis, qui proxime iis ſucceſſerunt, veluti Petro, Clementi, Barnabae ſubiecta ſunt, notat. Et non modo ſinguli patres, ſed et concilia ea de re ſaepius lamentantur, vt *in ſynodo V. ſynodo VI. act.* 3. et in concilio tridentino paſſim. Quin laudatur *in ſynodo VII. act.* 3. integer ſe ſuppoſititiis eiusmodi libris commentarius Amphilochii epiſcopi iconienſis, qui temporis iniuria periit. Iam vero quis ſatis dixerit, quod mendacia veteribus adſuta ſint praecipue a falſariis, vt haberent, unde dogmata ſua confirmarent? Operae pretium eſt exſcribere Sixti Senensis viri doctiſſimi locum *ex praefation. in biblioth.* in quo de librariis ſui temporis queritur: *Librarii nihil*, inquit, *praeter quaeſtum arte ſua quaerentes, nouos quotidie librorum foetus emittunt adulterinos, ſuppoſititios, prendepigraphos, et nothos, praepoſitis abſque vllo iudicio, et pudore in frontiſpiciis operum, quo*

ipſa et carius et citius vendant falſis auctorum inſcriptionibus. Hoc ſane artificio ſuppoſuerunt nobis inter multos ſpurios partus quaeſtiones in geneſim Philonis Ivdaei, *quaeſtiones* Ivstini Philosophi, et Martyris *ad gentes*, *quaeſtiones* D. Athanasii ad Antiochvm, Origenis *paraphraſim in Iob. etc.* Haec ille.

§. CDX.

A criticis.

Poſteaquam inuenta eſt ars typographica, viri, vt illa erant tempora, docti, qui ex manuſcriptis codicibus, litteris primum typographicis deſcripta ediderunt veterum monumenta, perſaepe in emendandis, quae in mendo cubare putabant, ingenio ſuo plus iuſto indulgentes, tot noua inuenerunt menda, vt eis eluendis omnibus adhuc virorum doctiſſimorum induſtria nondum ſuffecerit.

Quo vitio neque haec noſtra aetas plane libera eſt. Acriter id exprobrat iurisconſultus doctiſſimus Wielmigivs *in praefat. ad lect. iur. ciu.* noſtri ſeculi criticis, et quamquam ei de iurisprudentiae tantum romanae libris ſermo ſit, adplicari tamen omnibus poſſunt: Ita' igitur ille: *Quamquam vero et hoc tempore nemo fere ex litterarum ſit cultoribus, quotquot glorioſo criticorum titulo ſuperbi ambulant, qui iſthanc late iam graſſantem vrendi, ſecandique licentiam, non quauis occaſione, publice priuatimque deteſtari, et conuitiis proſcindere ſoleat: tamen quotusquisque ſedes eorum eſt, ſi ab vno alteroue modeſto, ac perito rerum aeſtimatore diſceſſeris, qui a contagioſa hac lue, ab hac ſcabie toties aliis, totiesque ad nauſeam vsque exprobrata puras ipſe manus poſſit oſtendere? ſemper adeo vitio id euenire humani videmus ingenii; ut qui aliorum diiudicandis*

dis ſcriptis quauis lynce oculatiores ſunt, iidem in cernendis propriis talpa magis coecutire videantur.

§. CDXI.

A librariis.

Denique librariorum quoque ſeu indigentia ſeu imperitia multorum errorum cauſa eſſe potuit celeritas tum in dictando, tum in ſcribendo, characterum veterum apud diuerſas gentes varietas, et litterarum ſimilitudo vſitata antiquis voces nullis interſtitiis ſeiunctas ſcribendi ratio, totidem fontes ſunt, e quibus menda, quorum in hanc diem pleni ſunt veterum libri, magna copia profluxerunt.

Poteram haec ſingillatim longa oratione proſequi, niſi hoc tantum argumentum doctorum hominum admirabili induſtria ita iam eſſet excultum, vt moneri iam nihil poſſit. Quae autem ab iis dicta ſunt, ſcriptaque, nemo ignorat, qui quidem in his ſtudiis non plene hoſpes eſt. Venit in mentem inſignis GELLII locus *N. A. Lib. XIII. cap.* 30. qui id, quod de veterum ſine interpunctione ſcribendi ratione dixi, egregie confirmat: *Laudabat*, inquit, *venditabatque ſe quiſpiam in libraria ſedens, homo inepte glorioſus, tanquam vnus eſſet ab omni coelo ſatyrarum M.* VARRONIS, *exarator. quas partim cynicas, alii menipeas adpellant, et iacebat, inde quaedam non admodum difficilia, atque coniicienda adſpirare poſſe dicebat, tum forte cum ego librum ex iisdem ſatyris ferebam, qui* ἐδεοχόων *inſcriptus eſt. Propius igitur acceſſi, et noſti, inquam, magiſter, verbum illud ſcilicet e graecis vetus, muſicam, quae ſit abſcondita, eam eſſe nulli rei? Oro te, leges hos verſus pauculos, et prouerbii iſtius, quod in his verſibus eſt, ſententiam dicas mihi. Lege, inquit, tu mihi potius, quae non intelligis, ut ea tibi ego narrem.*

rem. Quonam, inquam, pacto legere ego poſſum, quae non adſequor? Indiſtincta namque fient, et confuſa, quae legero, et tuam quoque impedient intentionem. Tunc aliis etiam, qui ibi aderant, compluribus idem comprobantibus, deſiderantibusque accepit a me librum veterem fidei ſpectatae, luculenter ſcriptum, accepit autem inconſtantiſſimo vultu, et moeſtiſſimo. Sed quid deinde dicam? Non audeo hercle poſtulare, vt credatur mihi. Pueri in ludo rudes, ſi eum librum accepiſſent, non ii magis in legendo deridiculi fuiſſent, ita et ſententias intercidebat, et verba corrupte pronunciabat.

§. CDXII.

Regulae criticae multae.

Videamus, quibus mediis genuini libri a ſpuriis, integri a corruptis, et interpolatis, mutilatisue diſcerni valeant. Multae ſunt; quas ea in re criticae artis periti, praeſcripſerunt, regulae, ex quibus ipſi in vetuſtis monumentis, reſtituendis non infeliciter vſi ſunt.

Non puto facturum me rem ab inſtituti mei ratione alienam, ſi eas hoc loco recenſuero: Quid enim vtilius eſſe poteſt ſtudioſae iuuentuti, quam eas habere regulas quaſi in numerato, quibus ſolis ad veritatem peruenire datum eſt. Vnde tot *errores ac fabulae*, inquit doctiſſimus Mvratorivs *de ingen. moderat. lib. III. c.* 14. *et dogmata ſtolida, niſi e criticae inopia? vnde recti iudicii meliorisque eruditionis reſtitutio, niſi e critica reſtituta?* Quam ob rem auctor ſim omnibus, qui litterarum amore ducuntur, vt hac ſibi ſcientia nihil putent vtilius, nihil praeſtabilius, ſine qua neque verum a falſo, neque ſpurium a ſincero diſtinguere poſſumus.

§. CDXIII.

PRIMA.

Prima haec eſto regula. *Indicium libri* SVPPOSITI *eſſe, quando in codicibus eius, qui haberi poſſunt, vetuſtiſſimis, alteri alicui tribuitur auctori, niſi alia grauis adferatur ratio, cur eius non ſit habendus, cuius nomine antiqui codices circumferuntur.* MVTILATI *vero argumentum eſt, ſi eſt aliquid in vetuſtis codicibus, quod in recentioribus nequidquam quaeſieris.* INTERPOLATI *denique, ſi habent aliquid noui, quod in vetuſtis codicibus deſideratur.*

Atque huius quidem canonis ratio ſatis perſpicua eſt. Quod enim aliud eſſe poteſt genuini libri argumentum, niſi vetuſtatis indicium eſt? Ea de cauſa vir doctiſſimus DANIEL HVETIVS in principio demonſtrationis ſuae evangelicae hoc praeſtruit axioma: *Omnis liber eſt genuinus, qui genuinus habitus eſt ab omnibus proxime, et continuata ſerie ſequentibus eum aetatibus. Quod axioma*, inquit ille, *ſi quis vocauerit in controuerſiam, iam certum nihil habebit in litteris.* Et certe ſi in factis hiſtoricis iudicandis veterum prae recentiorum ſcriptorum auctoritate ſtamus, quid eſt tandem, cur idem in codicum pretio ſtatuendo non faciamus?

§. CDXIV.

SECVNDA.

Altera eſt. *Genuinum eſſe librum atque integrum, in cuius codicibus recentioris aeui*

omnia

Digitized by Google

omnia eadem reperiuntur, quae ſunt in vetuſtis, ſi nulla ſubſit alia dubitandi ratio. Contra ea, ſi quae a veteribus ex aliquo libro olim prolata ſunt, ea in his, quibus nunc vtimur, eius libri editionibus aut deſiderantur omnino, aut aliter legantur, vel alius a vetere illo, vel mutilus, vel denique ſuſpectae fidei habendus eſt.

Solet hic alius ſubiici canon, ſcilicet: *Ficta aut ſaltem ſuſpecta iudicanda eſſe ſcripta, quae a nullo ſeu coaeuorum, ſeu proxime ſequentium ſeculorum ſcriptore commemorata ſunt.* Sed quia non vno exemplo oſtendi poteſt, fallere hanc regulam, ſumma cautione vtendum eſt illa: quippe quae *argumento negatiuo* nititur, *cuius rectus vſus*, inquit, Mabillon *cit. loc. aliquoties plurimum iuuat, praeſertim vero ad eludendum commenta ab impoſtoribus, vt nos decipiant ſaepenumero conficta, quae licet negatiuo tantum argumento confutari queant, cauendum tamen eſt, ne hac argumentandi ratione quis abutatur, ſi nimirum in ipſo modum non ſeruet.*

§. CDXV.

TERTIA.

Quae aperte reiecta, aut in dubium reuocata ſunt a veteribus, ea propter auctoritatem recentiorum, niſi graviſſimis munitam rationibus, veluti genuina admitti non debent.

Ex hac recte regula ſuſtineri contra veterum auctoritatem non poſſunt canones Concilii Nicaeni I. qui ſupra *viginti* ab Abr. Echellensi et Franc. Tvrriano ex arabico tranſlati ſunt, vt praeclare docuerunt Cabbassvtivs *in diatrib. de numer. can. nicaen. in not. eccleſ. p. m.* 119. Ioan. Doviat. *lib. II. cap. III.* §. 10. *ſeqq.* Nat. Alexander *ſecul. IV. diſt. VIII.*

Digitized by Google

§. CDXVI.

QVARTA.

Scriptum, in quo aut res aut perſonae, aut denique nomina rerum auctore, cui tribuitur, recentiora continentur, haud dubie ſpurium eſt, vel interpolatum.

Hoc vitio laborant epiſtolae illae pontificum PSEVDO-ISIDORIANAE. Sunt enim in iis quamplurima, quae primis eccleſiae ſeculis nequaquam, octauo autem, quo prodierunt, adprime conueniunt. Sed de his epiſtolis alius erit commodior dicendi locus vid. DISS. NOSTR. *de collect. iur. can. antegratianei cap. VII.* Adfinis huic eſt alia illa regula, qua *ſpurius* eſſe ſtatuitur liber, *in quo leguntur dogmata iis contraria, quae auctor idem alias conſtanter tenuit.* Sed hanc quoque caute vſurpandam exiſtimo. Quid enim mutare auctor opinionem non potuit, nec tamen eius meminiſſe? Non potuerunt notata in margine librariorum inſcitia in textum migrare? Illa leuior quidem, ſed vtilior eſt, *qua docto alicui librum fabulis refertum non eſſe tribuendum dicitur.* Certe hac vna fere ratione *ſermones ad fratres in eremo indigni ſunt*, quorum auctor S. AVGVSTINVS habeatur.

§. CDXVII.

QVINTA.

Controverſiae natae poſt auctorem, cui ſcriptum aliquod tribuitur, et recentioris alicuius ſcriptoris imitatio, indicia ſunt ſcripti aut ſpurii, aut interpolati.

Qui S. ATHANASII ſymbolum examinarunt critici, ii fere negant id illius eſſe, quippe in quo praeter

cete-

ceteras *neſtorianam*, et *eutychianam haereſes*, quae poſt Athanasivm exortae ſunt, manifeſte auctor ſpectat. Et quis ferat porro a Psevdo illo Isidoro ex hieronymiana ſcripturae verſione textus integros, recitari etiam in eorum pontificum epiſtolis, qui ſeculis S. Hieronymo fuere antiquiores?

§. CDXVIII.

SEXTA.

Quod ſi denique ſtylus, aut cum noto ſcriptoris, cui tribuitur, aut ſeculi, quo vixiſſe perhibetur non congruat, ſi vocabulis vtatur nondum illo notis ſeculo ſcriptorem indicant recentiorem, vel libri interpolationem.

Multis has regulas exemplis illuſtrauit Clericvs *in arte critica*, et illuſtrabimus nos in praelectionibus.

§. CDXIX.

SEPTIMA.

His ego aliam, eamque hac quidem aetate noſtra ſummopere commendandam adiungo: *Si quando ſumma huius artis moderatione vtendum eſt: tum vero eam potiſſimum in rebus ad orthodoxam fidem ſpectantibus ſeruandam eſſe.*

De abuſu critices grauiter Mabillonivs *in doctiſſimo tractatu de ſtudiis monaſt. p. II. cap.* 13. Sed veriſſime conqueſtus eſt: *Adeo*, inquit, *impudenter iſta abutuntur, vt haud minus, quam ex errore, et ignorantia detrimentum mens inde patiatur. Temerario auſu materias ſuapte ſponte definiunt, ſine praeuio eorum examine, vt nedum in earum diſcuſſione, de quibus*

bus in humanis, ac naturalibus ſcientiis communiter agitur, talem ſibi vſurpant poteſtatem, verum etiam in iis, quae ſpectant ad orthodoxae fidei dogmata: ſuper his enim arbitrario plura itidem adſerunt, maiori ſane fiducia, quam ſi oecumenicum enunciaret concilium. Et ſi forte inter morbos vnus deprehenditur, queis praeſens ſeculum miſere laborat; quandoquidem ſi praecedentibus ſeculis noxiae ſimplicitatis, nimiaeque credulitatis vitium adſcribitur, noſtro hoc aevo nil fere ab iis, qui acri ſe praeditos ingenio iactant, recipitur, quin prius ipſorummet cenſurae plane ſubdatur. Qua *ingenii moderatione* chriſtianum vti deceat *in religionis negotio* ſatis docuit vir, dum viueret, ſummus LVD. ANT. MVRATORIVS, cuius de ingeniorum moderatione libellum omnibus iuris eccleſiaſtici ſtudioſis magnopere commendo.

CAPVT V.

DE
ALIIS IVRISPRVDENTIAE ECCLESIASTICAE ADMINICVLIS.

§. CDXX.

De aliis iurisprudentiae eccleſ. adminiculis, in ſpecie theologia.

Iurisprudentia eccleſiaſtica tam arcto cum ſingulis pene theologiae partibus vinculo connectitur, vt altera alterius ſubſidio carere omnino nequeat. Siue enim in iure eccleſiaſtico conſtituendo, ſiue in eo interpretando verſemur, praecipua vtriusque ſtudii principia e theologia nobis petenda eſſe nemo ignorat.

Id

Id non nego alterius prae altera theologiae partis maiorem in iurisprudentia eccleſiaſtica verſantibus adferre utilitatem, *theologia* etiam naturalis, quae ſupremi entis exiſtentiam ceteraque e ratione attributa docet; *theologia hermeneutica*, quae religionem a Christo reuelatam ex S. ſcripturis eruit, et ea, quae in dilucidandis eccleſiae ritibus occupatur, et *ſacramentaria* dicitur, adeo neceſſariae eſſe videntur, vt iis carere iuriſconſultus omnino nequeat. De ſtudio theologiae a ſtudioſo iuriſprudentiae eccleſiaſticae inſtituendo vberius diſſerere inſtituti ratio non fert. Omnium autem primo *hiſtoriam theologiae litterariam* commendamus, qualem edidit Matth. Pfaffivs: Tum vero loci theologici euoluendi ſunt, in quibus egregie verſatus eſt Melch. Canvs *de locis theolog.* Inter ipſos autem theologos inſignem laudem tulit: Quod ad *naturalem* cel. Wolffivs, Ant. Genvensis, *dogmaticam* Dionysivs Petavivs, Tovrnelivs alii. Plura de ſtudio theologiae qui ſcire deſiderat, videre poteſt Ioan. Mabillon. *de ſtudiis monaſtic. p. II. cap. VI. ſeq.* Elliam dv Pin. *de methodo ſtud. theol.* Bvddaevm *in iſagoge hiſtorico. theolog.* Ioach. Lang *inſtit. ſtud. theol. litter.*

§. CDXXI.

Reliquis iurispr. eccleſ. partibus.

De reliquis iurisprudentiae partibus, quem vſum in eccleſiaſtica praeſtent, vix neceſſe eſt, vt dicamus. Namque de *iurisprudentia* quidem *naturali*, vt et ea, quam *publicam uniuerſalem* adpellamus, haud ita multo ante copioſe expoſuimus. De reliquis autem germanorum tam *publicis*, quam *priuatis* iuribus, *ciuili*, *criminali*, *feudali* res adeo perſpicua eſt, vt ne quidem nomen iurisconſulti mereri

videatur, qui in his non praeclare verſatus ſit.

Qui ſe in germania iurisprudentiae eccleſiaſticae docendae munus praeclare obire poſſe putat ſine iuris publici germanici intelligentia, is vehementer fallitur. Habet Germania noſtra peculiare quoddam eccleſiae ſuae ius tam proprium catholicis, quam cum proteſtantibus commune, cuius notitiam ex communibus illis iurisprudentiae eccleſiaſticae fontibus deriuare velle, vereor, ne ſit ſatis conſentaneum, vt ex iis, quae alibi praecepimus, intelligi poteſt. Ius reformandi, regalium, aduocatiae, electionum eiusmodi eſt, vt niſi qui iura germaniae nouerit, ſtatuere de his vix quidquam poſſit. De iure autem *ciuili priuato*, et *feudali*, et *criminali*, quid dicam? Nam praeterquam, quod proceſſus in conſiſtoriis ad normam iudiciorum ciuilium exigatur, integri etiam tituli, iisque plures numero in materiis mere ciuilibus conſtant; de pactis, contractibus, omnibusque ad iudicium pertinentibus negotiis, de feudis, delictis non eccleſiaſticis modo, ſed et ciuilibus in libris decretalium agitur, neque ad normam tantum iurisprudentiae romanae, ſed et praecipue ſecundum conſuetudines maiorum noſtrorum Italiae, Galliae, ceterarumque regionum, quas omnes exacte noſſe, etſi vni homini datum non eſt, tamen ignorare penitus omnia in iuris eccleſiaſtici interprete ferri nullo modo poteſt. *Codex* certe IVSTINIANI, et *nouellae* plenae ſunt ſacris conſtitutionibus, quas praeterire nefas eſt. Quis autem haec intelliget, niſi et inſtitutionum libros, et pandectas, et totam romanam, et graecam nouit antiquitatem? pragmaticam illam dico, non rerum vilium antiquitatem.

§. CDXXII.

§. CDXXII.

Hiſtoria profana, et litteraria.

Iam nunc difficile non eſt ferre iudicium de utilitate *hiſtoriae* non modo *litterariae* iuris, ſed et *profanae veteris* illius, et *mediae*, quae rerum proprioribus his aetatibus geſtarum memoriam continet. Vnde enim iurium ſingularium, priuilegiorum, concordatorum cauſae, occaſiones, origines, niſi ex hiſtoria petentur?

Adpoſite in hanc rem Melch. Canvs. Quamquam enim de theologis tantum ei ſermo ſit, nihil tamen metuo eius dicta potiore ratione ad iurisconſultum adplicare. Ita igitur vir doctus *de loc. theol. lib. XI. cap. 2. Mihi quidem non theologi ſolum, ſed nulli ſatis eruditi videntur, quibus res olim geſtae ignotae ſunt. Multa enim nobis e theſauris ſuis hiſtoria ſuppeditat, quibus ſi careamus. et in theologia, et in quacunque ferme alia facultate inopes ſaepenumero, et indocti reperiemur . . certe, quantum hiſtoriae cognitione theologus indigeat, vel illi aliunde magno argumento ſunt, qui eius ignoratione ſunt in varios errores lapſi*; vid. Franc. Baldvinvs *de hiſtor. cum iur. coniunct.* Hann. *de uſu hiſtor. in iure.* Sed et hiſtoriam litterariam ſibi comparandam nouerit iurium ſtudioſus, cui rei varia ſeruire ſubſidia poſſunt: Auctores primum, qui ea de re ex profeſſo ſcripſerunt: de quibus videantur Morhofivs, et Strvvivs, deinde Bibliothecae illuſtriores: Lexica litteraria: Ephemerides litterariae: Acta ſocietatvm: Colloqvia *cum viris doctis, atque eruditis*, quibus nihil eſſe poteſt ſeu ad notitiam rerum harum comparandam, ſeu ad acuendum iudicium vtilius: quemadmodum recte iudicat vir ſummus L. B. de Senkenberg *in method. iurispr. §.* 20.

§. CDXXIII.

Diplomatica, numaria, lapidaria etc.

Nihil iam neceſſe eſt de commendando antiquitatum non modo eccleſiaſticarum, ſed et profanarum, graecarum, romanarum, germanicarum ſtudio nos eſſe ſolicitos. Ecquis enim hiſtoriarum ſe notitiam comparare poſſe ſperet ſine arte diplomatica, numaria, lapidaria, rituali? alioque omni adparatu, quo inſtructum oportet eſſe eum, qui ad eruendas ſe antiquitates confert.

Qui antiquitates eccleſiaſticas eruere conati ſunt, ſcriptores ſunt pene innumeri, quos recenſuit FABRICIVS *in biblioth. antiq.* Huc pertinent antiquiſſimae liturgiae, miſſalia, pontificalia, cerimonialia, ritualia, item ſcriptores, qui origines rerum eccleſiaſticarum, rituumque inueſtigarunt, quo in numero cenſendi ſunt RVINARDVS, MARTENE, DVRANDVS, THOMASINVS, DV PINVS, GARNERIVS, DE MARCA, BINGHAMVS, MOSHEMIVS, pluresque alii, quorum opera in decurſu vtemur. Quod ad *diplomaticam* artem celebriores aeuo noſtro ſunt MABILLONIVS, MONTFAVCONIVS, MARTENIVS, DVRANDVS MVRATORIVS, ABBAS GOTTWICENSIS, LEIBNITIVS, LVDEWIGIVS, GVDENVS, HEVMANNVS, quorum opera cuique litterarum harum amanti notiſſima ſunt. De artis numiſmaticae vtilitate FROELICHVS noſtras *in quat. tent. de re num. vet. cap. I.* quum ex veterum auctoritate quaedam attuliſſet, ſic infit: *Mitto iam veteres, quando noſtra etiam aetate viri primi in hiſtoria eccleſiaſtica nominis non defuerunt, qui antiquis e numis lucem, ac pondus ſuis ſcriptis arceſſerent. Praetereo nunc alios, ſatis meam in rem argumenti habent ea, quae incomparabilis* CARDINALIS BARONIVS *in annalibus, et in criticis ad eosdem animaduerſionibus docitiſſimus* PA-

GIVS

civs hiſtoriae ſubſidia e numis veterum non parce petierunt. Egi de his hiſtoriae ſubſidiis, eorumque vtilitate vberius in Introd. *in hiſtoriam germaniae, edita* 1756.

§. CDXXIV.

Philoſophia.

De *philoſophia* autem quid dicemus? illa mentis, ac voluntatis humanae directrice ſcientia? vereor profecto, vt conſentaneum ſit in tanta veritatis luce, de vtilitate ſcientiae, qua nullum maius ſuperi donum generi humano impertiti ſunt, vel pauciſſima verba facere.

Vſum iuris ciuilis apud multos, artem negabat niſi apud vnum *Scaeuolam* fuiſſe Cicero, propterea quod hic vnam artem recte cogitandi teneret, ſed praeſtat ipſum audire: *Si enim exiſtimo*, inquit, *in Bruto cap.* 41. *iuris ciuilis magnum uſum, et apud* Scaevolam, *et apud multos fuiſſe, artem in hoc vno, quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam praeterea didiciſſet artem, quae docet rem vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare iuterpretando, ambigua primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, quae vera, et falſa iudicarentur, et quae, quibus poſitis eſſent, quaeque non eſſent, conſequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quaſi lucem ad ea, quae confuſe ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur.* Eaque de cauſa is alibi iurisprudentiam non a duodecim tabulis, ſed ex intima philoſophia hauriendam eſſe praecipit. Conſ. *diſſert.* Molleri *de coniunct. iuriſp. ad philos. et diſſ.* Myleri *de ſtudio philoſ. coniung. cum ſtud. iur. et* Perillvstr. de Ickstatt *de ſtud. iur. vtil. inſtit.*

Digitized by Google

§. CDXXV.

Litteris humanioribus.

Demum *li terarum*, quas vocant, *humaniorum* neceſſitas in grauioribus diſciplinis addiſcendis adeo apud omnes certa eſt, vt illam in dubium vocare audeat nemo. Fuerunt tempora, quibus elegantibus litteris artes omnes, ac ſcientiae denſiſſimis inuoluerentur tenebris, neque hae prius dignitati ſuae reſtitui coeperunt, quam hilarior illis adfulſit temporum viciſſitudo.

SCAEVOLAM laudat CICERO loco paulo ante citato, non modo ob artem dialecticam, ſed *quod adiunxerit etiam et litterarum ſcientiam, et loquendi elegantiam.* Profecto, ſi antiquiſſima tempora repetamus, neminem vnum ad veram eruditionis laudem perueniſſe ſine harum litterarum ſubſidio deprehendemus. Sed haec nemini ignota. Vid. HVBER *ſtud. iur. cum elegant. ſtud. coniung.* CLADENIVS *de ambitu elegant. iurispr.* PERTSCH *de ſcientiis a iuriſconſulto imprimis german. addiſc.* ERNESTI *elegantiſſimam dedicationem opp. Ciceronis a ſe editorum Chriſt. Lud. Stiglizio factam.*

§. CDXXVI.

Methodo.

De *methodo* diſcendi, docendique iurisprudentiam eccleſiaſticam difficile eſt in tanta opinionum varietate, quidquam praecipere. Verum, quam demumcunque docendi quis ſequatur rationem, in id incumbendum eſt, ut nec antiqui illius, quo vetus via eſt eccleſia,

nec

nec recentis huius, quod ſibi eccleſia germanica proprium habet, obliuiſcamur.

In ipſa autem jurisprudentiae tractandae ratione, quae via tenenda ſit, adcurate docuit Perillvst. de Ickstatt *in diſſert. de methodo docendi atque diſcendi iurispr.*

Digitized by Google

SECTIO IV.

DE

COLLECTIONIBVS

IVRIS

ECCLESIASTICI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT I.

DE COLLECTIONIBVS IVRIS ECCLESIASTICI GENERATIM.

§. CDXXVII.

Introitus.

Poſteaquam fontes aperuimus, ex quibus omnia, quae iure eccleſiaſtico continentur, fluxerunt, et de adminiculis ſtudii iuris eccleſiaſtici tractauimus: reliquum eſt, vt, quemadmodum ab iis fontibus facta ſit deductio canonum, horumque ad nos propagata memoria, exponamus.

§. CDXXVIII.

Primis ſeculis rarae erant leges eccleſiaſticae.

Prioribus quidem eccleſiae ſeculis praeter leges diuinas pauciſſima alia diſciplinae eccleſiaſticae capita viguiſſe admodum eſt veriſimile,

Digitized by Google

le, dum apoſtolicae leges in animis ſacerdotum vigerent ſola traditione commendatae, et dirae illae furentium imperatorum gentilium perſecutiones facile impedirent, quo minus diſciplinae ſanciendae cauſa in unum congregari locum eccleſiarum antiſtites liceret.

§. CDXXIX.

Poſtea multitudo canonum.

Sed iam inde, ex quo ſedato perſecutionum tumultu Constantini M. religioſiſſimi imperatoris laborioſa pietas pacem eccleſiae chriſtianae, tranquillitatemque reſtituit, liberius ſe explicare coepit ſacra eccleſiae poteſtas tam in retundendis haereticorum inſanis erroribus, quam in diſciplina conſtituenda. Vnde nata eſt immenſa illa propemodum *canonum decretorumque ad eccleſiam pertinentium* multitudo, quorum *complexum ius canonicum* adpellauimus.

§. CDXXX.

Collectionibus eorum anſam dedit.

Qui canones, ne incerto vagarentur, omnibusque eo facilius innoteſcerent, laudando conſilio, in *codices canonum* componi coeperunt, in quos quidquid pro regula diciplinae eccleſiaſticae recipi voluerunt patres, referebatur.

§. CDXXXI.

Digitized by Google

§. CDXXXI.

Collectio iuris canonici definitur.

Vix eſt, vt moneam, *collectionis iuris canonici* nomine intelligi nobis, *ordinatam quamdam conſtitutionum eccleſiaſticarum, diuerſis temporibus conditarum, et incerta quaſi ſede vagantium in vnum volumen, ſeruato ſeu* ANNORVM *ſeu* MATERIARVM *ordine redactarum recenſionem, auctoritate publica, vel priuata confectam.* Priorem illam *chronologicam*, hanc *ſyſtematicam* adpellare licebit.

Collectionum huiuſcemodi vtilitas in conſpicuo poſita eſt. Quid enim conueniebat minus, quam nullam dare operam, vt eſſet certum aliquod regularum opus, cuius auctoritatem ſequerentur patres in cauſis dubiis terminandis.

§. CDXXXII.

Collectionum iſtarum hiſtoria in tres periodos diuiditur.

De collectionum iſtarum origine, atque auctoritate hoc loco diſſerere conſtitui. Quod vt eo praeſtetur commodius, et ad ſtudioſorum vtilitatem, intelligentiamque adcommodatius, ius canonicum vulgata diuiſione partiemur in *antiquum*, *nouum* et *nouiſſimum*.

ANTIQVVM iam inde ab eccleſiae origine ad GRATIANVM, noui canonum codicis conditorem, deductum paulo plus vndecim ſeculorum ſpatia implet. A GRATIANO NOVVM ordimur, eoque complectimur omnes, quibus hodiernum conſtat corpus

iuris canonici, partes, adiectis iis compilationibus canonum quae has inter mediae intercesserunt. Quod reliquum eſt, omne NOVISSIMI IVRIS adpellatione nobis venit. Latius haec a nobis expoſita ſunt in *diſſ. de collect. iur. eccles. ante-gratian. cap. I.* Equidem non diffiteor, per collectionem PSEVDO-ISIDORI ius plane nouum inductum eſſe; ſed quia iſtud ante GRATIANI *decretum* nec ſatis commune, nec firmum ſatis erat, ideo nobis a GRATIANO ius nouum incipere placuit, qui ultimam veluti manum Iſidoriano ſyſtemati impoſuit, illudque ad perfectionem deduxit.

CAPVT II.

DE COLLECTIONIBVS IVRIS ECCLESIASTICI ANTIQVI.

§. CDXXXIII.

I.) CANONES APOSTOLORVM.

Vna omnium antiquiſſima collectio eſt illa, quae vulgo CANONES APOSTOLORVM inſcribi, et S. CLEMENTI romano pontifici velut eius compilatori attribui ſolet. Non ſum neſcius, quam ambigua ſit eruditorum hominum de aetate collectionis illius, et auctore diſceptatio: verum illud tamen ſatis quidem in conſpicuo poſitum eſt, falſos eſſe omnes, qui vel APOSTOLOS ipſos eius auctores vel CLEMENTEM illum D. PETRI diſcipulum, et roma-

manae iam tum ſedis antiſtitem collectorem fuiſſe perperam exiſtimarunt.

Fuit haec graecorum pene recepta ſententia. Certe iam ſeculo VI. Ioan. Antiochenvs non obſcure innuit epigraphe his canonibus praefixa: *Sancti Domini diſcipuli, et apoſtoli octoginta quinque canones Clementis opera ediderunt.* Eandem videtur fouiſſe ſententiam *ſynodus trullana can.* 2. vt notant ad hunc canonem Balsamon et Zonaras in *pand. canon.* Beveregii *col.* 159. *tom. I.* Quam graecorum ſententiam e latinis quoque quidam recentiores adoptarunt, veluti Onvph. Panvinivs *in tabul. concil. praemiſſa vitis pontif. Platinae.* Tvrrianvs *aduers. centur. magdeb. lib. I.* Alii, quos refert Espenivs *diſſ. in can. apoſt. tom. III. opp.* Verum hanc ſeu graecorum, ſeu latinorum de horum canonum auctoribus ſententiam eruditiores paſſim reiiciunt, quo in numero commemorandi ſunt praecipue Petrvs de Marca *de concord. ſacerd. et imp. lib. III. cap.* 2. Albaspinevs, Natalis Alexander, Pagivs, Annatvs.

§. CDXXXIV.

Eos ſpurios eſſe.

Et vero rationes ſunt non exigui momenti, quibus ſententia nunc propoſita ab eruditis ſtabilita eſt. Audiamus illas; I.) aiunt, ſi canones ſic dicti apoſtolorum aut omnes, aut aliqua etiam eorum pars eſſet ab apoſtolis profecta; nulla prorſus reddi ratio poteſt, cur a libris canonicis noui teſtamenti excluſum fuerit opus, quod ab apoſtolis non minus traditum nobis conſtaret, quam alia eorum. At enim nemo eorum, qui ſex aut etiam pluri-

bus ſeculis in eccleſia floruerunt, ſcriptorum eccleſiaſticorum, ſi vnum IOANNEM DAMASCENVM excipiamus, hos canones vnquam in numerum ſacrorum librorum retulit.

§. CDXXXV.

Ex variis argumentis.

Deinde II.) Si iam inde ab aetate apoſtolorum canones hi in eccleſia haud fuerant incogniti, qua demum ratione fieri potuit, vt ſcriptores eccleſiaſtici eorum mentionem nullam fecerint, iis praecipue in controuerſiis, in quibus res ipſa depoſcere videbatur eorum praecipuam rationem haberi?

Et vero ſilentium EVSEBII CAESAREENSIS et SANCTI HIERONYMI eo maius in hac controuerſia pondus habere debet, quo maiori diligentia eos in conſeruanda ſcriptorum apoſtolicorum memoria verſatos fuiſſe conſtat. Maximi autem momenti eſt id, quod nec VICTOR pontif. rom. in controuerſia de paſchate aduerſus aſiaticos, nec FIRMILIANVS, nec S. CYPRIANVS in controuerſia de baptiſmo haereticorum aduerſus STEPHANVM pontificem horum canonum meminerit, quum tamen eorum, ſi qui extitiſſent, ſumma profecto in alterutram partem auctoritas fuiſſet.

§. CDXXXVI.

Demonſtratur.

Porro III.) ecquis ſibi perſuaſerit canones, ſi verum foret, apoſtolorum eos niti auctoritate, hos ſermone ab oratione apoſtolorum

lorum aliena ſcriptos fuiſſe? Ecquid enim neceſſe fuit alio orationis genere vti in decretis canonicis, alio item in aliis ſeu libris, ſeu Epiſtolis? Atqui hoc ita eſſe prorſus, vt dixi, cuiuis inſpicienti patebit.

En! in his canonibus paſſim legas vocabula: *clericus*: *catalogus clericorum*: *lector*: *cantor*: *ſacerdos*: *ſacerdotalis adminiſtratio*: *laicus*: *pentecoſte*, alia eius generis plura, quae in genuinis apoſtolorum ſcriptis nequidquam quaeſieris.

§. CDXXXVII.

Idem.

Tum vero IV.) canones, de quibus ſermo nobis eſt, eius aetatis eſſe non poſſe, cuius Tvrrianvs cum aliis quibusdam eſſe contendunt, vel eo vno argumento ſatis euinci poſſe videtur, quod fieri non potuit, vt iis in eccleſiis cognitis eius generis controuerſiae moueri, aut naſci errores contigiſſet, quibus ea ſecula laboraſſe ſatis conſtat. Quid? quod ſi canonum ſic dictorum apoſtolicorum auctoritas valet, ipſam eccleſiam catholicam turpiſſimis in erroribus verſari oportet, utpote quae dogmata ſequitur, decretis horum canonum prorſus diſſentanea.

Age! exemplis iſtud quidem illuſtremus. In *can.* 46. ita cautum: *Epiſcopum, aut presbyterum haereticorum ſuſcipientem baptiſma damnari praecipimns.* Qui canon ſi verus eſt, quomodo vera eſſe poteſt catholica traditio, ad quam olim prouocauit Stephanvs pontifex, quaeque baptiſmum haeretico-

 rum

rum pro vero habet? Deinde ſi iam tum extitit *canon* 7. quo conſtitutum eſt, ne paſcha cum iudaeis celebretur, qui fieri potuit, vt ſanctiſſimi orientis epiſcopi aut eum ignorauerint, aut eo cognito traditionem eccleſiarum ſuarum ab apoſtolo Ioanne deriuari confidenter adſeruerint? vt alia plura ſilentio praeteream, quae notauit NAT. ALEXANDER *hiſt. eccles. tom. III. ſec. I. diſſ.* 18.

§. CDXXXVIII.

Idem.

Denique V.) conſtat idem ex *decreto ſynodi* ROMANAE *anno* 494. celebratae praeſide GELASIO pontifice *ap.* GRATIAN. *can.* 3. *diſt. XV.* Huius quidem decreti prima pars poſt ſacros vtriusque teſtamenti libros alia eccleſiaſtica monumenta commemorat, nulla prorſus canonum apoſtolicorum facta mentione. Quin in parte eiusdem decreti poſteriore, quae eſt de apocryphis, canones apoſtolorum diſſertis verbis in ſpuriis habet: *Liber*, inquit, *canonum apoſtolorum apocryphus.*

Sunt et alia huius generis argumenta plura, quibus in firmanda hac ſententia vtuntur docti, quae breuitatis cauſa non adſcribo.

§. CDXXXIX.

Eruditorum de iis ſententia.

Itaque veroſimillimum eſſe plerique iudicant, canones hoſce a viris apoſtolicis ex variarum ſynodorum decretis collectos, mox ab haereticis, quorum tum negotium fuerat anti-

antiquis codicibus errores ſuos adſuere, interpolatos et adulteratos fuiſſe, vt adeo mirum non ſit, manifeſtos errores in iis deprehendi. Ceterum quo *praeciſe* tempore, loco, auctore haec facta ſint, nemo tam facile definiuerit. Id certum eſt, eorum ante annum 394. nulla veſtigia deprehendi, auctoritatemque a *ſynodo generali ſecunda* CONSTANTINOPOLITANA primum accepiſſe.

Vid. DU PIN *biblioth. des auteurs eccles. tom. I.* TILLEMONT *mem tom. II. de S. Clement.* §. 7. GABR. ALBASPINAEVS *lib. I. obſeru.* 13. ANT. PAGIVS *in critic. Baronii ad an.* 100. §. 10. Antiquitatem horum canonum maxima contentione tuitus eſt BEVEREGIVS in *praefat. ad ſuas in hos can. adnotationes.* Reſpondit quidem ad argumenta BASNAGE *tom. II. annal. ad a.* 300. §. 16. oppoſuitque diſſertationem ſuppreſſo nomine MATTH. LARROQVANVS; ſpeciali tamen tractatu ſententiam ſuam pluribus elucidauit BEVEREGIVS, exſtatque ſub titulo: *Codex canonum eccleſiae primitiuae illuſtratus* ap. COTELERIVM *tom. II.*

§. CDXL.

Quaenam eorum auctoritas.

Auctoritas horum canonum maior in eccleſia graeca, quam latina fuit. Graeci enim iam inde ab annis plus mille omnes *octoginta canones* veluti *authenticos* agnouerunt, quod idem, quamquam ſint, qui de latina quoque eccleſia tradant, ego quidem adfirmare non auſim.

De graecis, quae dixi, certa ſunt, ex BALSAMONE aliisque. Imo IOAN. DAMASCENVS *lib. IV. de fide orthod. cap.* 16. ipſos *libris canonicis* adnumerare non dubitauit (ſup. §. 434.): quod tamen ipſum nimis inconſulte feciſſe monet BARONIVS *ad an.* 102. E latinis SEVERIN. BINNIVS duos duntaxat 65. et 84. excipit CARD. DE AQVIRRE *in collect max. conc. hiſp. diſſ. III. Ex curs. VI. et VIII.* canones 46. 47. 65. 67. et 85. expungit. Plerique 84. authenticos habent. Sed verior eſt aliorum doctiſſimorum virorum ſententia, qui docent, poſteriores 35. canones non habere auctoritatem in eccleſia latina.

§. CDXLI.

Cum iis confundendi non ſunt libri conſtitutionum apoſtolicarum.

Idem eſto iudicium de *octo libris conſtitutionum apoſtolicarum.* Quantumuis enim vix poſſit negari, et *antiquos* eſſe illos, et multa continere *vtilia*, ſi ea, quae ab haereticis poſt demum adiecta ſunt, demamus; nulla tamen ratio eſt, vt eos aut APOSTOLIS, aut CLEMENTI tribuamus. Verumque eſt, quod BELLARMINVS *de ſcript. eccleſiae* in CLEMENTE ROMANO ſcribit: *in eccleſia latina nullum eas nomen fere habere.*

Quid? quod ab ipſis etiam poſterioribus graecis in *conc. trullano* tanquam ab haereticis deprauati reiecti ſint? Vid. NAT. ALEXANDRVM *hiſtor. eccles. ſect. I. diſſ. XIX.* PAGIVM, *in crit. ad Baronium ad a.* 102. §. 9.

§. CDXLII.

§. CDXLII.

II.) Conseqventia Canonvm.

Atque haec de canonibus apoſtolorum ſatis dicta ſunto. Quorum collectionem, ſi primam dicere volumus, altera erit, quam Theodosii M. temporibus circa annum 385. compoſitam eſſe admodum videtur probabile. Auctor eius quis fuerit, nondum conuenit inter eruditos. In ea hic ordo ſeruatus eſt, vt poſt Concilii Nicaenae canones (cui, quod primum eſſet concilium oecumenicum, is honos habitus eſt) in reliquis recenſendis temporis, quo vnumquodque eorum celebratum eſt, *ratio* haberetur. Eorum autem omnium canones perpetua quadam ſerie, eademque *numerorum conſequentia* ponuntur. Id quod, ne facile dolo falſi obtrudi canones poſſent, ſumma cautione, et prudentia effectum eſt.

Tempus, quo haec collectio facta, quamquam ſatis certum non ſit, coniectura tamen adſequi poſſumus. Nititur autem hoc fundamento, quod auctor eius, quisquis demum is fuerit, in canonibus Concilii Constantinopolitani I. deſinat, vt de eo teſtatur Dionysii Exigvi *epiſtola* interpretationi collectionis graecae praefixa. Falſus igitur Gerh. van Mastricht. qui primam graecorum collectionem iam Concilio Nicaeno coaeuam ſtatuit in *hiſt. iur. eccles. §.* 27. Auctorem huius collectionis alii faciunt Sabinvm macedoniorum apud Heracleam in Thracia epiſcopum, vt Ant. Avgvst. *in praef. II. in epitom. iur. pontif.* ſed nullo idoneo argumento. Vid. Doviat. *praenot. iur. can. lib. III. cap. III. §.* 2. Alii Stephanvm praeſulem epheſinum ducti auctoritate *MS. cod heidelbergenſis*, quem ſe vidiſſe profitetur Christoph. Ivstellvs apud

PETRVM DE MARCA *lib III. de c. 5. et I. cap. III. §. 4.* Quos inter eſt etiam CHRIST. LVPVS *in ſchol. ad conc. chalced. tom. II. opp. pag.* 66. Sed neque haec ſententia tuta eſt. Vid. DISS. NOSTRA *de collect. iur. eccles. cap. II. §. 1. ſeq.* Quidquid autem ſit de auctore huius collectionis, id certum eſt, deſcriptos in ea fuiſſe primum quidem canones CONCILII NICAENI I. quos canones conciliorum ANCYRANI, NEOCAESAREENSIS, GANGRENSIS, ANTIOCHENI, LAODICENI, et demum CONSTANTINOPOLITANI una ſerie cohaerentes ſubſequuntur Vnde haec collectio CANONVM CONSEQVENTIA dicta eſt, vt probat IVSTELLVS in *bibl. iur. can. vet. tom. I. p.* 5.

§. CDXLIII.

Cuius in eccleſia orientali maxima ſemper erat auctoritas.

Huius autem collectionis apud graecos magnam fuiſſe in rebus et iudiciis eccleſiaſticis auctoritatem adeo, vt in conciliis vna cum libris euangeliorum ad decidendas quaeſtiones adhiberi ſolita ſit, quod vel ex concilio chalcedonenſi ſatis perſpicue probari poteſt.

Nam CONCILII CHALCEDONENSIS *act. IV. et XI.* recitantur *ſynodi antiochenae canones* 4. 5. 16. *et* 17. non ſub eius concilii nomine, ſed generatim ex codice canonum ſub notis numerorum, quibus in eo deſcripti erant, ſcilicet 83. 88. 95. 96. Et quamquam in ea collectione continerentur canones etiam ſynodorum particularium, qui initio robur non niſi inter ſuas prouincias obtinuerunt, tamen, poſtquam in eum codicem relati ſunt, et hic ab eccleſia orientali receptus eſt: eandem vim omnes vbique habere coeperunt.

§. CDXLIV.

§. CDXLIV.

Vix vlla vero in eccleſia occidentali, niſi poſt concilium chalcedonenſe.

Verum in occidente collectionem hanc incognitam fuiſſe vsque ad tempora Concilii Chalcedonensis, aut ſaltem poſt illud demum tempus receptam fuiſſe admodum eſt probabile.

Tempore Innocentii I. qui ad A. C. 417. ſedem romanam obtinuit, nullos alios canones, quam Nicaenos, in eccleſia latina obtinuiſſe, ex eius epiſtola diſcimus *ad cler. et pop. conſtantinopol.* cuius meminit Sozomenvs *hiſt. eccles. lib VIII. cap.* 26. et Nicephorvs *lib. XIII. cap.* 33. Extat apud Covstant. *tom. I. rom. pont. epiſt. col.* 795. Sunt qui iam tum eccleſiam latinam non caruiſſe ſua canonum collectione ſibi perſuaſerunt: veluti Espenivs, Mastrichtivs, Bartolvs. Sed eam opinionem refutaui *cit. diſſ. cap. IV. §.* 4. *lit. c.*

§. CDXLV.

III.) Codex ecclesiae Africanae.

Sed non caruit tamen eccleſia occidentalis omni prorſus canonum collectione. Iam tum enim Codicem ecclesiae Africanae ignotum non fuiſſe plane exiſtimo. Huius auctoritatem nemo eruditorum iam facile in dubium reuocat. Conſtat enim et antiquiſſimum eſſe, et a Dionysio Exigvo poſtea in ſuam translationem relatum. (infr. § 448.)

Ex

Ex quo tempore non apud graecos modo, ſed et apud latinos non exiguam obtinuit auctoritatem.

Inde eſt, quod *correctores romani* de hoc codice ad *can. I. diſt. XX.* ſcripſerunt: *canones africanos eccleſia romana videtur probaſſe, et vſa eis eſſe, quando in codicem canonum referendos curauit.* CHRIST. LVPVS *de africanae eccleſiae romanis adpellationibus cap. 6.* exiſtimat, hanc collectionem non eſſe a concilio profectam, ſed opus priuati cuiusdam hominis: ſed eum refutat DV PIN *de diſcipl. eccles. diſſ. II.* IVSTELLVS hunc codicem una cum graeca translatione, et multis eruditis adiectis notis edidit, *in bibl. iur. can. tom. I. pag.* 321.

§. CDXLVI.

IV.) CODEX CANONVM ECCLESIAE VNIVERSAE.

Decreuit deinde concilium Chalcedonenſe, vt *regulae ſanctorum patrum per ſingula nunc vsque concilia conſtitutae proprium robur obtineant.* Id mouiſſe videtur STEPHANVM EPHESINVM, vt veteri codici (ſupr. §. 442.) canones CONCILII CONSTANTINOPOLITANI ibi omiſſos, et ſubſecutorum conciliorum generalium EPHESINI *canones VII.* et CHALCEDONENSIS *canones XXIX.* adiiceret. Ex quo nata eſt *altera collectio* ducentis et ſeptem canonibus continuata numerorum ſerie collocatis conſtans, quae ſub nomine CODICIS VNIVERSAE ECCLESIAE innotuit.

Ita ſonant verba concilii chalcedonenſis ap. HARDVIN. *in collect. concil. t. II. col.* 602. cum quibus *can.*

14.

14. *XXV. q. I.* fere concordat. Quod ad ipſam collectionem attinet, probabile eſt, totam a STEPHANO EPHESINO eſſe profectam. Vid DOVIAT. *praenot. iur. can. lib. II. cap. IV. §.* 3. Cum hac inſcriptione, quam dedimus, edita eſt a VOELLO, et IVSTELLO, *in bibl. iur. can. veter.* Eam veluti nimis ſpecioſam improbat FRANC. FLORENS in *diſſ. de orig. et ortu iur. can. part. II. p.* 20. et PETRVS COVSTANT. in *praefat. epiſt. rom. pont. praemiſſa part. II. §.* 153. *ſeq.* De hoc quidquid ſit, id probabilius, ad hanc collectionem pertinere Iuſtiniani NOVELLAM *CXXXI. cap.* 1. quamuis aliter viſum DOVIATIO *lib. III. cap.* 5. *§.* 4. Conf. DISS. NOSTRA. *cap. II. §.* 5. *Lit. a.*

§. CDXLVII.

Et inde PRISCA CANONVM TRANSLATIO.

Concilii chalcedonenſis auctoritate hunc codicem eccleſia latina adoptauit, vſuque publico in latinum idioma translatum inſertis CONCILIORVM CHALCEDONENSIS et SARDICENSIS canonibus ſuum fecit. PRISCAM CANONVM TRANSLATIONEM vocat DIONYSIVS EXIGVVS (infr. §. 448.). Eius auctor quis fuerit, et cuinam inter plures codices hodie extantes, et inter ſe valde diſcrepantes authentica temporis praerogatiua debeatur, nec nos pro tribunali definire nobis ſumimus.

Codicem hunc ſibi edidiſſe viſus eſt CHRIST. IVSTELLVS, deinde a VOELLO, et HENR. IVSTELLO ſub titulo: PRISCA CANONVM EDITIO LATINA *in bibliothecam iur. can. vet. tom. I. p.* 275. *ſeqq.* relatum. Sed ſuſpectus hic codex ESPENIO, qui in *diſſ. III. de priſtino codice eccl. rom.* huic praefert QVESNELLIANVM *tom. II. operum* S. LEONIS M. *edit. paris.* 1675. adiectum. Verum *queſnelliani*

nelliani codicis auctoritatem grauiſſimis argumentis *cit. praef.* §. *III. n.* 70. *Seq.* eleuauit COVSTANTIVS.

§. CDXLVIII.

V.) COLLECTIO DIONYSII EXIGVI.

Quum autem haec priſca translatio non exigua laboraret confuſione, DIONYSIVS EXIGVVS, monachus, natione Scytha nouae verſioni ineunte ſeculo VI. manum admouit, inque eam primo quidem loco CANONES APOSTOLORVM, (ſupr. §. 433.) tum NICAENOS, et reliquarum deinceps ſynodorum retulit (ſupr. §. 442.) adiunctis canonibus CONCILII CHALCEDONENSIS, SARDICENSIS, et AFRICANORVM centum et triginta octo (ſupr. §. 445.). Atque vt ne omiſiſſe videatur aliquid eorum, quae ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinent, epiſtolas quoque decretales adiecit pontificum romanorum SIRICII, INNOCENTII, ZOSIMI, BONIFACII, COELESTINI, GELASII, LEONIS, ANASTASII, quibus recentiori manu aliorum quoque poſtea acceſſerunt.

Qua fuerit eruditione DIONYSIVS, et quibus praeditus virtutibus, teſtis eſt CASSIODORVS *diuin. lect. cap.* 23. Qua vero cauſa, quaue occaſione ad hunc laborem acceſſerit, ipſe docet in praefat. ap. BARONIVM *annal. eccles. ad a.* 527. *n.* 73. et IVSTELLVM *tom. I pag.* 101. Ceterum probabile non eſt, quod poſt alios voluit DOVIAT *lib. III. cap. XV.* §. *II.* iam *an.* 496. collectionem hanc prodiiſſe.

§. CDXLIX.

§. CDXLIX.

Quae ob ſummam auctoritatem CORPVS *et* CODEX CANONVM *adpellabatur.*

Quamuis vero DIONYSIVS priuato ſtudio canonum verſionem in ſe ſuſceperit, et decreta SS. pontificum collegerit, haec tamen collectio tanto cum adplauſu recepta fuit, vt non tantum *nomine* CODICIS, et CORPORIS CANONVM per excellentiam diceretur, ſed etiam eius auctoritas, et vſus breui per vniverſam eccleſiam ſe diffunderet.

Vid. *can. I. diſt. XIX.* CASSIODORVS *lib. XXIII. diu. lect.* PETR. DE MARCA *lib. III. cap. IV.* §. 2.

§. CDL.

VI.) COMPENDIA *et* COLLATIONES CANONVM.

Quo tempore DIONYSIVS EXIGVVS collectionem canonum Romae conficere adlaborauit, eodem viri alii ſacri iuris ſtudioſi COMPENDIA CANONVM, eorumque cum legibus ciuilibus comparationes, ſeu NOMOCANONES publicae vtilitatis cauſa edere coeperunt. Primus fuit FVLGENTIVS FERRANDVS *eccleſiae carthaginenſis diaconus*, qui BREVIATIONEM CANONVM ſeruato materiarum ordine in 232. capitula diuiſam conſcripſit. Eodem modo MARTINVS *epiſcopus bracarenſis collectionem canonum orientalium* in duas partes digeſtam et in gratiam hiſpanorum concinnatam ad concilii

Digitized by Google

cilii lucenſis epiſcopos tranſmiſit. Eodem tempore IOANNES SCHOLASTICVS, ſeu *antiochenus collectionem canonum* 50. titulis, et NOMOCANONEM 50. itidem capitibus conſtantem exhibuit. Demum CRESCONIVS *epiſcopus africanus* circa *an.* 570. BREVIARIVM CANONVM et CONCORDIAM *canonum* euulgauit.

Ipſas horum omnium collectiones *vid. ap.* VOEL. et IVSTELL. *biblioth. iur. canon. veter.* Ceterum primus fuit CRESCONIVS, qui reſcripta pontificum cum decretis conciliorum promiſcue collegit.

§. CDLI.

VII.) COLLECTIO ISIDORI HISPALENSIS.

Inclaruit etiam ſeculum VII. noua canonum collectione, quae ISIDORO HISPALENSIS *eccleſiae antiſtiti* viro ſanctitatis, et doctrinae laude celeberrimo in acceptis refertur, et in eccleſia latina inter maioris nominis collectiones locum ſibi merito vendicat.

Cuinam ex pluribus ISIDORIS, quae eccleſiis hiſpaniarum praeerant, haec ſit tribuenda collectio, diſputatur. Veroſimile eſt, HISPALENSIS eſſe opus. Ceterum huic tres eius generis collectiones in acceptis referri volunt, quae ſit prior, itidem ambigitur. *Vna* earum cum aliis decretis canones CONCILII TOLETANI XIII. continet. In *altera* canonum agmen claudunt decreta CONCILII TOLETANI VII. In *tertia* decreta ZACHARIAE PAPAE inueniuntur. Verum prima longe poſterior eſt ISIDORO, quum *concilium toletanum XIII. an.* 683. celebratum fuerit; neque ſecunda, neque tertia aetati ISIDORI conuenit, quum

ſyno-

ſynodus toletana VII. A. 646. habita, et Zacharias A. 741. ſedem romanam primum conſcenderit, hunc tamen Isidorvm. A. 636. mortuum fuiſſe communis fert opinio. vid. Gvil. Caue. *ſcript. eccles. hiſtor. litter. ſec. Eutich. voc. Iſidorus.*

§. CDLII.

VIII.) Codex canonvm ecclesiae orientalis.

Eodem ſeculo VII. ad finem vergente comparuit Codex canonvm ecclesiae orientalis. Quippe ſynodus trullana ſeu *quiniſexta* anno 692. celebrata non ſolum centum et duos canones in eodem concilio conditos, ſed et carthaginenſium ſynodorum codicem (ſup. §. 445.) et concilii conſtantinopolitani ſub Nectario habiti canones, pluriumque ſanctorum patrum ſcripta antiquae eccleſiae orientalis collectioni (ſup. §. 446.) adiecit, atque ita eam in immenſum quaſi auxit.

Collectioni canonum trullanae adiecti poſtea fuerunt canones XXII. in *concilio nicaeno II. anno.* 787. ſtabiliti, quibus Codex ille canonvm Ecclesiae Orientalis abſoluitur, qui a Io. Tilio *Engoliſmens. ex Bibliotheca canonicorum* S. Hilarii *Pictav. an.* 1540. et poſtea ab El. Ehingero *an.* 1614. *ex bibliotheca* Avgvstana in lucem protractus additis ſcholiis et interpretationibus Zonarae et Balsamonis.

§. CDLIII.

IX.) COLLECTIO ISIDORI PECCATORIS VEL MERCATORIS.

DIONYSIVS EXIGVVS, qui exordio ſeculi VI. *praeteritorum ſedis apoſtolicae praeſulum decreta, qua valuit cura diligentiaque collegit*, ſuaeque collectioni canonum adiecit, vt (ſup. §. 448.) docui, in iis recenſendis a SIRICIO PONTIFICE facit initium. Defectum hunc vt ſuppleret, edita collectione alia canonum obſcurus quidam auctor, quem promiſcue ISIDORVM PECCATOREM vel MERCATOREM adpellant, ſeculo VIII. ad finem vergente, nouas epiſtolas in ſuo natas cerebro a CLEMENTE pontifice vsque ad SIRICIVM ſingulis, et ab eo vsque ad GREGORIVM M. plerisque pontificibus improbo auſu adfingere, imo, et genuinas, quotquot reperit, aut mutilare aut adulterare non erubuit, eum praecipue in finem, vt illimitatum quoddam romani pontificis imperium, quaſi antiquiſſima illud traditione niteretur, rudibus populis demonſtrari poſſet.

De aetate huius collectionis atque auctore variae ſunt, et multiplices doctorum virorum coniecturae, quas hoc loco recenſere nimis longum foret. Vtilius fuerit, quot, et cui veterum pontificum adſcriptae illae ſint, hoc loco indicare: ſunt autem eorum:

SEC. I.

A. Ch. 93. S. CLEMENTIS .... 5.

SEC.

Sec. II.

108.	Anacleti	3.
112.	Evaristi	2.
121.	Alexandri	3.
132.	Sixti I.	2.
142.	Telesphori	1.
154.	Hygini	2.
158.	Pii I.	4.
167.	Aniceti	1.
175.	Soteri	2.
179.	Elevtheri	1.
194.	Victoris	4.

Sec. III.

203.	Zephirini	2.
221.	Callisti I.	2.
226.	Vrbani I.	1.
233.	Pontiani	2.
237.	Anteri	1.
238.	Fabiani	3.
254.	Cornelii	3.
255.	Lucii	1.
257.	Stephani	2.
260.	Sixti II.	2.
261.	Dionysii	2.
272.	Felicis I.	3.
275.	Evtichyani	2.
283.	Caii	1.
296.	Marcellini	2.

Sec. IV.

304.	Marcelli I.	2.
309.	Evsebii	3.
311.	Mechiadis	1.
314.	Silvestri	1.
335.	Marci	1.
336.	Julii I.	1.
352.	Liberii	2.
355.	Felicis II.	2.

367.	DAMASI	7.
385.	SIRICII	1.

SEC. V.

401.	INNOCENTII I.	1.
443.	SIXTI III.	1.
446.	LEONIS	1.

SEC. VI.

523.	JOANNIS I. .... :...............	2.
526.	FELICIS III.	2.
530.	BONIFACII II.	1.
531.	JOANNIS II.	1.
535.	AGAPETI I.	1.
536.	SYLVERII	2.
540.	VIGILII	1.
544.	PELAGII I.	1.
559.	JOANNIS III.	1.
575.	BENEDICTI I.	1.
577.	PELAGII II.	4.
590.	GREGORII M.	2.

§. CDLIV.

Quae primo ab Iſidoro hiſpalenſi auctoritatem aliquam mutuauit.

Quum autem haec collectio ISIDORI nomen praeſetulerit, facile error oboriri, et in ea temporum caligine propagari potuit, vt illa EPISCOPO HISPALENSI (ſup. §. 451.) eiusdem nominis eo magis adtribueretur, quo maiorem eius, de quo prius memini, collectio in eccleſia auctoritatem nacta eſt.

§. CDLV.

§. CDLV.

Pleniſſimam dein a Nicolao I. obtinuit.

Hac forſitan opinione infauſtum illud opus primus in Galliam et Germaniam intulit Ricvlfvs *archiepiſcopus moguntinus*, remque eo deduxit, vt multum eidem honoris adtribueretur. Idem praeſtitit eius ſucceſſor Rhabanvs *maurus*. Cumque Hincmarvs *rhemenſis archiepiſcopus* aliique eruditi obſtreperent eos Nicolavs I. anno 865. in graui ad epiſcopos Galliae epiſtola *ap.* Gratian. *can.* 1. *diſt.* 19. compeſcuit, et receptionem iſidoriani figmenti (vt nempe epiſcopos romanae ſedi ſine medio ſubiiceret. Petr. de Marca *lib. III. cap* 6.) modis, quibus poterat omnibus vrgere non deſtitit, tantam poſtremo ſuis conatibus auctoritatem eidem conciliare coepit, vt prope ab omnibus ſincerum dignumque reputaretur, ex quo et ſequentes pontifices ſua decreta, canonumque collectores ſua capitula haurirent, licet impoſtura haud difficili negotio multis argumentis depredendi potuiſſet.

Vid. Gregor. Zallwein *princ. iur. eccleſ. tom. II. quaeſt. I. cap. V.* §. 6.

§. CDLVI.

Eam vero ſpuriam et confictam eſſe demonſtratur.

Enimuero plura ſunt argumenta, quibus harum epiſtolarum falſitas perſpicue deprehenditur. Ac I.) quidem, quod auctor harum

epiſtolarum frequenter vſus ſit *vulgata* ſacrae ſcripturae verſione, quae S. HIERONYMUM auctorem habet. II.) Quod earum ſcriptores eccleſiaſtici octo priorum ſeculorum nullam mentionem fecerint, ne ipſe quidem DIONYSIVS EXIGVVS (ſup. §. 448.) diligentiſſimus epiſtolarum collector. III.) Quod nulla in his epiſtolis fiat mentio earum rerum, quae iis ſeculis erant frequentiſſimae. IV.) Quod acutioribus non ſit ignotum eas compilatas fuiſſe ex operibus et decretis recentiorum pontificum. V.) Argumentum haud exigui momenti ſuppeditat falſa temporum conſignatio, et VI.) ſtyli ſimilitudo, orationisque VII) barbaries primis eccleſiae ſeculis prorſus incongrua. Quare CHRISTIANUS LUPUS *in ſchol. ad canon. tom. IV. pag.* 363. adſerere non dubitat, *vt quisquis earum natales iam credit legitimos atque authenticos, nugas vendere et fabulas cenſeatur.*

Primi, qui bellum his epiſtolis indixerunt, fuerant CENTURIATORES MAGDEBURGICI *cent. II. cap. VII.* Contra eos deſperatam cauſam defendit FRANCISCUS TURRIANUS *ieſuita.* Quem mox debellauit DAVID BLONDELLVS in libro, cui titulus: *Pſeudo-iſidorus et turrianus vapulans*, quo in opere, etſi critica eius laudanda, non tamen ferenda audax temeritas, qua ſine delectu veritates omnes calumnioſe proſcindit.

§ CDLVII.

Collectio Dionyſii exigui ab HADRIANO Papa CAROLO M. oblata eſt.

HADRIANUS I. pontifex romanus haud me-

mediocrem confeciſſe canonum collectionem, et Carolo M. obtuliſſe dicitur. De qua quidem duo ſunt, quae a viris eruditis diſceptari ſolent. *Primum*, qua in profectione romana Caroli M. ea huic oblata ſit (conſtat enim ter eum romae fuiſſe) *deinde* ſitne haec ab illa Dionysii collectione (ſup. §. 448.) diuerſa, an eadem. Prius illud ſatis dubium. Quod ad hanc autem poſteriorem quaeſtionem adtinet, exiſtimo nullam poſſe ſatis idoneam adferri rationem, ob quam ſtatuamus, aliam fuiſſe hanc ab illa, quam ſupra oſtendimus a Dionysio Exiguo e graeco translatam fuiſſe.

Quoniam Carolvs M. ter, vt dixi, in vrbem profectus ſit, anno ſcilicet 774. iterum 781. denique 787. dubitatum eſt, qua demum profectione munere hoc donaverit Regem Hadrianvs? Sirmondvs *in not. ad epitom. canon. Hadriani concil. tom. VIII. col.* 585. putat, contigiſſe id nouiſſima profectione. Basnagivs contra in *praef. ad epitom. canon.* Hadriani *§.* 3. *ap.* Canisivm *lect. ant. tom. II. pag.* 264. ſecundae id profectioni adtribuit. Sed neuter argumentis ſatis idoneis. Fateamur igitur, hoc incertum eſſe, ſed non adſentiendum Sirmondo, quando hanc Hadriani collectionem diuerſam facit a Dionysiana, ex ea ratione potiſſimum, quod iam dudum ante Dionysii lectione vſa ſit Gallia. Namque hoc quidem non ſatis expeditum eſt. Et leves quaedam mutationes diuerſam collectionem haud faciunt. Vid. Covstantivs *praef. VIII. n.* 128.

§. CDLVIII.

Sicque eius auctoritas in Germania inualuit.

Id certum eſt, quamuis BONIFACIVS praeſul moguntinus iam ante nihil non egerit, vt CODEX DIONYSIANVS, PER GERMANIAM ET GALLIAM in vſum deduceretur, id tamen eum adſequi non potuiſſe; propterea, quod prioris, et antiquioris verſionis auctoritas obſtitiſſe videatur, ſed voti ſui compos factus eſt per CAROLVM HADRIANVS PAPA, inualuitque breui mirifice regis auctoritate collectio haec, neque tamen ſine vlla praeſulum contradictione, a quibus impetrari non potuit, vt mores antiquos, et ſynodorum prouincialium ſtatuta epiſtolis pontificum decretalibus ei collectioni inſertis poſtponerent.

Vid. DE MARCA *lib. I. cap. IX.* §. 4. et STEPH. BALVZIVS *in praef. ad Rhegin. prumienſ. de diſcipl. eccles.* Igitur verius etiam eſt, epitomen, quam HENRICVS CANISIVS *theſaur. monu. eccles. et hiſtor. tom. II. pag.* 262. edidit, cuique eruditam obſeruationem IAC. BASNAGIVS praemiſit, nihil aliud eſſe, quam compendium collectionis dionyſianae ab HADRIANO CAROLO M. oblatae.

§. CDLIX.

X.) NOMOCANON PHOTII.

In eccleſia orientali celebris ille PHOTIVS *patriarcha conſtantinopolitanus*, cuius diſſidia cum romano pontifice graecorum ſchiſma produxerunt, exemplo IOANNIS *ſcholaſtici* (ſup. §. 449.) nouum *nomocanonem* in titulos

tre-

Digitized by Google

tredecim diuiſum anno 883. concinnauit. Qui labor ſummo cum adplauſu apud graecos receptus, et exinde tantae auctoritatis fuit, vt omnem iuris canonici doctrinam compendio complecti crederetur.

Acceſſerunt Arsenii et Zonarae notae, et multo his locupletior Balsamonis commentarius, cum quo poſt repetitam nomocanonis huius editionem iterum publica luce donatus eſt in *bibl. iur. can.* a Ivstello et Voello *tom. II.* vbi Alexii Aristini *ſynopſis canonum pag.* 673. deinde Simeonis *magiſtri et logothetae epitome canonum pag.* 710. *ſeqq.* et denique Arsenii *monachi diuin. can. ſynopſis pag.* 749. *ſeqq.* inueniuntur.

§. CDLX.

XI.) Systema Rheginonis.

Ius eccleſiaſticum in Germania quoque noſtra magis excoli coepiſſe, argumento nobis eſſe poteſt opus illud inſigne, quod Rhegino gente *germanus*, *monachus ord. S. Benedicti*, poſtea *prumienſis monaſterii Abbas*, iubente Radbodo *archiepiſcopo treuirenſi* ex conciliorum canonibus, decretisque pontificum, additis SS. patrum ſententiis, legumque ciuilium textibus in vſum dioeceſeos treuirenſis in confinio ſeculi IX. et X. ſub titulo: *De diſciplinis eccleſiaſticis et religione chriſtiana*, in ſyſtema redegit, in cuius prima parte de clericis, altera de laicis tractare inſtituit.

A. 892. Rhegino *abbas prumienſis monaſterii* electus eſt. Sed deinde aemulorum inuidia pulſus in monaſterium S. Maximi eiusdem dioeceſeos cedere coactus hanc collectionem concinnauit. Hinc

facile patet poſtremis ſeculi IX. annis, vel primis X. hoc opus lucem vidiſſe, quod an. 1671. *Pariſiis* edidit et notis illuſtrauit STEPH. BALVZIVS.

§. CDLXI.

XII.) DECRETORVM *ſeu* CANONVM VOLVMEN BVRCHARDI.

Methodum Rheginonis ſecutus BVRCHARDVS *lobienſis*, poſtea *epiſcopus Wormatienſis* A. C. 1020. omnem eccleſiaſticae diſciplinae materiam XX. libris complexus eſt, eumque in finem ſingulos libros in plura capita diſtribuit, ad quae canones ad eandem rem pertinentes vndecunque, praecipue vero a conciliis franciae orientalis, et occidentalis, inſperſis quoque S. ſcripturae, et SS. patrum locis reuocauit, vt merito *magnum decretorum, ſeu canonum volumen* adpellari meruerit.

Vnde ſuam collectionem hauſerit, ipſe prodidit in *praef. ſuae collect.* ex qua adparet, eum haud conſuluiſſe ipſos fontes, ſed collectiones praecedentes, etiam iſidorianam adhibuiſſe. Rheginonis prumienſis non facit mentionem, quamvis multum ex eo deſumſerit, vt obſeruat BALVZIVS *in praef. ad Rhegin.* Quanto in pretio haec collectio fuerit tum apud germanos, tum etiam apud gallos, docet noua illa compilatio Iuonis, quae eodem ſeculo circa finem eius prodiit.

§. CDLXII.

Digitized by Google

§. CDLXII.

XIII) EXCERPTIONES regularum eccleſiaſticarum IVONIS CARNOTENSIS.

Commemorandus eſt nobis etiam Ivo *epiſcopus carnotenſis auctor decreti canonum*, vt vulgo adpellatur, quod ex conciliorum, pontificum, et imperatorum romanorum conſtitutionibus, praecipue ex regum francorum capitularibus, poſtremis ſeculi XI. aut certe primis ſeculi ſequentis annis veſtigia Burchardi ſecutus elucubrauit, et in XVII. partes digeſtum *excerptiones regularum eccleſiaſticarum* inſcripſit. An vero opus, quod huius collectionis compendium eſſe creditur, et *pannormiae*, vel vt alii ſcribunt, *pannomiae* nomine innotuit, pro partu eiusdem Iuonis haberi debeat, necdum ad liquidum perduci potuit.

Pleraque Iuo mutuauit ex Burchardo, differt tamen praeter alia in eo, quod intexuerit leges ciuiles. De inſcriptione operis teſtantur Trithemivs *lib. I. de ſcript. eccleſ.* et ant. Avgvstinvs *lib. I. de emend. grat. dial. I.* De Pannormia autem non levis eſt controuerſia, an Iuo eius auctor dicendus ſit. Negat hoc Bellarminvs *de ſcript. eccleſ.* Mastricht *hiſt. iur. eccleſ.* §. 267. Adfirmat contra Ant. Avgvstinvs *lib. II. de emend. grat. dial. V. et IX.* aliisque.

§. CDLXIII.

XIV.) Collectio *conſtitutionum eccleſ. BALSAMONIS.*

Inter alias leuioris momenti graecorum collectiones his temporibus magni nominis fuit

fuit THEODORI BALSAMONIS labor, qui labente ſeculo XII. praeter expoſitiones in Photii Nomocanonem (ſup. §. 450. in ſchol.) *collectionem conſtitutionum eccleſiaſticarum* ex digeſtis, codice, et nouellis extractarum eleganti ordine contexuit.

Lucem vidit haec collectio latine edita ſub *Paratitlorum* nomine cura IOAN. LEVNCLAVII *Francof.* an. 1593. Quam deinde ſuae *bibliothecae iur. can.* inſeruere VOELLVS et IVSTELLVS cum inſcriptione: *eccleſiaſticarum conſtitutionum collectio*, additis notis, et interpretationibus ANNIBAL FABROTTI.

CAPVT III.

DE LIBRIS IVRIS CIVILIS ALIISQVE QVIBVS VSI SVNT CANONVM COLLECTORES.

§. CDLXIV.

Ad fontes collectionum iuris canonici etiam pertinent.

Quoniam collectores canonum quam ſaepiſſime leges ciuiles in ſuum corpus canonum retulerint, quin nonnulli eorum integras legum et canonum collationes inſtituerint (ſup. §. 450.) operae pretium fuerit indicare fontes, ex quibus illas in rem ſuam deriuarunt.

Omnes legum ciuilium collectiones recenſere, neque inſtituti mei eſt, neque neceſſarium.

§. CDLXV.

§. CDLXV.

I.) Codex theodosianvs.

Nouam iuris ciuilis romani rationem introduxit Constantinvs, mutato penitus religionis dominantis, regiminisque publici ſtatu, quare fieri non potuit, quin multae tam ab illo, quam ſucceſſoribus eius perlatae fuerint leges, partim antiquitantes priores illas, partim noua conſtituentes, adeo vt digna ſatis materia videretur Theodosio ivniori, quae in unum volumen colligeretur. Et vero ſubſecutus eſt Codex Theodosianvs A. 438. in quem chriſtianorum imperatorum conſtitutiones collectae fuerunt a Constantino M. uſque ad illud tempus, quo eum iuſſu Theodosii confectum, et auctoritate publica donatum eſſe diximus.

Inualuit huius codicis auctoritas ſeculo V. et initio VI. per orientem et occidentem: vid. Gothof. *in proleg. cap.* 3. etiam in Italia ſub oſtrogotis, et in Africa ſub vandalis, et licet per codicem iuſtinianeum (inf. §. 467.) theodoſianei codicis uſus per orientem fuerit obliteratus, manſit tamen per occidentem breviatio *codicis theodoſianei* iuſſu Alarici *gothorum regis* concinnata, cuius non vilis fuit auctoritas. Illuſtrauit codicem Theodos. perpetuo commentario Iacobvs Gothofredvs, cuius optima eſt editio, quae ſtudio et opera Ioan. Dan. Ritteri prodiit Lipſiae 1736.

§. CDLXVI.

§. CDLXVI.

II.) NOVELLAE THEODOSII.

Poſt Theodoſianum codicem diuerſae occurrunt ipſius etiam THEODOSII NOVELLAE, quibus partim codex iſte confirmatur, partim etiam ſuppletur. Acceſſerunt NOVELLAE VALENTINIANI III. MARTIANI, ANTHEMII aliorumque imperatorum, quas IACOBVS GOTHOFREDVS, quotquot reperiri potuerunt, huic codici adnexuit.

§. CDLXVII.

III.) CODEX IVSTINIANEVS.

Eadem, qua THEODOSIVS gloriae cupiditate ductus IVSTINIANVS nouum per ſelectos viros codicem fecit concinnari in libros XII. diſtinctum, quibus non modo priorum imperatorum conſtitutiones continerentur, ſed et ea potiſſimum, quae ad ſacra, ſacerdotes, Magiſtratus ſpectarent, vberius diſtinctiusque hoc codice proponerentur.

Initium eius factum eſt idibus Februarii A. 528. publicatus vero VII. Idus aprilis A. 529. ita, vt per annuum ſaltem ſpatium codex hic feſtinaretur potius quam concinne et congrue perficeretur.

§. CDLXVIII.

REPETITAE PRAELECTIONIS.

Quum autem diuerſae adhuc ſupereſſent iurisconſultorum diſſenſiones, eas componere ten-

tentauit Ivstinianvs editis quinquaginta decisionibvs, quas nouo codici, opera praecipue Triboniani confecto inſeruit, atque itidem in XII. libros diuiſum auctiorem, emendatioremque XVI. Kal. Decembris A. 534. publicauit, quem codicem *repetitae praelectionis* adpellari, et abrogato priori, auctoritate legali pollere voluit.

Multa ſunt hoc in codice principum placita, quae ad eccleſiam ſpectant, et ea rerum eccleſiaſticarum ſtudioſo ignorari minime conuenit.

§. CDLXIX.

IV.) Novellae Ivstiniani.

Poſt codicem ob negotiorum varietatem ortae ſunt novae conſtitutiones, dictae Novellae. Quamuis autem earum pleraeque graeco ſermone publicatae ſint, in foro tamen latina utimur verſione antiqua, licet non undique ſatis exacta, ſubiecta codici ſub nomine *Authenticae* eo, quod vera iſta ſit, et diſtinguenda ab interpretatione Ivliani, qui ſuam in Epitomem redegit.

§. CDLXX.

V.) Ivs fevdale *longobardorum.*

Nec ſilentio nobis praetereundi ſunt libri feudorum. Antiquiſſimum eorum eſt *ius feudale longobardicum*, quod nunc *commune* adpellamus. Primam Gerardvs Niger, atque

Ober-

Digitized by Google

OBERTVS *de orto* conſules mediolanenſes temporibus FRIDERICI *Barbaroſſae* compilationem rerum iudicatarum, atque conſtitutionum feudalium fecerunt, ſed priuata auctoritate.

§. CDLXXI.

Et hodiernum.

Tum poſtea ſub FRIDERICO II. *Imperatore* HVGOLINVS *iureconſultus bononienſis* ex hac compilatione adiectis CONRADI III. et FRIDERICORVM IMPERATORVM conſtitutionibus, atque iis, quae uſu fori mutata fuerant, unum corpus libris duobus concinnauit, quibus hodie in ſubſidium utimur, ſaluis tamen propriis noſtris conſuetudinibus, quas nobis ius feudale *ſaxonicum*, et *allemannicum*, nec non liber veteris ANONYMI de *beneficiis* ſartas tectas conſeruarunt.

Qui libri duo ſub nomine collationis X. corpori iuris ciuilis adiecti ſunt, quae vero lib. II. poſt titulum 58. ſequuntur capita, vocantur extraordinaria, nec eiusdem ſunt cum antecedentibus auctoritatis. Vide de his, uti etiam de capitulis extraordinariis, horumque vſu IO. IAC. MASCOV. *de iure* FEVDOR. *cap. I. §. 16. ſeqq.*

§. CDLXXII.

Cuius tamen exiguus eſt in iure noſtro uſus.

Quamquam autem uſus librorum feudalium non ſit tantus in iure eccleſiaſtico interpretando, quam eſt reliquorum iuris ciuilis librorum,

rum, graui tamen ſine dubio errore ſe obſtringeret, qui omnino nullum iisdem tribuendum eſſe putauerit.

§. CDLXXIII.

VI.) Capitvlaria *regum francorum.*

Omnes, qui francorum imperio ſuberant populi, ſuos in ſcripturam redegerant mores, quae *conſuetudinum collectiones* leges propriae tunc dicebantur. His deinde a francorum regibus Carolo M. praeſertim variae additae ſunt novae ſanctiones, quibus, quae legibus deerant, ſupplebantur, ſimulque minus recte conſtituta emendabantur. Hae a francorum regibus factae ſanctiones, licet quod ad obligationum effectum a legibus non differant, non legum nomine veniunt, ſed capitvlaria vocantur, quod in certa capitula, ſeu capita diuiſas regum leges continebant.

Vid. Balvzii eruditiſſima *praefatio ad capitularia regum francorum* §. 2. 5. 13. ſeparatim a Me edita Vind. an. 1771.

§. CDLXXIV.

Quorum ſumma fuerat auctoritas.

Summa capitularium in rebus tam eccleſiaſticis quam ſecularibus fuit auctoritas, quae non ſolum in regno francorum, ſed in Germania quoque et Italia diu viguit, et in hoc quidem ad tempora uſque Gratiani, qui ex iis in decretum ſuum quam plurima transtulit.

§. CDLXXV.

Ea collegerunt ANSEGISVS *Abbas.*

Sed cum in unum nondum collecta eſſent volumen regum francorum capitularia, primus circa annum 827. ANSEGISVS ABBAS *monaſterii cuiusdam gallici*, illa, quae auctoribus CAROLO M. et LVDOVICO PIO condita ſunt, in ordinem quemdam redigere coepit, quae quidem eius collectio, licet priuata auctoritate facta ſit, publicam tamen conſecuta eſt auctoritatem.

Anſegiſana collectio in IV. diſtributa eſt libros, in quorum primo *leges* CAROLI M. eccleſiaſticae, in altero eius leges *politicae*, in tertio LVDOVICI PII leges eccleſiaſticae, et libro quarto eius leges *ciuiles*, ſeu vt ab ANSEGISO vocantur *mundanae* exhibentur, quarum maxima fuit auctoritas, ex quo LVDOVICVS PIVS, et CAROLVS CRASSVS ad eam prouocarunt.

§. CDLXXVI.

Et BENEDICTVS *Leuita.*

Qua in collectione, quum non pauca omiſſa deprehenderet capitularia BENEDICTVS *Leuita moguntinus* iuſſu AVTOCARI *epiſcopi moguntini* A. C. 845. ex ſchedis eccleſiae metropolitanae moguntinae nouam compoſuit, in qua capitularia PIPINI, CAROLI M. LVDOVICI ab Anſegiſo praetermiſſa ſupplentur.

In tres autem libros a BENEDICTO diuiſa eſt haec collectio nullo pene ordine, nullo delectu habito,

vti

vti ipſe in praefatione huic collectioni praefixa ingenue fatetur. Eſt haec collectio adiuncta Ansegisanae et inde ſeptem libri capitularium numerantur. Hos proxime ſequuntur *quatuor libri additionnm*, quorum an ipſe auctor ſit merito dubitatur. vid. Heineccivm *hiſt. iur. lib. II. §.* 39. Optima capitularium editio Stephani Balvzii, qui capitularia regum undique conquiſita, et adcurate emendata duobus tomis praemiſſa ampliſſima, et eruditiſſima praefatione edidit *Pariſiis An.* 1677. hancque editionem Marcvlphi, Sirmondi, Bignonii *formulis*, et Franc. Pithoei gloſſario auxit, eiusdemque Sirmondi, Bignonii propriis ſuis notis illuſtrauit.

CAPVT IV.

DE COLLECTIONIBVS IVRIS ECCLESIASTICI NOVI.

§. CDLXXVII.

Corporis iuris canonici Pars I.) Decretvm Gratiani.

Canonum et decretorum collectiones non paucas recenſuimus hactenus; ſed omnium luminibus obſtruxit Gratianvs, qui patria *cluſinus*, *monachus benedictinus* circa A. 1151. in D. *Felicis* et *Naboris* coenobio Bononiae nouam canonum collectionem, *Concordiam diſcordantium canonum* inſcriptam publicauit, quae Decreti nomine primam corporis iuris canonici partem conficit.

De GRATIANO *auctore Decreti* diſſertationem edidit Ios. ANT. RIEGGER filius meus in albertina friburgenſium iur. eccles. profeſſ. eamque ſuis opuſculis itidem An. 1773. ſimul editis inſeruit. Conf. *diſſert. de decreto Gratiani*, quam Vindob. An. 1760. 8. eiusdem filii mei opera adiutus edidi.

§. CDLXXVIII.

Ratio eius conficiendi.

Scilicet eo iam peruenerat canonum, et praeſertim conſtitutionum pontificiarum auctoritas, tot collectionibus tum publicis tum priuatis per orbem chriſtianum diſperſis, et commendatis adiuta, ut iam nihil deeſſe videretur, niſi ut eſſent, qui iuris ciuilis romani, ita et canonici pontificiique ſcientiam in academiis publice profiterentur. Hunc in finem ſyſtema quoddam deſiderabatur, ad quod conficiendum Gratianus iſte iuris canonici, vt illa erant tempora, peritiſſimus operam ſuam collocauit: Cumque in collectionibus hactenus editis errores et contrarietates animaduerteret, in iis ſimul tollendis ſe inſudaſſe titulo operi ſuo praefixo ſignificari voluit.

Sed quid aliud eſt mutandum in GRATIANI *libro, (inquit* ANTON. AVGVSTIN. *de emendat. gratiani. lib. I. dial. I.) praeter titulum libri, ſeu inſcriptionem? et ita multa ſunt, ut non facile omnia uno die explicari poſſint. Sed genera tibi errorum quorumdam proponam, ut poſtea, de quibus magis placebit, agamus. Saepe erratum eſſe video in nominibus hominum, urbium, prouinciarum, conciliorum, et aliarum rerum, quae poſtea exemplis apertiora fient. Saepe falſae ſunt inſcriptiones, et quae conciliorum ſunt, pontificum maximo-*

ximorum eſſe dicuntur, et quae ſunt unius epiſcopi inferioris, romano pontifici, aut concilio generali, vel prouinciali tribuuntur. Ex hoc genere ſunt illa, quae ex concilio Martini Papae, *aut* Hadriani Papae *ſumta eſſe feruntur, quae vel Martino Bracarenſi, et graecis conciliis, vel Engelramo epiſcopo vel Hadriano ad Engelramum inſcribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambroſii, Auguſtini, vel Hieronymi verba eſſe dicuntur, quae aut nusquam extant, aut aliena ſunt. Illa quoque ipſa, quae inſcriptiones habent veras, non recte referuntur; ſaepe enim contrarias ſententias referri ſcimus, ſaepe valde praeciſas, iam vero, quae ex graecis fontibus manant, ex variis interpretationibus adſeruntur, quaſi ſint aliorum ſcriptorum ac ſaepe aliud graece quam latine ſignificant.*

§. CDLXXIX.

Fontes ex quibus hauſit.

Ex conciliorum tam vniuerſalium quam particularium canonibus, pontificum epiſtolis, patrum et doctorum eccleſiae traditis, atque ipſis etiam ſacrae ſcripturae fontibus, et legibus tam imperatorum romanorum, quam regum francorum, quibus ſua interdum adſuit Gratianvs, totum hoc opus eſt confectum, qua in re non ipſos fontes conſuluit; ſed ex Dionysio Exigvo, (ſup. §. 448.) Isidoro (ſup. §. 453.) aliisque canonum collectoribus, Rheginone, Bvrckardo *Vormatienſi*, et Ivone, (ſup. §. 460. ſeq.) imo et ex Alariciano, ſeu Aniano Breviario, quod codicis ſeu legis theodoſianae nomine ei venit, ſua hauſit Gratianvs.

Digitized by Google

§. CDLXXX.

Diuiſio operis.

Partitus autem eſt opus ſuum in *tres partes*, quarum *prima* iuris canonici principia per diſtinctiones CI. *altera* res iudicatas, et quae concernunt iudicia eccleſiaſtica per cauſas XXXVI. *tertia* vero tractatum de conſecratione exhibet. Secundae parti, et quidem eius cauſae XXXIII. quaeſt. III. additae ſunt VII. diſtinctiones de poenitentia.

Sunt, qui tractatum de poenitentia et conſecratione GRATIANO abiudicandum eſſe cenſent, ſed ſine ſufficiente ratione; vid. ANT. AVGVSTINVS *Dial. XIX.* atque ex his iam facile intelligi poteſt citandi modus.

§. CDLXXXI.

Cui, quae addita ſunt palearum nomine veniunt.

Decreto deinde diuerſis temporibus non a GRATIANO, ſed aliis varii additi ſunt canones, qui quum poſtea textui irrepſerint, parem cum eo auctoritatem obtinuerunt, et PALEAE ſunt vocati.

DE PALEIS *decreto Gratiani Inſertis* vid. eiusd. filii mei diſſertat. inter opuſcul. relatam (ſup. §. 477.)

§. CDLXXXII.

§. CDLXXXII.

Correctio et emendatio Gratiani.

Cum vero ipſos conſulere fontes Gratianus plerumque neglexerit (ſup. §. 480.) mirum non eſt, tanta errorum copia (ſup. §. 479.) decretum eius laborare, quos et librariorum oſcitantia egregie multiplicauit. Quos quidem errores vt tollerent, non ſolum priuati fuere ſolliciti, ſed et ipſe pontifex PIVS IV, viris doctrinae laude florentiſſimis id negotii dedit, vt loca ſingula operis Gratianei ex genuinis fontibus, et optimis manuſcriptis corrigerent, ſuasque correctiones adnotarent, qui poſtea *correctores romani* dicti ſunt, quorum numerum PIVS V. ad XXXV. adauxit. Opus refectum GREGORIVS XIII. An. 1580. conſtitutione publica probauit, et deinceps aliquid addere, vel interpretamenta adiungere ſub poena excommunicationis prohibuit.

Inter priuatos vero omnes, qui decretum Gratiani emendandum ſuſceperunt eminuere potiſſimum ANTONIVS DEMOCHARES, ANTONIVS CONTIVS, et ANTONIVS AVGVSTINVS in ſuis libris *de emendat. Gratiani.*

§. CDLXXXIII.

Poſt Gratiani decretum variae decretalium collectiones prodierunt.

Inualeſcente Iſidori peccatoris (ſup. §. 453.) de poteſtate papali ſyſtemate *epiſtolarum de-*

cretalium, quas romani pontifices in variis cauſis ediderant, non minor iam fuerat *multitudo*, quam *auctoritas*, quin et *neceſſitas* translata in curiam romanam epiſcoporum, et ſynodorum poteſtate. Igitur eas et ſeparatim colligere, et collectiones earum tum ſcholis tum foris commendare coeperunt *priuati* primum, poſtea et *ipſi pontifices*. Scilicet horum conſtitutiones conciliorum decretis primo ſubnectere (ſup. §. 448) aequiparare (ſup. 450.) dein poſtremo neglectis fere conciliis ſolas pontificum decretales epiſtolas in collectiones et codices redigere placuit.

§. CDLXXXIV.

1.) *Boehmeriana.*

Prima eiusmodi collectio, de qua conſtat, quamque ex codice pervetuſto bibliothecae haſſo-caſſelanae publici iuris fecit HENNING BOEHMERVS *in corp. iur. can. tom. II. append. num. II.* poſt an. 1179. ignoti cuiusdam opera prodiit, continetque praeter *decreta concilii lateranenſis* III. conſtitutiones ALEXANDRI III. LVCII III. et VRBANI III. Eius ideo meminiſſe non omiſimus, quod plura ſequentes compilatores BERNARDVS praecipue (infr. §. 487.) et RAYMVNDVS (infr. 493.) ex hac in ſuas decretalium compilationes traxiſſe videantur, atque inde non raro hae ſuppleri, atque emendari poſſunt.

§. CDLXXXV.

§. CDLXXXV.

2.) *Harduiniana.*

Altera eſt itidem *collectio decretalium* Alexandri III. ſaltim quod ad maximam partem, cuius pars prima ipſum *concilium lateranenſe tertium*: pars autem poſterior in quinquaginta partes diuiſa *decretales* Alexandri III. et aliorum quorumdam S. S. pontificum continet, atque in Clemente II. deſinit.

Refertur haec ſub titulo *adpendicis ad concil. lateranenſ. III. ap.* Hardvin. *tom. VI. p. II. col.* 7694. *ſeq.* Confecta videtur anno 1191. ſub Coelestino III. cuius conſtitutiones in ea deſiderantur.

§. CDLXXXVI.

3.) Bernardi Circa.

Tertiam quam vt antiquiſſimam et primam hactenus venerabantur, Bernardvs Circa *praepoſitus papienſis*, deinde *fauentinus epiſcopus* quadraginta non plus annis, poſt, quam Gratianvs decretum ſuum ediderat, collectionem confecit, quam *breuiarium extrauagantium* adpellauit, eo quod ea comprehenderet, quae extra Gratiani *decretum* vagarentur: nimirum et veteres quasdam conſtitutiones, quae Gratiani diligentiam effugerant, et recentes plures, quae poſt vulgatum Gratiani decretum a S. S. pontificibus,

Digitized by Google

vsque ad Clementem III. fuerant praeſcriptae.

Ex quo coniicere licet, quo tempore fuerit concinnata, ſiquidem nulla Coelestini III. qui Clementi III. proxime ſucceſſit, decretalis in hac collectione continetur. Libris conſtat V. iisdemque fere titulis, quibus gregoriana decretalium collectio, qua hodie utimur.

§. CDLXXXVII.

4.) Ioannis *gallenſis.*

Sed hae omnes compilationes Ioanni *gallenſi*, ſeu *vallenſi* mancae ſunt viſae, qui proinde poſt annos duodecim a collectione bernardina ſuam ipſe propoſuit: in qua Alexandri III. Lvcii III. Vrbani III. Gregorii VIII. et Clementis III. reſponſa a Bernardo in ſua collectione omiſſa recenſuit, quibus etiam Coeleſtini III. decretales poſt eam primum editas ſubiecit.

§. CDLXXXVIII.

5.) Innocentii III.

Tandem Innocentivs III. An. 1212. per Petrvm *beneuentanum* decretalium ſuorum collectionem ſua ipſius auctoritate conficiendam curauit. Haec prima collectio eſt, quam publica auctoritate adornatam fuiſſe nouimus. *Tertia* nuncupatur, quod aliae duae vulgo cognitae prae-

Digitized by Google

praeceſſerint (ſup. §. 487.) ceterum re ipſa *quintam* eſſe facile iam intelligimus.

Haec quoque ad priorum exemplum in quinque libros diuiditur, quorum ſinguli iisdem fere titulis conſtant, quibus priores illae duae. Eam Innocentivs ad vniuerſitatem bononienſem miſit hiſce munitam literis: *Innocentius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei vniuerſis magiſtris, et ſcholaribus Bononiae commorantibus benedictionem deuotioni veſtrae inſinuatione praeſentium innoteſcat, decretales epiſtolas a dilecto filio magiſtro P. ſubdiacono, et notario noſtro compilatas fideliter, et ſub competentibus titulis collocatas in noſtris vsque ad XII. annum regiſtris, quas ad cautelam vobis ſub bulla noſtra duximus transmittendas, vt eisdem absque dubitationis ſcrupulo vti poſſitis, cum opus fuerit, tam in iudiciis, quam in ſcholis.*

§. CDLXXXIX.

6.) *Itidem* Innocentii III.

Tum porro poſt annum 1215. quo *concilium lateranenſe* IV. habitum fuit, quarta (vulgo) nobis vero *ſexta*, decretalium collectio adparuit, quae multa Innocentii III. poſt tertiam collectionem, quam dicunt, ſeu quintam reſcripta, omnesque concilii lateranenſis quarti conſtitutiones eiuſdem pontificis ſummi auctoritate, et praeſentia firmatas complectitur.

Scribit An. Avgvstinvs *in praefat. ad has collectiones: In hac permulta eſſe, quae in ſuperioribus collectionibus duriora et obſcuriora videbantur, mutata rectius, et maxima cum prudentia, atque aequitate moderata.* Quatuor haſce antiquas decretalium collectiones, quas

quas veteres iuris canonici interpretes aliquando indicabant, publici iuris fecit ANT. AVGVSTINVS *Pariſiis* 1609. *fol.*

§. CDXC.

7. HONORII III.

HONORIVS III. praedeceſſorem ſuum imitatus conſtitutiones ſuas in vnum volumen cogendas curauit, easque Bononiam ad TANCREDVM miſit. An autem in ſuis hiſce colligendis decretis HONORIVS III. Tancredo ipſo vſus fuerit, an alio quopiam? nunc quidem inueſtigare non eſt animus. Nobis ſcire ſufficiat, collectionem iſtam, quam *quintam* adpellare ſolent, nos vero *ſeptimam*, HONORII III. auctoritate prodiiſſe.

Hanc ex Honorii III. voluntate editam, erudito commentario illuſtrauit INNOC. CIRONIVS *Toloſae* 1645. cum reliquis eius operibus *Vindobonae an.* 1761. cura IOSEPH. ANT. RIEGERI filii prima vice in Germania hic recuſam. Conf. IOS. ANT. RIEGERI filii mei diſſert. *de collectione decretalium* HONORII III. P. M. quam itidem ſuis opuſculis inſeruit (ſup. §. 477.)

§. CDXCI.

Collectionum iſtarum vtilitas imo et neceſſitas demonſtratur.

Sed nonnulli, qui quum has antiquas collectiones ſuperuacaneas eſſe putent, easdem negligunt, neque aliam decretalium collectionem norunt, quam *gregorianam* (infra §. 493.).
Sed

Sed hi a ſententia ſua deducendi, atque id nobis ſtatuendum eſt, antiquas decretalium collectiones valde utiles eſſe, imo neceſſarias: tum ad veterem diſciplinam cognoſcendam, tum ad decretalium, quae *gregoriana* collectione continentur, ſententiam recte perſpiciendam. Hanc enim ex antiquis illis, ipſius Gregorii IX. decretalibus et paucis quibusdam aliis capitibus exceptis, deſcriptam fuiſſe, in vulgus notum eſt.

Hinc decretales, quae in gregoriana librariorum culpa corruptas inſcriptiones praeſe ferunt, antiquarum decretalium ope facile emendabuntur: id quod ſaepe ad Decretalium veram intelligentiam multum prodeſt, praeterea quum capita permulta, quae compilatori nimis longa eſſe in antiquis videbantur, ipſe praeciderit, ac proinde mutila nobis exhibuerit, omnis obſcuritas diſparebit, ſi in antiquis collectionibus decretalem integram conſulamus, *vid. cap.* 4. *de conſu. cap.* 4. *de elect.* denique, quum interdum in prioribus collectionibus capitis alicuius intelligentia ex antecedenti capite pendeat, Raymundus vero caput antecedens interceperit, ſubſequentis capitis ſententia vix ac ne vix quidem percipi poteſt, niſi in antiquis collectionibus caput antecedens inſpiciatur, exemplum eſto *cap.* 3. *de conſt.* vid. Bartholi *inſt. iur. can. cap.* 58. §. 8. *ſeqq.*

§. CDXCII.

II.) Decretales Gregorii IX.

Tandem anno 1230. prodiit illa decretalium collectio, quae alteram corporis iuris canonici partem conſtituit. Eam iuſſu et auctori-

tori-

toritate GREGORII IX *papae* RAYMVNDVS *de Pennaforti* capellanus, et poenitentiarius eiusdem ſeruato plerumque ordine a BERNARDO *circa* (ſup. §. 486.) vſurpato compilauit. Publicata eſt Anno 1234. addita ſanctione, ne quis in poſterum priuato auſu, et absque ſpeciali pontificis conſenſu nouas decretalium collectiones edere praeſumat.

§. CDXCIII.

Ratio et fontes huius collectionis.

Fontes huius collectionis antiquas decretales eſſe (ſup. §. 384. ſeq.) recte dixeris; eas quippe hoc opere ſuppleri et emendari, dein recentiora quoque pontificum placita addi voluit pontifex. Sed optandum, vt maiorem curam et fidelitatem in compilando adhibuiſſet RAYMVNDVS; non enim integras ſed mutilas, diſruptas, et interpollatas, dedit conſtitutiones, quae proinde tanta ſaepe laborant obſcuritate, vt intelligi nequeant, niſi ad antiquas recurratur collectiones (ſup. §. 492.).

Atque hinc eſt, quod licet publicato hoc codice omnes aliorum collectiones abrogatae ſint, nihilominus tamen antiquis codicibus in interpretando carere non poſſimus; Recte ANT. AVGVSTINVS *in praefat. Multa ſunt a Raymundo detracta, quae niſi colligantur, vix reliquorum ſententiam deprehendimus. Ex unius ſaepe reſcripti corpore plura veluti membra ſub variis titulis poſita multo facilius cognoſcemus.* Hiſce mali poſt alio noviſſime BOEHMERVS in ſua corporis iuris canonici editione medelam adhibuit.

§. CDXCIV.

Diuiſio operis.

Conſtat haec collectio libris V, quorum ordinem hic indicat verſiculus. *Iudex, Iudicium, clerus, ſponſalia, crimen.* Libri in ſuos rurſus titulos diuiduntur, quorum omnes ſimul 185. numerantur. Ex his, quoties quid adlegandum capituli primi voces, aut numerus, vel utrumque ſimul cum rubrica, ſeu titulo addita voce extra vel X. adducuntur.

Qua nota ſignificatur eſſe decretalem extra decretum *gratiani*, quae hodie omitti ſolent.

§. CDXCV.

Decretales Innocentii IV. et Gregorii X.

Hanc conſequuntur aliae duae decretalium collectiones, quae vulgo a ſcriptoribus hiſtoriae iuris canonici praetermitti ſolent, vna eſt Innocentii IV. vnice ex *concilio generali lugdunenſi I.* anno 1245. altera Gregorii X. in ipſa *ſynodo lugdunenſi II.* anno 1274. compoſita vtraque ad methodum decretalium Gregorii IX. (ſup. §) 493.) et ad academiam bononienſem tranſmiſſa, vt tam in *iudiciis*, quam in *Scholis* deinceps vſum praeſtarent.

Vid Boehmer. *corp. iur. canon. in adpendic. num.* III. et IV. Bernard. de Montfavcon in *bibl. MS. et tom. II. pag.* 1211.

§. CDXCVI.

§. CDXCVI.

III.) Sextvs *Decretalium* Bonifacii VIII.

Vt his duabus canonum compilationibus maior conciliaretur auctoritas, Bonifacivs VIII. An. 1298. vtramque in vnam, nouamque, additis quoque quorundam pontificum, ſuisque propriis decretalibus collectionem redigi voluit, quae *liber VI. decretalium* inſcribitur.

§. CDXCVII.

Eius ordo et diuiſio.

Ad quorum imitationem idem librorum numerus, et titulorum, ſed pauciorum ordo fuit ſeruatus, adlegandi quoque ratio eſt eadem, niſi quod loco vocis, *extra*, ſeu literae X. adiiciatur in VI.

Sed galli hunc librum vtpote ſuae libertati contrarium reiecerunt. Vid. Zieglervs *de orig. et increm. iur. can.* §. 45. *ſeqq.* Nota enim ſunt ſcandaloſa illa diſſidia inter Bonifacivm VIII. et Phillippvm *pulchrum* regem Galliae. Sunt tamen quidam auctores, qui hunc librum in iudiciis eccles. Galliae adhiberi volunt.

§. CDXCVIII.

IV.) Clementinae.

Bonifacio ſucceſſit Benedictvs XI. et huic mox Clemens V. qui partim ex *concilii viennenſis* decretis nouam compilationem decretalium

talium concinnauit, hanc, quamquam ſint, qui ea vt aboleretur, iuſſiſſe moribundum Clementem dicant: verius eſt, in conſiſtorio publicatam fuiſſe, quum vero morte praeuentus Clemens eam ad academiam bononienſem tranſmittere non potuerit, id tamen deinde a ſucceſſore eius Ioanne XXII. an. 1317. factum eſſe conſtat.

Ordinis et adlegandi ratio eadem eſt, quae in decretalibus Gregorii IX. et Bonifacii VIII. niſi quod diſcriminis cauſſa textus inde citatus *clementina* voce exprimatur.

§. CDXCIX.

V.) *Extrauagantes* Ioannis XXII.

Haſce duae aliae inſecutae ſunt collectiones, quae continent conſtitutiones in iuris corpus nondum redactas, ſed extra *illud* vagantes, ideoque *extrauagantes* dictas. Prior extrauagantium collectio Ioannis XXII. conſtitutiones viginti circa an. 1340. priuata auctoritate collectas complectitur, collectio haec in XIV. titulos eſt diuiſa.

§. D.

VI.) *Extrauagantes communes.*

Poſterior circa finem ſeculi XV. circa annum 1484. itidem priuato ſtudio condita nouas non unius, ſed diuerſorum pontificum conſtitutiones refert, quae ideo extravagantes commvnes inſcribi ſolent, haec collectio eſt in libros V. et deinde titulos diuiſa.

Digitized by Google

Parum auctoritatis initio hae collectiones habuerunt, ex quo vero corpori iuris adiectae, et cum eo receptae ſunt, magnam apud canoniſtas faciunt fidem, adlegantur extrauagantes, vt primo capitulum cum numero, aut verbis initialibus, deinceps inſcriptio tituli, quo continetur; denique voces *extrauagantes* IOANN. XXII. ſeu *comm.* ponantur.

§. DI.

SEPTIMVS DECRETALIVM.

Canones et conſtitutiones gregoriana, bonifaciana, et clementina, ac extrauagantium collectionibus poſteriores finiente ſeculo XVI. priuata opera collegit PETRVS MATHAEI *iuriſconſultus lugdunenſis*, haec compilatio nunquam a pontifice quodam adprobata, recentioribus corporis iuris canonici editionibus ſubiuncta eundem librorum numerum, ac priores eiusdem partes, mutatis tamen titulorum inſcriptionibus et ordine ſeruat. Vulgo *ſeptimus decretalium* dicitur.

§. DII.

Correctio decretalium.

Publica quoque auctoritate nouam Decretalium collectionem GREGORIVS XIII. eiusque in ſede pontificum ſucceſſor SIXTUS V. conficere tentarunt, ſed variis ortis contentionibus opus iam perfectum ſuppreſſum eſt, ceterum id ſaltim GREGORIVS XIII. praeſtitit, vt ſicut decreti Gratiani (ſup. § 483.) ita

ita et decretalium correctionem correctores romani perfecerint.

Conf. STRVVIVS *in hiſtor. iur. can.* §. 34.

§. DIII.

Inſtitutiones LANCELLOTI.

Ne vero huic corpori deeſſet compendium, quo prima iuris principia delinearentur an. 1563. Io. PAVL. LANCELLOTVS et anno 1567. ANT. CVCHIVS *inſtitutiones iuris canonici* ediderunt, et licet nec LANCELLOTVS, nec CVCHIVS publicam impetrare potuerint, a pontifice adprobationem, felicior tamen CVCHIO fuit LANCELLOTVS, cuius inſtitutiones iuſſu pontificis absque confirmatione corpori iuris ſunt adiecta.

Vid. *praef.* LANCELLOTI *ad inſt. iur. can.*

Digitized by Google

CAPVT V.

DE FONTIBVS IVRIS CANONICI NOVISSIMI.

§. DIV.

Corpori iuris canonici vbique recepto.

Poſthac nulla amplius canonum decretalium ue epiſtolarum collectio publica auctoritate prodiit, nec vlla tantae auctoritatis euaſit, quae vſu publico recepta collectiones, quibus *corpus iuris canonici* abſoluitur, oblitteraret. Quin imo iſtud pontificum adhortationibus academias primum penetravit, dein iureconſultorum ſtudio et opera in iudicia irrepſit; tandem *iuris* inſtar *communis* tantum vbique adplauſum obtinuit, vt et antiquis collectionibus vis legitima adimeretur, et addere ei quidquam vel detrahere nec licitum eſſe, nec neceſſarium crederetur.

§. DV.

Accedit ius nouiſſimum cuius fontes ſunt.

I.) CONCILIA *ſubſequentia.*

Etenim perpauca ſunt, quae ſubſequentium PISANI, CONSTANTIENSIS, et BASILEENSIS ad tridentinum vsque conciliorum generalium

lium decreta *reipſa* immutarunt. Licet enim *pro extirpatione ſchismatis et vnione ac reformatione eccleſiae Dei in capite et in membris celebrata eſſent*, multaque in iis ſtatuta, quae aliam et antiquam eccleſiaſticae diſciplinae formam reducerent, effectu tamen fere omni caruerunt in his, quae, vt dixi, diſciplinam concernunt.

§. DVI.

II.) Transactiones *et* Concordata.

Multo plura reperiuntur, quae Transactionibvs et Concordatis Principvm cum ſede romana initis ſublata fuere. Cum enim pontificia poteſtas, nimium quantum in negotiis omnibus, temporalibus etiam, quotidie vagaretur; neceſſarium profecto erat, vt ei limites ponerent, atque ſua populorumque iura vindicarent principes. Exemplo eſſe poſſunt *Germania*, quae per Fridericvm III. cum Nicolao V. anno 1447, et *Gallia*, cuius nomine Lvdovicvs XII. cum Ivlio II. in *concilio lateranenſi V.* anno 1512. conuentiones publicas celebrarunt, de quibus tamen non eſt, cur prolixius agamus, nam et ad ius eccleſiaſticum particulare pertinent, et a nobis alibi iam fuſius explicata ſunt, et ab omnibus in hiſtoria iuris publici Germaniae pertractari ſolent.

Vid. Mea. *princip. iur. eccles. German.*

Digitized by Google

tionibus, atque complectitur conſtitutiones pontificum a LEONE M. vsque ad annum 1752. bullarium ſecundum editionem romanam de an. 1692. in epitomen redegit, et auxit, variasque notulas adiecit FLAVIVS CHERVBINVS ſub titulo *compendium bullarii*.

§. DIX.

V.) CVRIA ROMANA.

Bullae papales ex curia romana prodeunt, ſub qua ratione illius explicationem recte huc referre ſolent interpretes. Eſt vero CVRIA ROMANA *ſenatus ſummi pontificis, in quo cauſae ad ſedem pontificiam ſpectantes et delatae expediuntur.*

§. DX.

Quae conſtat variis dicaſteriis et congregationibus.

Caueas vero, ne vnico conſiliariorum collegio. quod vtique negotiorum varietati et multitudini (ſup. §. 508.) minime ſufficeret, eam abſolui exiſtimes. Complectitur enim varia dicaſteria, tribunalia, audientias, et congregationes, quae vt membra ſenatus illius (ſup. §. 509.) ſpectari debent, et quaſi totidem perſonae pontificem circumſtant, cuius latiſſima poteſtas exigit, vt *perſonis moralibus*, ſeu integris virorum doctorum collegiis adiuuetur.

Vid. HVNOLD. PLETTENBERG. *notit. congreg. et tribunal. curiae roman.*

§. DXI.

Digitized by Google

§. DXI.

1.) Consistorivm *cardinalium.*

Eminet in his Consistorivm Cardinalivm, ſeu *congregatio, quam celebrat pontifex cum collegio cardinalium in palatio ſuo per modum ſenatus maioris.* Eſt autem duplex aliudque *extraordinarium* magisque ſolenne, ad quod praeter cardinales admittuntur quoque praelati ac miniſtri, atque etiam principum oratores, quod ideo *publicum* dicitur: aliud *ordinarium*, ad quod ſoli cardinales pro negotiis tractandis admittuntur, quare et *ſecretum* adpellatur.

§. DXII.

Secretum.

Conſiſtorium *ſecretum* pro ratione negotiorum et voluntate papae, ordinarie tamen bis in menſe feria ſecunda celebratur. In eo pontifex. 1) Creat nouos cardinales vel cum publicatione vel cum reſeruatione in pectore, eisque claudit os et iterum aperit. 2) Nominat legatos de latere ex conſilio cardinalium. 3) Conſtituit legatos vrbium et prouinciarum ſedi apoſtolicae in temporalibus ſubiectarum. 4) Eliguntur epiſcopi, archiepiſcopi, patriarchae, etiam titulares tantum, ſi eiusmodi praelaturae ſint reſeruatae; et 5) Cum haec reſeruatio ad certa quaedam monaſteria extendatur, eadem hic conceduntur vel commendantur, ideoque *conſiſtorialia* adpellantur. 6) Electi aut nominati ad vacantes eccleſias epiſ-

copales, iiſque maiores confirmantur. 7) Coadiutoriae eccleſiarum cathedralium et monaſteriorum conſiſtorialium conceduntur. 8) Matrimonium ſpirituale inter praeſulem et eccleſiam diſſoluitur. 9) Nouae eccleſiae cathedrales eriguntur, diſmembrantur, diuiduntur, et vniuntur. 10) Archiepiſcopis pallia diſtribuuntur. 11) Tandem in hoc conſiſtorio de omnibus grauioribus ſedis apoſtolicae et eccleſiae vniuerſalis, vel principum tam temporalibus, quam ſpiritualibus negotiis agitur.

Oris clauſura olim voce actiua et paſſiua in electione pontificis nouum cardinalem priuabat. Hodie nihil aliud eſt, quam cerimonia ea de cauſa introducta, vt cardinales antequam in conſiſtoriis et congregationibus ſuffragium ferant, de modeſtia admoneantur, quam adhibeant: non autem impedit vel ligat facultatem eligendi pontificem. GREGOR XV. *conſtit.* DECET ROMANVM. De taxis huius conſiſtorii vid. CONCORD. *nat. germ.* §. *item circa.*

§. DXIII.

Publicum.

Conſiſtorium *publicum* haberi ſolet quatuor ex cauſis. 1) Cum papa galerum cardinalitium nouo cardinali imponit. 2) Dein in aduentu legati cuiusdam principis ad ſummum pontificem deſtinati. 3) In reditu legati a latere a ſua legatione. 4) Cum pro canonizatione alicuius ſerui Dei publice vota exquiruntur. Quae omnia miro cerimoniarum adparatu peragi ſolent.

§. DXIV.

§. DXIV.

Status et congregatio conſiſtorialis.

Cum autem non ſemper expediat quaecumque negotia omnibus cardinalibus proponere; ſolet papa particularem quorundam cardinalium congregationem, quam *ſtatus* vocant, non nunquam conſtituere, eamque non ſtabilem, ſed negotiorum et temporis ratione habita. Et ne altercatio quaedam conſiſtorii maieſtatem turbare poſſit, erecta eſt congregatio quorumdam cardinalium et praelatorum, quae *conſiſtorialis* dicitur, in qua materiae ventilantur, priusquam in conſiſtorio proponantur.

§. DXV.

2) Rota romana.

Rota Romana *eſt ſupremum pontificis tribunal, quod cognoſcit cauſas vtriusque fori, eccleſiaſtici* quidem ex vniuerſo orbe catholico huc delatas; *temporalis* vero ciuiiis tantum cauſas territorii pontificii. Eius tam adpellatio, quam origo admodum eſt ambigua. Rem tamen antiquiſſimam eſſe dubio caret.

Quoad rotae adpellationem diuerſae ſunt opiniones. Dvfresne *h. v.* dictam putat a loco. Card. de Lvca *in theatr. verit. et iuſt. tom. VII.* et *in relat. cur. rom. diſcurs.* 32. ab eo quod auditores eiusdem menſae circulari adſideant: alii aliunde. Elegans eſt Boehmeri *exercit. XVII. ad pandect. §.* 10. coniectura, a germanico *Rath* deducentis. Sed nec de origine magis conuenit, quam Dvfresne

loc.

loc. cit. IOANNI XXII. adſcribit. conf. PIVS IV. *conſtit.* IN THRONO. PAVLVS V. *conſtitut.* VNIVERSI.

§. DXVI.

Eius indoles.

Ipſa rota 1) Celebratur in palatio cardinalis vicecancellarii (infr. §. 517) et quidem 2) Bis in hebdomade feria ſecunda et ſexta, 3) Exceptis feriis natalis domini, antecineralium, paſchalibus, et aeſtiuis 4) quarum ratione ſingularis eſt ſtylus cauſae *ad calendas*, *ad reges*, *ad piſces*, *ad agnos* dilationem ſignificandi. 5) Cauſa tractanda ciuilis ſummam quingentorum aureorum excedere: beneficialis viginti quatuor aureos adaequare debet. 6) Adpellationi locus nullus eſt, quia rota tribunal ipſius pontificis conſtituit.

§. DXVII.

Auditores rotae.

Quod *auditores* ſeu *iudices* rotae attinet 1) Iuris doctores et profeſſores ſint neceſſe eſt, honeſti inſuper et pii, qui adſumuntur publica diſputatione et examine, quod quisque ſubire a vicecancellario (ſupr. §. 516.) cogitur, cui et iuramentum praeſtare tenentur. IOANN. XXII. *conſtit.* RATIO IVRIS et MARTIN. V. *conſtitut.* IN APOSTOLICA. 2) Illorum numerus ad duodecim eſt reſtrictus. 3) Quorum vnus eſt germanus, quem imperator nominat: vnus gallus a rege galliae deſignandus: hiſpani duo a rege catholico conſtituendi;

di; reliqui omnes ſunt itali, romani tres, vnus venetus, bononienſis vnus, vnus mediolanus, atque item florentinus, denique ferrarienſis vnus. Mediolanenſes tres, veneti quatuor nominant, ex quibus arbitrio ſuo papa eligit. Sixtvs IV. *conſt.* Romani Pontif. 4) Ad inſulas promotorum officia hoc ipſo vacant. Innocent. VIII. *conſt.* Circvmspecta.

§. DXVIII.

Modus procedendi.

Sunt porro auditorum claſſes tres, quatum quaelibet complectitur auditores quatuor. Eorum vnus *ponens* dicitur, ceteri *correſpondentes.* Ordo iudicii hic propemodum eſt. 1) Factum ipſum elaboratur a *procuratoribus rotae*: momenta cauſae *advocati* elaborant; atque auditores vnius claſſis ſuffragia laturos in omni cauſa informant. 2) qua ſatis cognita quisque horum votum ſuum rationibus munitum ponenti communicat, 3) quae ſi contingat eſſe diſperſa, iterum atque tertio cauſa examini ſubiicitur 4) Sententiaque fertur. 5) Quaſi quis iuſto magis ſe oneratum opinatur ab vna auditorum claſſe ad alteram, ab hac porro ad tertiam adpellare poteſt.

§. DXIX.

3.) Signatvra Ivstitiae.

Signatvra Ivstitiae eſt illud *tribunal, ad quod pertinent omnes cauſae adpellatione in-*

Digitized by Google

indigentes, eum in finem erectum, vt non tam de cauſae adpellabilis meritis, quam de ipſa adpellatione, an ſit admittenda, et de gradu adpellationis *cognoſcatur*, ſub quibus clauſulis ſit concedenda. Quare cum conſtat, cauſam non eſſe adpellabilem, vel illam aliunde a iure competere, hoc tribunali opus non eſt. Componitur ex *cardinali praefecto*, duodecim *praelatis votantibus* et aliis, qui proponunt cauſas in ſignatura reſoluendas, et *ponentes* dicuntur. Cauſa propoſita ſuffragio praelatorum atque eam proponentis dirimitur.

Ceterum proponi hic poſſunt omnes cauſae pro obtinenda adpellatione, exceptis illis, quae deciduntur iis in tribunalibus, de quibus dicunt, quod *ſignaturam in ventre habeant*, hoc eſt propriam ſignaturam, cuius generis ſunt congregationes concilii, epiſcoporum, regularium, rituum.

§. DXX.

4.) SIGNATVRA GRATIAE.

SIGNATVRA autem GRATIAE eſt *tribunal eum in finem erectum, vt in eo proponi poſſint, negotia et cauſae, quae ex natura ſua non patiuntur, vt rigori iuris ſubiiciantur; ſed veluti de plano decidi debent.* Et ideo *gratiae* dicitur, vt ab illa *iuſtitiae*, in qua ſecundum normam *iuris ſtricti* proceditur, diſtinguatur.

Ita in hoc iudicio petitur e. g. vt liceat aliquam cauſam adpellabilem in quodam iudicio proponere cum clauſula: *adpellatione remota*: vt a cauſa non adpellabili adpellare concedatur: vt exemtio cuiusdam ordinis aut monaſterii reſigatur, et genera-

ratim, vt gratia vel prouiſio ad terminos iuris, eam de medio tollendo, ac ſi nunquam emanaſſet, reducatur, et ita tertio ius quaeſitum auferatur.

§. DXXI.

5.) Poenitentiaria.

Poenitentiaria *romana* eſt *tribunal, eum in finem inſtitutum, vt poenitentes, qui incurrunt in aliquod crimen papae reſeruatum, abſolui, et a quocumque impedimento canonico liberari poſſint in foro conſcientiae tantum.* Eius caput *poenitentiarius maior* vocatur, cui, ſi de abſoluendis tantum peccatis papae reſeruatis agatur, ſubſunt *poenitentiarii minores* in tribus eccleſiis patriarchalibus *vaticana, lateranenſi, et S. Mariae maioris* conſtitui ſoliti. Quodſi ſupplicationes audiendae ſuper petitis abſolutionibus, et diſpenſationibus, praecipue abſentium ab vrbe, et cauſae eum in finem cognoſcendae, vt litterae diſpenſatoriae in forma debita expediantur, tunc ad iudicium hoc pertinent *regens, datarius, corrector, ſigillator,* duo *conſultores,* quorum vnus *theologus,* alter *canoniſta* inſignis, atque *ſex miniſtri,* tres videlicet *procuratores,* et tres *ſcriptores.*

Vid. Pivs IV. *conſt.* in Svblimi, Pivs V. *conſtit.* in omnibvs, Vrbanvs VIII. *conſt.* Regimini, Ivlivs III. *conſt.* Rationi congrvit. Negotia, quae huc pertinent, ſunt, diſpenſationes ſuper irregularitatibus ex homicidio, defectu natalium venientibus: reconualidationes matrimoniorum cum impedimento dirimente, ſed occulto, con-

contractorum; item prouiſiones beneficiorum ſimoniace obtentorum, abſolutiones a cenſuris, ac licentiae, quibus religioſis conceditur poteſtas ab vna religione ad aliam, et ab hac iterum ad ſuum grēmium tranſeundi. Poſtquam cauſa fuit diſcuſſa, expeditur reſcriptum, et quidem ſub nomine poenitentiarii maioris, ac in forma commiſſionis ad tertium dirigitur ſub formula conſueta, vt ſuper irregularitate, vel impedimento diſpenſet, et a crimine abſoluat.

§. DXXII.

6.) DATARIA.

DATARIA eſt *tribunal pontificis, in quo gratiae ab eo conceſſae explicantur et expediuntur.* Officiales huius collegii principales ſunt *datarius*, ſeu *prodatarius*, ſi ſit cardinalis, *ſubdatarius*, et *officialis per obitum*, quibus plures ſubſunt alii. Veriſimile eſt, hoc collegium eo tempore primum exortum fuiſſe, quo pontifices innumera beneficia reſeruabant, vel per gratias exſpectatiuas conferebant; tum enim neceſſarium videbatur, miniſtrum conſtituere, qui tempus *datae*, vel *ſignatae* adcurate notaret, vt quae gratiae ſint anteriores, quae poſteriores ad conſequendum effectum conſtaret.

Ad hoc autem collegium pertinent collationes beneficiorum reſeruatorum, aut adfectorum, reſeruationes penſionum, diſpenſationes matrimoniorum, irregularitatum, natalium, aetatis, placita papae ſuper alienatione bonorum eccleſiaſticorum, eccleſiarum uniones, diuiſiones, ſuppreſſiones, coadiutoriae, diſpenſationes de votis, et iuramentis, confirmationes ſententiarum. Paucis:

cis: omnia illa, in quibus papa gratiam concedit, in hoc ſunt expedienda.

§. DXXIII.

7.) Cancellaria.

Cancellaria eſt *collectio perſonarum deſtinatarum ad conficiendas, ſcribendas, et expediendas litteras apoſtolicas.* Origo huius officii in curia romana ad Innocentium III. refertur, cur hodie cardinalis, qui cancellariae praeeſt, non *cancellarius*, ſed *vicecancellarius* duntaxat adpellari ſoleat? non ſatis liquet. Eo *inſpectore* omnia negotia *tam publica*, quam *priuata* expediuntur. Plures habet ſub ſe officiales, in duo collegia diſtributos, quorum vnum *de maiori banco*, alterum *de minori* dicitur: vtriusque munus eſt, ſoluere dubia ſuper quaeſtionibus in expeditione bullarum oriri ſolitis, vt ſcriptores paſſim docent.

§. DXXIV.

Regvlae Cancellariae.

Habet curia romana, quo nomine nobis veniunt cancellaria, et reliqua hactenus recenſita tribunalia, ſuas ordinationes, quas ſinguli pontifices recens electi his tanquam normas, et regulas in negotiis eo pertinentibus obſeruandas praeſcribunt. Vocari vulgo ſolent *regulae cancellariae*, quae in curia romana ius locale faciunt, vt officialibus in ea

Digitized by Google

agentibus ſecundum illas tum in obſeruanda forma iudicii, quam decidendis cauſis ſit procedendum.

Initium et originem debent IOANNI XXII. qui per illas non niſi modum praeſcribi voluit, quo expeditiones in curia romana fierent. Verum eius ſucceſſores, praeſertim NICOLAVS V., *rerum beneficialium*, *reſignationum* et *diſpenſationum iura* ſub illis regulis comprehendi voluerunt. Tradunt doctores earum vim vna cum pontifice exſpirare, et ideo ſede papali vacante non obligare: ſolere autem pontifices neo-electos poſt unum alterumue diem illas de nouo reaſſummere, et prout libuerit, reſtringere vel augere. In eas breuiter commentatus eſt PLETTENBERG *in notit. congreg. tribun. cur. rom. cap. XII.*

§. DXXV.

V.) CONGREGATIONES CARDINALIVM.

Ex eadem ratione, qua curiam romanam ad fontes iuris canonici nouiſſimi retulimus, huc referri merentur CONGREGATIONES CARDINALIVM, quae nihil aliud ſunt, quam *certa collegia a pontificibus erecta ad certa negotia peragenda et ſub forma iudicii per cardinales potiſſimum decidenda.* Et quia aliae ſemel conſtitutae perpetuo fixae et ſtabiles manent, aliae pro negotiorum varietate eriguntur et intereunt, illas *ordinarias*, has *extraordinarias* recte dixeris.

Huius exemplum eſt congregatio ſuper negotiis extinctae ſocietatis ieſuitarum. Ceterum nobis animus non eſt de ſingulis agere, ſed de iis tantum, quae rationem habent ad vniuerſam eccleſiam.

§. DXXVI.

Digitized by Google

§. DXXVI.

1.) *Congregatio inquiſitionis.*

In his eminet *congregatio S. officii* ſeu *inquiſitionis.* Eam conſtituunt *cardinales* a pontifice eo numero, quo ipſi viſum fuerit, electi, dein quam plurimi praelati, aliique theologi diuerſorum ordinum, quandoque non nulli clerici ſeculares, qui omnes dicuntur *conſultores S. officii*, quos inter locum habet magiſter generalis ordin. praedicat. et magiſter ſacri palatii eiusdem ord., atque unus ex ordine minorum conuentualium. Porro *officiales* alii, qui iurisdictionem exercent, et proceſſus peragunt. Horum primus eſt *commiſſarius ſacri officii* ex ord. praedicat. alter *adſeſſor S.* officii. Demum inferiores quidam miniſtri, vt *fiſcalis*, *notarius*, et alii. Inter negotia, quae huc pertinent, praecipua ſunt omnia dicta, ſcripta aut facta contra religionem admiſſa, quorum rei huc citantur, examinantur, et eo rigore condemnantur, de quo in *lib. V. decretal. ad tit. de haeretic.* ſatis multa diximus.

Vid. Pivs IV. *conſtit.* cvm nos. Pivs V. *conſtit.* sanctissimvs, et inter, et cvm felicis. Sixtvs V. *conſtitut.* omnes, et immensa.

§. DXXVII.

2.) *Congregatio indicis.*

Vicaria huius a Sixto V. conſtituta eſt, *congregatio indicis* eique curam reuiſionis et

prohibitionis librorum demandauit. Conſtat numero *cardinalium* pro papae beneplacito. Habet *ſecretarium* ex ord. S. Domin. qui vna cum *cardinale praefecto* decreta congregationis ſignat. Praeterea habet perpetuum et fixum *conſultorem* magiſtrum S. palatii. Hiſce accedit magnus numerus theologorum aliorumque doctorum, qui nomine *conſultorum* veniunt.

Reliqua diximus in *lib. V. decretal. loc. cit.*

§. DXXVIII.

3.) *Congregatio ſuper negotiis epiſcoporum et regularium.*

Inter celebriores pontificis congregationes recenſenda eſt *congregatio ſuper negotiis epiſcoporum, et regularium.* Inſtituta eſt a SIXTO V. et quia non niſi ex cardinalibus conſtat, *cardinalitia* dicitur. Eam *occupatiſſimam atque in negotiorum multitudine omnium maiorem ob faciles recurſus, querelas et contentiones adpellat card. de* LVCA. *Quid enim frequentius* (ait GREGOR. ZALLWEIN) *quam lites et controuerſiae inter ipſos ordines religioſos ſuper praecedentiis, priuilegiis et iuribus: inter epiſcopos et regulares ſuper exemtionibus: inter abbates et clericos ſeculares ſuper iuribus parochialibus, decimis, &c. inter ſuperiores regulares et ſuos ſubditos? Princip. iur. eccleſ. tom. II. quaeſt. III. cap. VI. §. I.*

Vid. SIXTVS V. *conſtitut.* IMMENSA.

§. DXXIX.

Digitized by Google

§ DXXIX.

4.) *Congregatio rituum.*

Eidem Sixto V. in acceptis referri debet *ſacra congregatio rituum*, inſtituta eum in finem, vt omnia in diuinis officiis, ſacramentorum adminiſtratione, atque Dei cultu rite, et religioſe peragantur, nihilque in cerimoniis irreligioſum, et indecens occurrat, in qua, quae excutiuntur, *ordinaria* dicitur, a qua differt *extraordinaria*, quando de negotio quodam grauiori, veluti de canonizatione ſanctorum agitur. *Ordinariam* conſtituunt *cardinales* pro nutu papae adſumendi. Primus et ſecundus *magiſter papae*, *promotor fidei*, *ſacriſta papae*, vnus *proto- notarius apoſtolicus*, et dein *ſecretarius congregationis*. *Extraordinariae* accedunt praeter hos *ſex conſultores* praelati et viginti alii conſultores theologi. Cauſae huc pertinentes aut *contentioſae* ſunt, aut *gratioſae*. Ad illas pertinent quaeſtiones de praecedentiis clericorum ſecularium et regularium in functionibus publicis etc. ad has vero adprobatio officiorum, conceſſio facultatum miſſas ſub ritu duplici etc. aut octaua celebrandi, dubia cerimonialia, etc.

Vid. Sixtus V. *conſtit. cit.* Benedict. XIV. opus praeclarum *de beatific. ſanct.*

§. DXXX.

5) *Congregatio immunitatis eccleſiaſticae.*

Huc etiam pertinet *ſacra congregatio im*-

munitatis eccleſiaſticae , *et controuerſiarum iurisdictionalium* erecta ab Vrbano VIII. *Officialium* quatuor ſunt ſtabiles, *ſecretarius*, vnus ex auditoribus rotae romanae, vnus ex praelatis clericis camerae, et *aduocatus fiſcalis*. Huc pertinent cauſae immunitatum, vel iurisdictionum eccleſiaſticarum. Modus introducendi cauſas in hoc tribunal ad modum variat, vt adeo nihil certi dici poſſit.

Vid. Bvlla quae incipit: *romanus pontifex* n. 270. *in bull. mg. T. V.*

§. DXXXI.

6) *Congregatio de propaganda fide.*

Conſequitur ſacra congregatio *de propaganda fide*, in qua cauſae *ad miſſiones ſacras* pertinentes more iudiciorum peraguntur. Componitur vt plurimum perſonis *decem* aut *duodecim*, cui *cardinalis praefectus*, veluti totius congregationis caput, praeeſt, quamquam certus perſonarum numerus non ſit definitus.

§. DXXXII.

7.) *Congregatio cardinalium concilii tridentini interpretum.*

Praetermiſſis aliis minoris momenti congregationibus praecipuam adtentionem meretur *congregatio cardinalium interpretum concilii tridentini.* Auctor eius Pivs IV. quum enim ſtatim a finito tridentino concilio quam ſaepiſſime circa interpretationem ſanctionum eius

Digitized by Google

eius concilii orirentur dubia, quae priuatis doctoribus interpretando tollere prohibitum fuerat, neque ei negotio vnus pontifex ſibi videretur ſufficere, eam prouinciam inſtitutae a ſe congregationi demandauit, illorum praeſertim cardinalium, qui ipſi interfuerant concilio eum in finem, vt licet penes ipſos non eſſet poteſtas interpretandi et dubia decidendi, ſuper quibus ad ſe fieri relationes voluit, nihilominus executionem et obſeruantiam illorum decretorum in ſe ſuſciperent.

PIVS IV. *conſtit.* ALIAS NOS. Mens igitur non fuit S. pontificis, vt poteſtatem omnem interpretandi concilii huic congregationi demandaret, ſed vt interpretationis a ſe factae executioni ea congregatio operam ſuam impenderet. Quamquam negandum non ſit, quod praeter voluntatem pontificis, eam ſibi non raro adrogauerint poteſtatem. vid. CARD. DE LVCA *adnotat. ad concilium trident.*

§. DXXXIII.

Cuius poteſtat[illegible]n ampliauit SIXTVS V.

Paullo ampliorem huic congregationi poteſtatem poſtea contulit PIVS V. Denique SIXTVS V. conſtitutione IMMENSA, eam vim dedit, ut in dubiis circa reformationem morum, et diſciplinam verſantibus plenam haberet poteſtatem, ea tamen conditione, vt *eiusmodi declaratio fiat conſulto pontifice.* At, quod dogmata adtinet, vetus PII IV. conſtitutio in vigore retenta eſt.

Quod ad perſonas hanc congregationem conſtituentes pertinet, eas nouimus omnes, excepto *ſecretario*,

eſſe *cardinales*, quibus omnibus praeeſt *cardinalis praefectus*, cuius ſubſcriptione omnes declarationes munitas eſſe oportet. Demum et ſecretarii congregationis ſubſcriptionem adeſſe oportet, ſubſignationemque fieri ſigillo congregationis proprio, adeo, vt ſi haec non adſint, fidem nullam mereatur. vid. declarat. ſub Vrbano VIII. 2. *Auguſt. an.* 1632. Solide et erudite hanc materiam de congregationibus cardinalium tractat *Jacobus* Cohellivs *de not. card.*

CAPVT VI.

DE AVCTORITATE ET VSV IVRIS ECCLESIASTICI.

§. DXXXIV.

Vſus et auctoritas iuris canonici determinatur.

Cum de auctoritate et vſu iuris eccleſiaſtici nobis ſermo erit, id ſolum agemus, vt earum *partium iuris*, quae *corpore* noſtro continentur, quae iuris *nouiſſimi* nomine veniunt, iusque *nouum eccleſiaſticum* conſtituunt, vt et earum, (de quibus in *cap. IV. et V.* egimus) quae ſit auctoritas, quisue rectus earum vſus exponamus.

Vid Ios. Ant. Rieggeri *filii mei* dissertat. *de recept. corp. iur. canon. in German.* quam *opuſculis* ſuis inſertam inuenies.

§. DXXXV.

§. DXXXV.

I) *Ex receptione decreti* Gratiani.

A *decreto* Gratiani faciamus initium, quod ab origine ſua ſummam mox *in ſcholis* auctoritatem obtinuit. Quo enim tempore ius romanum in ſchola bononienſi reuiuiſcere coepit, ſcilicet anno 1151., Evgenivs III. *papa* decretum iſtud magna cum ſui commendatione ad ſcholam illam tranſmiſit, atque, *vt publice praelegeretur, expreſſe indulſit*, porro *decreti doctores legiſtis* exaequari, imo etiam his illos *tanquam digniores, propter diuinum ius, quod pertractant*, praeferri voluit. Quare facile iudicatu eſt, cur iuuenes, qui ex Germania cateruatim Bononiam migrauerant, vel alterutrum, vel vtrumque doctoris gradum ambientes, Gratiano tantum tribuerint.

Vid. *Calendar. archigym. bononienſ. ad an.* 1153. *die* 7. *Martii ap.* Alex. Machiavell. *in notis ad* Carol. Sicon. *hiſtor. bonon. lib. III. in opp. tom. III.* Ipſe Fridericvs. Imp. filium ſuum Henricvm *apoſtolicis inſtitutis et legibus imperatoriae maieſtatis* erudiri curauit. Alberic. Monach. *in cron. ad an.* 1186.

§. DXXXVI.

Et in ſcholis, et in foro.

Nam et imperatores, et principes, tum ſeculares tum eccleſiaſtici tantum decretiſtis tribuerunt, vt et conſiliis eorum in adminiſtranda republica vſi fuerint, et ipſum iuris

dicendi officium eorum prudentiae commiſerint. Inde ex ſcholis in fora penetrauit Gratiani auctoritas, eo ſucceſſu, vt publicis etiam imperatorum conſtitutionibus confirmaretur.

FRIDERICVS II. publico imperii ordinum conſenſu circa annum 1235. vel 1236. ita conſtituit: Wir gebieten auch feſtiglich, daß man in allem römiſchen Reich an geiſtlichen Dingen, (*in iudiciis eccleſiaſticis*) nach Gebot, und nach Rath des Erzbiſchofs ſich halt, und der Biſchof und der Erzprieſter nach geiſtlichem Recht. Vid. *corp. receſ. imp. Senkenberg p. I. p.* 24. Quae verba legis de decreto Gratiani accipienda eſſe, temporis ipſius rationes ſuadent: Eam confirmauit RVDOLPHVS *Imp.* anno 1281. *ap.* LEHMAN *in chron. ſpirenſ. lib. V. cap.* 108. Plura alia tam publica quam priuata monumenta in hanc rem collegit BOEHMER. *ad tit. de conſtit.* §. 32.

§. DXXXVII.

II. *Ex receptione decretalium* GREGORII IX.

GREGORII IX. *decretales* Pariſiis primum anno 1234., tum Bononiae anno 1235. publicatae, ibidem anno 1241. publice doceri coeperunt. Quod exemplum erectae poſtea ſcientiarum vniuerſitates ita imitatae ſunt, vt in omnibus academiis decretales, auctoritati ſedis romanae innixae, praerogatiuam obtinuerint, et iam non *decretiſtarum*, ſed *decretaliſtarum* nomina in ſcholis audita ſint. Mox in iudiciis earum capitula adlegata, et ex iis iura fuiſſe deſumta legimus.

Quam

Digitized by Google

Quam in rem expreſſa longeque clariſſima Specvli Svevici *verba* praeſto ſunt: Und als die Päbſt und Kayſer zu Concilien und zu Hofen habent geſetzt und geboten aus dem Decret und Decretal. Wann aus den zweyen Büchern nimbt man alle die Recht, der geiſtlichen und weltlichen Gerichte bedarf. *Lib. I. cap. V. tom. II. corp. iur. german. Senkenberg. p. 15. in not.*

§. DXXXVIII.

III. Bonifacii VIII. Clementis V. *et extrauagantium.*

Facilius adhuc reliquae corporis iuris partes, via planiore, et, receptis potiſſimum decretalibus, patefacta, in vſum deductae fuerunt. Haud improbabile eſt Lvdovicvm *Bauarum* in decreto renſenſi an. 1338. non ſolum decretum, decretales, ſextum Bonifacii VIII. ſed ipſas etiam clementinas deſignaſſe, dum ad *teſtimonia vtriusque iuris caeſarei atque pontificii coeleſtis theſauri* prouocat, *ap.* Melch. Goldast. *conſtitut. imp. tom. III. p.* 409. Iſtud vero certiſſimum, libros iſtos partem omnino corporis iuris fuiſſe ſeculi XV. initio, cum eos anno 1416. in auiſamentis, vt dicuntur, conſtantienſibus pro veris et genuinis eiusdem libris haberi intelligimus. *ap. eund. ibid. tom. IV. claſ. I. p.* 151. Et poſtquam bullae, quas *extrauagantes* dicimus, in ipſis his auiſamentis, et frequentiſſime in iudiciis adferri coeperunt, accidit, vt ſenſim ipſi corpori iuris accederent, et ad eam, qua nunc pollent, auctoritatem eueherentur. *ap.* Goldast. *loc. cit. p.* 161.

§. DXXXIX.

Digitized by Google

§. DXXXIX.

Quod imperatores ſuis conſtitutionibus confirmarunt.

Totum denique iuris canonici complexum, prout hodie conſpicitur, MAXIMILIANVS I. in ordinatione camerali anno 1495. prae oculis habuiſſe, non ſine ratione cenſendus eſt: quum ſaepius ibidem des Reiches gemeine Rechte occurrant. In receſſu imperii ſpirenſi de anno 1529. §. 39. haec verba notatu digniſſima deprehendimus: Wiewohl in gemeinen Rechten geordnet und verſehen (*de apoſt. et reiterant. baptiſ.*) daß keiner ſich zum zweytenmal taufen laſſen, und fürnämlich in keiſerlichen Geſäzen bey Straf des Todts verbotten (*cod. ne ſacr. bapt. reiter.*) In quo, quemadmodum et aliis imperii legibus de contractu foenebri agentibus ſemper iuris communis nomine ius canonicum comprehendi certum eſt. Vt adeo pleniſſime his omnibus ſuffragetur ordinatio conſilii imperialis aulici: So ſollen auch unſere kaiſerliche Wahl-Kapitulation — das corpus iuris ciuilis et CANONICI und der Stände Privilegia auf der Reichshofrathstafel, damit man ſich deren in zweyfelhaften Fällen gebrauchen könne, ſtets vorhanden ſeyn. *tit. VII.* §. 24.

Vid. *corp. receſſ. imp.* SENKENBERG *tom. II. p. 6. ſeq. p.* 302. *p.* 340. 596. *tom. III. p.* 298. 386. 660. *tom. IV. p.* 74.

§. DXL.

§. DXL.

Adeoque auctoritatem iuris canonici ex libera receptione.

Ex quibus iam ſatis manifeſtum eſt, iuris canonici eadem in Germania fata fuiſſe, quae iuris ciuilis romani, atque omnem illius peraeque ac huius obligandi efficaciam, auctoritatem omnem EX RECEPTIONE LIBERA dimetiendam eſſe. Iſtud quoque ex receptionis huius hiſtoria et imperii legibus intelligitur, vtrumque ius, canonicum et ciuile, tanquam ius ſubſidiarium ad utrumque forum, eccleſiaſticum et ſeculare, pertinere; neutrius vero in tantum valituram auctoritatem, vt legibus diuinis vel naturalibus vel poſitiuis vel minimum derogare poſſet.

Cum ergo de genuina regiminis eccleſiaſtici forma, de poteſtate eccleſiaſtica, in ſpecie pontificis ac epiſcoporum quaeritur: Cum de ciuitatum natura, iuribusque eſſentialibus diſputatio inſtituitur: Cum mutua et primaeua ciuitatis in eccleſiam, et eccleſiae in ciuitatem iura inueſtigantur, caue, ne corpora iuris euoluas, inque iis deciſiones eiusmodi quaeſtionum quaeras, ni ludibrio eruditis te exponere volueris: Etenim hae quaeſtiones iuri naturali, ſacris dein litteris, atque diuinis traditionibus, infallibili totius eccleſiae iudicio explicatis, vnice innituntur.

§. DXLI.

Tum in negotiis publicis.

Quid, quod neque eo pertingat iuris canonici aut ciuilis auctoritas, vt *negotia Germa-*

ma-

maniae publica inde regulas accipiant: Iſta enim praeter *ius publicum vniuerſale*, et *imperii leges fundamentales ſcriptas* et *non ſcriptas* ius aliud nullum agnoſcunt.

Quid enim? dicemusne pontifici competere ius ſede imperatoris vacante, vicarios conſtituendi? *cap. vn. ne ſed. vac. extrauag. Ioan. XXII.* deiiciendi de ſede imperatores? *cap. 2. de ſent. et re iud.* examinandi perſonae electae dignitatem? *cap. 34. de elect.* aliaque eius generis. Quamquam id haud negem, et vſus quotidianus teſtetur, ea, quae de electione canonica inſtituta et quatenus recepta ſunt, ea ſaltim ratione in publica Germaniae negotia influere, vt legitimi eccleſiaſtici principes etiam publicis in negotiis non habeantur, niſi ſecundum canones ſint electi.

§. DXLII.

Quam priuatis dimetimur.

Quod vero *ad cauſas priuatas* adtinet, iſtud quoque nimium eſſe puto, quod multis placet, eam receptionem ita intelligendam eſſe, vt ius canonicum etiam prae moribus patriis et inueteratis conſuetudinibus valere exiſtimemus. Id potius leges imperii, quae hanc receptionem confirmant, id quotidiana praxis nos docet, veriſſimam eſſe eorum ſententiam, qui *iuris canonici receptionem, etiam in priuatis cauſis, non niſi ſaluis maiorum moribus et iuribus et priuilegiis porro eccleſiae cuiusuis particularis intelligunt, niſi cum vſus diuturnus in contrarium ius abiit.*

Quam-

Quamuis enim non neſciam, cleri auctoritate iuris canonici in foro, in iudiciis frequentem vſum fuiſſe, is tamen hoc non efficit, vt praevaleat moribus antiquis, atque ea ratione *ſubſidiarium ius* recte adpellemus, quod in caſibus vſum habet, cum ius patrium et antiquum deficit. Hanc ego puto eſſe rationem, cur toties diuerſisque in cauſis contra ius commune canonicum ad conſuetudinem, et mores antiquos prouocetur. vid. *corp. iur. eccleſ. auſtr. pag.* 445. *tit.* von Zehenden

§. DXLIII.

Sed iuris canonici ſanctionibus ius ciuile poſtponimus.

Ceterum iſtud ſatis certum et expeditum eſſe exiſtimo, *iuris canonici ſanctiones in vtroque foro*, ciuili nempe et eccleſiaſtico *iuri ciuili* REGVLARITER *et in dubio praeferendas eſſe.* Etenim hanc vniuerſam iuris noſtri praerogatiuam non ſolum circumſtantiae, quae receptionem eius comitabantur, confirmant, ſed et quotidiana praxis, quae in plerisque et praecipuis materiis canones legibus praefert, id ipſum euincit.

Cum iam ſeculo XIII. XIV. et XV. pleraeque in Germania academiae erigerentur, in iis quidem vtrumque ius tam canonicum quam ciuile expoſitum eſt, ita tamen, vt illud principatum teneret. Hinc primis inſtitutarum academiarum temporibus ius ciuile vel a candidatis iuris et baccalaureis extra ordinem praelectum, vel a profeſſoribus iuris canonici ordinariis ſimul videtur explicatum fuiſſe. Quis vero ignorat, ex ſcholis in fora tranſiiſſe iuris canonici vſum? vid. Io. Ernest. Floercke *de praerogat. iuris. canon. prae iuſtinian. Halae* 1757.

§. DXLIV.

§. DXIV.

Et regulas quasdem tradimus.

Ex quibus nullo negotio intelligitur: 1) ſi canon colliditur cum lege, et vtrumque ſit clarum ius, in vtroque foro canon (ſup. §. 543.) vim poteſtatemque obtinet, niſi de contrario manifeſte conſtet 2.) Quodſi alterum clarum et euidens ſit, ambiguum et obcſurum alterum, tum quia vnum et alterum in vtroque foro eſt receptum, ſequimur id, quod perſpicuum eſt. *Sicut* enim *leges non dedignantur ſacros canones imitari, ita et ſacrorum canonum ſtatuta principum conſtitutionibus adiuuantur cap.* 1. *de n. o. n.* 3.) *liber ſeptimus* dictus, *decretalium* PETRI MATHAEI, *et inſtitutiones* PAVLI LANCELLOTI; *nullam* omnino *habent auctoritatem legalem*; hiſce enim compilationibus, poſt factam demum reliquarum receptionem corpori iuris inſertis, nulla ſuffragatur receptio.

Quod adtinet, regulam primam, legeſis interea *c.* 4. *de arbitris*, cuius deciſio principiis iuris romani contraria moribus noſtris autem adprime conformis in germania praeualet.

§. DXLV.

Vulgares autem canoniſtarum.

Reſtat, vt eorum, qui de vſu et auctoritate iuris canonici aliter ſentiunt, opiniones breuiter expendamus. DECRETALES, aiunt, ex ipſa ſua collectione, publicatione et adprobatione, vtpote ab ipſis pontificibus facta quoad cauſſas eccleſiaſticas in vtroque foro, quoad ciuiles in eccleſiaſtico ſaltem vim legalem abſolutam et vniuerſalem pro omnibus regnis prouinciis et eccleſiis habere: GRATIANI vero

ro

ro *laborem primatum* nulla per ſe vi legali pollere; ſed omnem eius auctoritatem ex conuenientia cum fontibus aeſtimandam, eique ex hoc eundem, quem fontibus, ex quibus hauſtum eſt, valorem tribuendum eſſe.

DXLVI.

Reiicimus.

Verum enimuero inanis hic eſt verborum adparatus, precariis ſane principiis innixus. Quid enim ſi negemus, pontifices vnquam aut *voluiſſe* aut *potuiſſe* ſuarum decretalium collectiones, vt libros legales, orbi catholico obtrudere? Equidem ad academias bononienſem et pariſienſem easdem multis elogiis et commendationibus transmiſerunt ſaepius; Aſt de promulgatione *legitime* facta hic quaeritur: Et demus etiam de eo dubium nullum ſupereſſe: an tanta, qua facile caruiſſemus, legum congeries tribunalia occupare, et obſtringere potuit absque principum et epiſcoporum examine atque conſenſu?

§. DXLVII.

Idem.

Quodſi ergo decretalium collectiones vim ſuam legalem non niſi a libera receptione obtinere potuerunt; Gratiani autem decretum eadem prorſus ratione, quin et prius multo, vt ſupra oſtendimus, receptum eſt: cur iam publicae auctoritatis defectus ei obiiciatur,

Digitized by Google

non video. An maiorem fuiſſe Iuſtiniani in Germania auctoritatem exiſtimamus, quam Gratiani? Non puto; Et tamen nemo hactenus ſomniauit aut pandectarum aut totius denique iuris ciuilis romani auctoritatem ad fontes, vnde caput quoduis deſumtum eſt, reducendum eſſe.

§. DXLVIII.

Ex his principiis I. BVLLARII MAGNI.

Nunc quiuis, me etiam non monente intelliget, quid de vſu et auctoritate aliarum iuris canonici nouiſſimi partium ſtatuendum ſit. Quod *Bullarium magnum* adtinet, id plus ponderis non habet, quam ipſe bullae ſingulae, queis exceptiones non factae promulgationis debitae, aut receptionis denegatae, aut ſubſequentis abrogationis plerumque obſtant.

§. DXLIX.

II. REGVLARVM CANCELLARIAE.

Regulae cancellariae in curia romana ius locale faciunt, vt officialibus in ea agentibus ſecundum illas tam in obſeruanda forma iudicii, quam decidendis cauſis ſit procedendum, recte, ſed fateamur oportet, extra curiam romanam nullius eas auctoritatis eſſe, niſi earum vnam alteramue vſu inualuiſſe legitime probari queat.

Hic

Hic non poſſum non adſcribere viri doctiſſimi et egregie cordati Gregorii Zallwein iudicium: *cauendum erit, ne cauſſa qualiscunque ad curiam romanam deuoluatur, quae procul dubio ſecundum ſuas regulas cancellariae ſententiam feret, etſi regula apud nos non obtineat, aut fortaſſis conſuetudo contraria vigeat. Verum an bene dubitare licet: — — De eo nobis minus eſt dubium, quod curia romana hiſce regulis non poſſit vti in praeiudicium concordatorum Germaniae, quia pacta ſunt ſeruanda. Princip. iur. eccleſ. tom. II. queſt. III. cap. III. §. VII.*

§. DL.

III. Decretalivm congregationvm Cardinalivm.

Idem ſtatuendum eſt de *declarationibus* diuerſarum congregationum cardinalium, praeſertim concilii tridentini interpretum. Quod enim aiunt, cardinales pleniſſimam poteſtatem interpretandi accepiſſe et quidem nomine pontificis exercendam, adeoque illorum declarationibus haud ſecus, quam pontificiis ipſis adſurgendum eſſe, id ſententiam noſtram ne tangit quidem. Etenim ipſorum pontificum conſtitutiones non aliter nos tenent, niſi debite promulgatae, vſu et conſuetudine receptae fuerint.

Aiunt quidem, ad legum interpretationem non requiri promulgationem, ſicut ad ipſas leges, quia declaratio legis non facit ius nouum, ſed ius antea latum ſolummodo declarat. Sed quis non videat hanc rationem diſparem inter legem et legis interpretationem eſſe prorſus inanem et ridiculam? Cum vtique idem ſit in iure *non eſſe* et *non adparere*. Aut quomodo me obligare poteſt lex, ſi illius ſen-

ſum non intelligam? De decretis congregationis indicis omnino hic legatur *laud.* ZALLWEIN *loc. cit. cap. VII. §. VIII.*

§. DLI.

IV. DECISIONVM ROTAE ROMANAE.

Deciſiones rotae romanae neminem quidem obligare niſi partes litigantes, fatentur omnes; ſed monent curialiſtae, ne, quem faciunt, *ſtylum curiae* temere negligant epiſcoporum tribunalia. Verum cordatiores ſalubriter monent, vt non facile ſequamur ſtylum curiae vel rotae romanae, tum praecipue, quando res nobis eſt cum pontifice, quia Romae communiter fertur ſententia in fauorem pontificis et iurium pontificiorum. Accedit, quod per receptionem huiuſmodi deciſionum ac ſententiarum plurimum praeiudicii adlatum fuerit iuribus noſtris patriis, prout haud difficulter oſtendi poſſet.

Ita *laud.* ZALLWEIN *loc. cit. cap. VIII. §. V.*

§. DLII.

Ac totius iuris eccleſiaſtici vſum et auctoritatem ſtabilimus.

His ita explicatis facile iam carebimus regulis illis, quae a decretaliſtis paſſim, ſed abſque vllo fundamento tradi ſolent, cum de vſu et adplicatione iuris canonici ſermones miſcent. Genuinas enim iam ſupra (§. 540. ſeq.) adtulimus, horum vero hominum abſur-

ſurdas opiniones, euerſo fundamento (ſup. §. 545. ſeq.) ſponte ſua collabeſcere omnes facile agnoſcunt.

Si cui tamen volupe ſit fabulas legere, is loco omnium adeat Schmalzgrveber. *ius. eccleſ. vniuerſ. diſſertat. praelim.* Atque haec ſunt, quae de collectionibus iuris eccleſiaſtici eiusque vſu diſſerere libuit.

Digitized by Google

INDEX

RERVM, et VERBORVM.

Vbi numerus 1mus paginam, et alter §phum denotat.

A.

	pag.	§.
Abrahamus religionem reuelatam num confirmauerit?	29.	39.
Abuſus, aut vſus rationis in religione eſtne vitandus?	24.	32.
Accidentalia religionis quaenam dicantur? vid. *religio.*		
Adamus, an primus religionem reuelatam acceperit?	28.	37.
Adminicula ſtudii canonici, quae et quot ſint?	327.	360.
Aera chriſtiana vbi incipiat?	355.	397.
Africanae eccleſiae codex quid?	395.	445.
Amortizationis lex an condi poſſit a principe?	320.	356.
Apoſtoli an acceperint a Chriſto poteſtatem eccleſiaſticam?	66.	82.
illorum canones an ſint genuini vid. *canones.*		
an ea in ſingulis fuerit aequalis?	67.	83.
eorum ſucceſſores qui ſint?	ibid.	84.
Ars critica quid?	362.	406.
quare in veteribus legendis ſit neceſſaria?	363.	407. ſeq.
regulae criticae quot et quae	367.	412. ſeq.
diplomatica numaria lapidaria an ſint adminicula iuris canonici	376.	423.
Auditor rotae quid?	444.	517.

B.

pag. §.

B.

Balſamonis collectio conſtitutionum eccleſiaſticarum quae? - - - - 411. 453.
Baptiſmus an ſit ianua ad religionem chriſtianam? - - - - - - 57. 70.
Baſileenſe concilium an fontem conſtituat iuris nouiſſimi? - - - - 436. 505.
Bellarmini argumenta de indirecta eccleſiae poteſtate in temporalia principum, quae ſint, et quomodo refutentur. 105.125.ſeq.
eius ſententia de ſuperioritate pontificis prae concilio oecumenico quomodo reuellatur? - - - - - 259.293.ſeq.
Boehmeriana collectio quae? - - 424. 484.
Bonifacii VIII. decretalium lib. VI. vnde originem habeat, et quomodo diuidatur? - - - - - 432. 496.
- - - - - - 497.
Bulla pontificia ſine placeto regio num promulgari poſſit? - - - 313.349.ſeq.
Bullarium magnum vnde ortum habeat? 438. 508.
quam habeat auctoritatem? 466. 548.
Burchardi volumen decretorum quid? 410. 461.

C.

Cancellaria quid? - - - - - - 449. 523.
eius regulae quae ſint? - - ibid. 524.
quam habeant auctoritatem? 467. 550.
Canones apoſtolorum an ſint genuini? 386.433.ſeq.
quae eruditorum de iis ſententia? 390. 439.
quae eorum auctoritas? - - 391. 440.
an idem ſint ac libri conſtitutionum apoſtolicarum? - - - - - 392. 441.
illorum collationes et compendia quae? 399. 450.
translatio priſca vnde orta fuerit ?397. 447.
Capitularia regum francorum quis collegerit? 418. 448.
quae eorum auctoritas? - - 417. 474.
Caracteres eccleſiae chriſtianae qui ſint? 55.67.ſeq.
Cauſae arduae ac maiores quae, et an hae romano pontifici referuentur? 265.298.ſeq.

Digitized by Google

	pag.	§.
Cerimoniae ſacrae quid, et an ſpectent ad cultum externum? - - - -	10.	13.
Ceremoniales leges mere religioſae an per Chriſtum abrogatae fuerint?	48.	59.
ſimul typicae an adhuc reduci poſſint?	49.	60.
Chriſtiana religio quid? vid. *religio.*		
Chriſtiani vnde ſic dicti. - - - -	51.	62. ſch.
Chriſtus an aliquando exſtiterit? - -	36.	47. ſch.
an nouam religionem condiderit?	38.	48. ſeq.
Chronologia quid, et an ſit adminiculum iuris canonici? - - -	350.	391. ſeq.
quae eius vtilitas? - - - -	351.	393.
quae eius ſint partes? - -	352.	394.
eius ſcriptores qui? - - - -	355.	398.
Circa Bernardi collectio quae? - -	424.	484.
Ciuilis imperii et ſacri quae ſit differentia eſſentialis? - - - -	93.	111.
Clementinae vnde ortum ducant?	432.	498.
an ſint in germania receptae?	459.	538.
Clerici quinam dicantur? - - - -	126.	144.
an eximantur imperio ciuili? vid. *perſona eccleſ.*		
Codex theodoſianus quid? - -	413.	465.
iuſtinianeus, et repetitae praelectionis?	414.	467. ſeq.
eccleſiae africanae? - - -	395.	445.
canonum vniuerſae eccleſiae?	396.	446.
canonum eccleſiae orientalis?	401.	452.
Collectio iuris canonici quomodo definiatur?	385.	431.
Dionyſii exigui quae? - -	398	448.
quando Carolo M. fuerit oblata et a quo? - - - -	406.	457.
an eius auctoritas in germania poſtea inualuerit? - - -	408.	458. ſeq.
Iſidori hiſpalenſis quae? - -	400.	451.
Iſidori peccatoris vel mercatoris quae, et vnde auctoritatem adquiſiuerit?	402.	453. ſeq.
an ſit ſpuria, et quomodo probetur?	405.	456.
conſtitutionum eccleſiaſticarum Balſamonis quae? - - - - -	411.	463.
Bernardi circa quae? - -	424.	484.
Boehmeriana quae? - -	424.	484.
Ioannis gallenſis quae? - -	426.	487.

In-

pag. §.
Innocentii III. quae? - - - - 416. 488,
Harduiniana quae? - - - - 425. 485.
Collectiones quomodo ortae fuerunt? 384. 430.
canonum in quot periodos diſtribuantur? 385. 432.
iuris eccleſiaſtici antiqui quot et quae
ſint? - - - - - - 386. 433. ſeq.
iuris noui? - - - - - 419. 477. ſeq.
iuris nouiſſimi? - - - - 436. 505. ſeq.
Communicatio ſeu ſtatus conſiſtorialis quid? 443. 517.
Communicationes cardinalium quae, et
quotuplicis ſint generis? - - - 450. 525.
earum deciſiones quam habeant aucto-
ritatem? - - - - - - 467. 550.
Compendia et collationes canonum quae? 399. 450.
Concilium quid? - - - - - 196. 229.
quotuplex? - - - - - 197. 230. ſeq.
quid reprobatum. - - - - 199. 233.
oecumenicum quid - - ibid. 233.
an ad id omnes fideles vocari debeant
an ſaltem epiſcopi? - - - 201. 234. ſeq.
an repraeſentet vniuerſam eccleſiam? 203. 236.
cuinam competat ius illud conuocandi? 204. 237.
an etiam principi? - - - - 206. 238.
an huius conſenſus ſit etiam hodie re-
quirendus? - - - - - - - 208. 239.
ius in eo praeſidendi cui competat. 211. 242.
an papa per legatum quoque praeſide-
re poſſit? - - - - - - - 211. 243.
qualis ſit huius iuris effectus? 213. 244.
an indigeat confirmatione pontificia? 215. 246. ſeq.
an ſit infallibile? - - - - 219. 251.
an ſubinde ſit neceſſarium? ibid. 252.
num alterum alteri deroget? - - 222. 256.
quis ius habeat in eo diſpenſandi? 223. 257.
quis illud autentice, quis doctrinaliter
interpretari poſſit? - - - - 224. 258. ſeq.
vnde definitiones ſuas hauriat? 217. 249.
eius ſtatuta quotuplicis ſint generis? 218. 250.
eius canones legitime promulgati an
obligent? - - - - - - - 220. 253.
an ſit ſupra pontificem? - - - 254. 290. ſeq.
quae ſit auctoritas improbatorum? 221. 254.

	pag.	§.
piſanum, conſtantienſe, et baſileenſe, an pertineant ad ius nouiſſimum.	436.	505.
tridentinum an fons ſit praecipuus iuris eccleſiaſtici nouiſſimi? - -	438.	507.
Concordata germaniae quid? - - -	437.	506.
Congregatio immunitatis eccleſiaſticae quid?	453.	530.
indicis quid? - - -	451.	527.
inquiſitionis quid? - -	451.	526.
rituum quid? - - -	553.	29.
Congregationum cardinalium declarationes cuius ſunt auctoritatis? - -	554.	532.
Conſenſus eccleſiae quomodo probetur?	229.	265.
quae eius auctoritas? - - -	228.	264.
an ſufficiat conſenſus tacitus?	230.	266. ſeq.
quae auctoritas in eo praecipue ſit attendenda? - - - -	232.	268.
an ab illo adpellatio locum habeat.	233.	269.
Conſequentia canonum quid? - -	393.	442.
an in eccleſia orientali alicuius fuerit auctoritatis? - - - - -	394.	443.
quando eius auctoritas in occidente inualuerit. - - - - -	395.	444.
Conſiſtorialis ſtatus, ſeu communicatio quid?	443.	517.
Conſiſtorium cardinalium quid ſecretum quid publicum? - - - - -	441.	511. ſeq.
Conſtitutiones pontificiae ex quibus fontibus promanent? - - - - -	235.	270.
an obligent epiſcopos receptae?	250.	284.
quomodo ſint promulgandae. -	ibid.	285.
an cum conſenſu principum? - -	251.	286.
an poſſunt praeiudicare iuri tertii?	252.	287.
an leges politicas corrigere queant?	ibid.	288.
quid ſi verſentur circa negotia mere ciuilia? - - - - - -	253.	289.
principum quam auctoritatem habeant in iure eccleſiaſtico? - -	288.	328. ſeq.
quid de conſtitutione interim ſentiendum? - - - - -	350.	342.
Conſuetudo quomodo differat a traditione?	193.	225.
Corpus iuris canonici an vbique ſit receptum? - - - - -	436.	504.
Critica vid. *ars critica.* - - -		

Cul-

	pag.	§.
Cultus Dei quid et quotuplex ? - -	7.	8.
internus in quo conſiſtat ? - -	8.	10.
externus quid requirat ? - -	9.	12.
an ad hunc quoque ſpectent dies feſti templa et cerimoniae ? - -	10.	13.
an iure naturae ſit praeceptus ac ſimul determinatus et quomodo contraria ſententia refutetur ? - - -	11.	14.
quae regula generalis circa illum	150.	173.
Curia romana quid ſit; quot et quibus partibus conſtat ? - - -	440.410.ſeq.	

D.

Dataria quid ? - - - -	448.	522.
Decimae an ſint iuris naturalis ?	157.179.ſch.	
Deciſiones rotae romanae quam habeant auctoritatem ? vid. *rota romana.*		
Declarationes congregationum cardinalium cuius ſint auctoritatis ? - -	454.	532.
Decretales Gregorii IX. quam partem iuris canonici conſtituant ? quae ratio ac fontes earum et quae diuiſio ? an ſint in germania receptae ? - - -	458.	537.
Innocentii IV. et Gregorii X. quae ?	431.	495.
Decretalium Bonifacii VIII. lib. VI. vnde originem trahat, et quomodo diuidatur.	432.	496.
an ſit in germania receptus ? - -	459.	538.
liber VII. a quo conditus. - -	434.	501.
an receptus in germania ? - -	459.	539.
correctio a quo perfecta ſit ?	435.	502.
Decretum Gratiani an ſit receptum in germania ? vid. *Gratianus.*		
concilii conſtantienſis an ſit conſentaneum ſacrae ſcripturae - -	255.	291.
Deus quotuplici modo ſit colendus.	8.	11.
Dies feſti an cultum Dei externum promoueant ? - - - - -	10.	13.
Dionyſii exigui collectio quae ? - -	398.	448.
Diplomatica ars an ſit adminiculum ſtudii canonici ? - - - -	376.	423.
Diſciplina eccleſiae an ſit mutationi obnoxia ?	65.	81.
Diſciplinaria circa quae obiecta verſentur ?	308.	344.

Diſ-

pag. §.

Diſputationes theologicas an princeps terminare poſſit? - - - 304. 341.
Doctor eccleſiae quibus dotibus ornatus eſſe debeat? - - - - - 149. 172.
Doctores eccleſiae an differant a ſcriptoribus eccleſiaſticis? - - - 269. 302.
Dogmata cuius iudicio ſint determinanda? 290. 331.
an ad ea credenda quis cogi poſſit? 291. 331.
an princeps eorum obſeruationem promouere teneatur, et quibus mediis id adſequi poſſit? - - - - - 292.333.ſeq.

E.

Eccleſia naturalis quid et quotuplex? 13. 16.
an eius poteſtas naturaliter maieſtati cohaereat? - - - - - 13. 17.
an ab ea ſeparari poſſit? - - 14. 18.
eſſentialia religionis vid. *religio chriſtiana* quid? - - - - - 53. 65.
quotuplex? - - - - - 52. 64.
quot modis accipi ſoleat? - - 52.63.ſeq.
qui ſunt eius caracteres? - - 55.67.ſeq.
a quo ſit inſtituta? - - - 54. 66.
quae ianua ad eam? - - - 57. 70.
quis eius finis? - - - - - 58. 71.
an ſit infallibilis in declarandis eſſentialibus religionis et quomodo probetur? 61.76.ſeq.
quomodo refutetur proteſtantium obiectio? - - - - - - 64. 79.
an etiam in accidentalibus? - - - 65. 81.
an ſit diſtincta a ciuitate et independens? vid. *poteſtas eccleſiaſtica.* 83.100.ſch.
quomodo differat a ſocietate ciuili? 144. 166.
an ſit ſocietas inaequalis? - - 82. 99.
Eccleſiaſticum regimen? vid. *regimen.*
Epiſcopatus an ſit omnium ordinum fons? 132. 156.
Epiſcopi quibus ſuccedebant? - - 67. 84.
an eorum poteſtas in regenda eccleſia ſit aequalis? - - - - - 69.85.ſeq.
an ſit immediate a Deo, et quomodo ſententia contraria refutetur? 70.ſeq.85.

an

pag. §.
an ſint vocandi ad concilium oecumenicum? - - - - - 201. 235.
an omnes adeſſe oporteat? - 210. 241
an gaudeant iure voti deciſiui. - 209. 240.
romani an ſint ſucceſſores diui Petri? 79. 96.
an ipſis competat primatus iure diuino et humano? - - - - - 80. 97.
quae eorum iura? vid. *primatus.*
Epochae vet. teſtamenti quot et quae? 354. 396.
Eſſentialia religionis chriſtianae quae ſint? vid. *ſubſtantialia religionis.*
Euſebii hiſtoria quem vſum habeat in ſtudio canonico? - - - - - 345. 485.
Exemtio omnimoda clericorum an ſit iuris naturalis. - - - - - 155. 177.
Exceptiones regularum eccleſiaſticarum Iuonis carnotenſis quae? - - 411. 462.
Extrauagantes Ioannis XXII. quid? 433. 499.
communes quid? - - - ibid. 500.
an receptae ſint in germania? - 459. 538.

F.

Felicitas quid? - - - 3. 2.
an omnes eam deſiderent? - - 3. 1.
virtus an veram tribuat? - - 4. 3.
quare non perfectam? - - - 4. 4.
an haec exiſtat? - - - - 5. 5.
in quo ſita ſit? - - - - - 5. 6.
quodnam ſit medium eam obtinendi? 6. 7.
Feudale ius longobardorum et hodiernum quale ſit? - - - - 415. 470.
an ſit eius vtilitas in iure eccleſiaſtico? 416. 471.
Fideles quomodo diuidantur? - 126. 144.
Fides quid, et an ſit religionis reuelatae fundamentum? - - - 26.34.ſch.
an imperio ciuili ſubiecta ſit? - 146. 169.
Finis eccleſiae quis? - - - - - 58. 71.
Forma regiminis eccleſiaſtici an ſit monarchica? - - - - - - 84. 101.
vtrum mixta? - - - - 85. 102.

INDEX

pag. §.

G.

Genuina an ſit traditio, quomodo dignoſci poſſit? - - - - - 191. 121.

Germania an ſint clementinae in illa receptae? - - - - - - 459. 538.
quando collectio Dionyſii exigui in ea inualuerit. - - - - 408. 458.
decretum Gratiani an ſit in illa receptum. - - - - - 457. 535.
concordata illius quid? - - 437.506.ſeq.
an decretales Gregorii IX. in illa ſint receptae? - - - - - 458. 537.
an decretalium Bonifacii VIII. lib. VI. in illa ſit receptus? - - - - 459. 539.
an liber VII. in illa ſit receptus. 459. 539.
an extrauagantes Ioannis XXII. in illa ſint receptae? - - - - 459. 538.

Geographia ſacra quid? - - 356. 399.
quotuplex? - - - - - 357. 400.
quae eius vtilitas in interpretandis SS. litteris? - - - - - 359. 402.

Gratiae ſignatura quid? - - - - 446. 520.

Gratianus an aliquam canonum collectionem fecerit? - - - - - 419. 477.
ex quibus fontibus hanc hauſerit? 421. 479.
quam partem corporis iuris eccleſiaſtici conſtituat? - - - - - 419. 477.
quae ratio id conficiendi et quomodo diuidatur? - - - - - 430. 478.
quid paleae in eius decreto? - 423. 481.
decretum a quo correctum ſit, et emendatum? - - - - - 423. 432.
an ſit in germania receptum? 457. 535.
- - - - - - - ibid. 536.

Gregorius IX. an decretalium collectionem adornari iuſſerit? - - - - 429. 492.

Gregorius X. an quamdam collectionem confici praeceperit? - - - - 431. 495.

H.

Digitized by Google

pag. §.

H.

Haereſes an princeps politicus impedire teneatur, et quibus mediis id adſequi poſſit? - - - - - 294. 335.
Harduiniana collectio quae? - - 425. 485.
Hierarchia quid? - - - 124. 141.
quotuplex? - - - 125. 142. ſeq.
miniſterii an iure diuino ſit inſtituta? 127. 146.
qui ad hanc pertineant? - - 129. 148.
an eccleſia addiderit? - - 128. 147.
an idem tenendum ſit de hierarchia iurisdictionis? - - - - - 130. 149.
- - - - - - 150.
Hiſtoria an idem ſit, ac notitia antiquitatum? 349. 390.
eccleſiaſtica an ſit neceſſaria in ſtudio canonico? - - - 328. 361.
- - - - - - - ſeq. ſeq.
qualis requiratur? - - 330. 364.
eius auctoritas ex quo conſtet? 336. 370.
quam vtilitatem praeſtet in interpretanda SS. ſcriptura, traditionibus, conciliis SS. patrum ſcriptis, et exponendis decretalibus? - - - 331. 365.
in ea legenda an ſint canones ſeruandi, et qui hi ſint 1mo Mabillonii? 337. 372.
- - - - - - ſeq. ſeq.
2do Melch. Cani? - - - - 342. 381.
eius ſcriptores graeci qui? - - 344. 384.
- - - - - - - - ſeq. ſeq.
latini antiqui et recentiores qui? 347. 388.
profana, et litteraria an ſit adminiculum ſtudii canonici? - - - - 375. 722.
Honorii 3tii collatio quae? - - 428. 490.

I.

Ieſus Chriſtus an aliquando exſtiterit? 36. 47.
- - - - - - - et ſch.
nouamque religionem condiderit? 38. 48. ſeq.
Immunitas localis an ſit iuris naturalis? 156. 178.
realis quatenus ſit iuris naturalis? 459. 179.
Immunitatis eccleſiaſticae congregatio quid? 453. 532.

Im-

	pag.	§.
Imperatores chriſtiani an primis ſeculis exercuerint ius conuocandi concilia oecumenica?	206.	238.
an eorum conſenſus etiam hodie eſt exquirendus.	288.	239.
Imperii notitia in iure eccleſiaſtico cur ſit neceſſaria et quidem vtriusque?	360.	404.
ſacri et ciuilis eſſentialis differentia quae?	93.	111.
Imperium ciuile iuribus eccleſiae an aduerſetur?	147.	120.
an ſit ſubiectum eccleſiae in temporalibus?	146.	169.
vid. *poteſtas ciuilis et princeps politicus.*		
Indicis congregatio quid?	451.	527.
Infallibilitas eccleſiae in declarandis ſubſtantialibus religionis quomodo probetur?	61.	76.
	vid.	*eccleſ.*
Innocentii III. collectiones quae ſint?	416.	488.
	417.	489.
Innocentii IV. decretales quando adparuerint?	431.	495.
Inquiſitionis congregatio quid?	451.	426.
Inſtitutiones Lancelloti quam ſortem adeptae ſint?	435.	503.
Interpretatio ſacrae ſcripturae qualis obtineat?	174	198.
quae regulae circa illam?	175.	199.
	ſeq.	ſeq.
Ioannis gallenſis collectio quae?	426.	487.
XXII. extrauagantes quid? vid. *extrauagantes.*	433.	499.
Iſidori hiſpalenſis collectio quae?	400.	451.
Iſidorus peccator quot et quibus pontificibus epiſtolas impoſuerit?	402.	453. ſch.
an ſit ſpuria et quomodo id probetur?	405.	456.
Iudiciales leges moſaicae religionis a quonam ſint ſublatae.	48.	58.
Iuonis carnotenſis exceptiones regularum eccleſiaſticarum quae?	411.	462.
Iura primatus in eccleſia chriſtiana quae ſint?	235.	271.
	ſeq.	ſeq.
vnde deducantur?	77.	93.

eccle-

Digitized by Google

	pag.	S.
eccleſiaſtica an tolli poſſint a principe politico et quibus in caſibus? -	321.	271.
- - - -	ſeq.	ſeq.
Ius conuocandi concilia vniuerſalia cui competat? - - -	204.	237.
an hoc iuri principum politicorum praeiudicet? - - - -	206.	238.
- - - - - - et	295.	336.
in conciliis vniuerſalibus praeſidendi quis habeat? vid. *concilium oecumenicum.*	211.	242.
circa ſacra quid et an a maieſtate diuelli poſſit? - - -	15.	19.
an principibus politicis competat?	288.	329.
- - - - -	ſeq.	ſeq.
eccleſiaſticum quid? - -	135.	155.
quotuplex? - - -	136.	156.
an differt a theologia? - -	137.	157.
quae principia in eo ſint neceſſaria, et vnde deriuetur? - -	137.	158.
canonicum quam auctoritatem habeat in publicis? - - -	461.	540.
quam in priuatis? - -	461.	541.
eius ſanctiones vtrum praeferendae ſint iuri ciuili? - - -	463.	543.
- - - - - -	ſeq.	ſeq.
quae regulae ſint ſtatuendae circa illius auctoritatem? - - -	464.	543.
- - - - - -	ſeq.	ſeq.
vulgares an ſint reiiciendae? -	464.	546.
feudale vid. *feudale ius*		
traditum an aeque ac ſcriptum obliget?	181.	208.
naturae an ſit principium iuris eccleſiaſtici? - - - - -	139.	160.
- - - - - -	ibid.	161.
Ius circa ſacra quid et an a maieſtate diuelli poſſit? - - - -	15.	19.
Iuſtinianus codex et repetitae praelectionis quid? illius nouellae vid. *nouellae.*	414.	467.
Iuſtitiae ſignatura quid? - -	445.	519.

pag. §.

L.

Laici quinam dicantur? - - - - 126. 144.
Lancelloti inſtitutiones cuius ſint auctoritatis? - - - - - 435. 503.
Lapidaria ars an ſit adminiculum ſtudii canonici? - - - - - 376. 423.
Leges moſaicae an ſint per religionem chriſtianam ſublatae? - - 48. 58.
- - - - - - ſeq. ſeq.
veteris teſtamenti quotuplices? 31. 41.
morales an adhuc obligent? - 50. 51.
eccleſiaſticae an ſubinde iuri naturali originem debeant? - - 140. 162.
- - - - - - ſeq. ſeq.
naturales an immutari queant? 142. 164.
eccleſiaſticas an princeps auctoritate ſua munire poſſit? - - - 193. 336.
eccleſiaſticae an reipublicae ſubinde nocere poſſint? - - - 314. 351.
eccleſiaſticae quomodo ſubſequentibus ſeculis fuerint multiplicatae? - 384 429.
Libri veteris teſtamenti an genuini ſint, et incorrupti, et quomodo demonſtratur? 27. 36.
an quoque diuini? - - 32.ſeq.42.ſeq.
Libri noui teſtamenti quid et vtrum genuini? - - - - - 40. 50.
an omni fide hiſtorica digni? 41. 51.
an ſint quoque diuini? - - 42. 51.
an omnia dogmata religionis chriſtianae in ſe contineant? - - 43. 53.
Libri bonis moribus, et religioni pernicioſi an prohiberi poſſint a principe? 306. 343.
- - - - - - 126. 144.
Libri ſacrae ſcripturae quomodo diuidantur? 161. 186.
- - - - - - ſeq. ſeq.
quo idiomate ſint ſcripti? - 164. 189.
Localis immunitas an ſit iuris naturalis? 156. 178.

M.

Mabillonius et Melchior Canus an leges quasdam ſtatuerint, quae obſeruandae

Digitized by Google

pag. §.
ſunt in legendis hiſtoriis? - 338. 373.
Maieſtas vid. *poteſtas ciuilis, aut princeps politicus.*
an naturaliter poteſtatem eccleſiaſticam habeat? - - - 13. 17.
an haec ab illa ſeparari poſſit? 14. 18.
an etiam ius circa ſacra? - - 15. 19.
Menda in monumenta antiquitatis quomodo irrepſerint? - - - 363. 407.
Methodus diſcendi et docendi ius canonicum quae? - - - 378. 426.
Miracula a Moyſe patrata an demonſtrent, religionem libroſque ſuos eſſe diuinos? 32. 42.
quantum valeant argumenta in contrarium? - - - - 33. 42. ſeq.
Morales hebraeorum leges an adhuc obligent. - - - - 50. 61.
Mores an et quomodo differant a traditione. 193. 225.
Moyſes an religionem reuelatam perfecerit? 30. 40.
an haec per religionem chriſtianam ſublata fuerit, quae in ſpecie leges? 48. 58.
Moſaicae leges an ſint per religionem chriſtianam ſublatae et quae? - - 48. 58.

N.

Naturalis religio quid? vid. *relig.* -
Negotia eccleſiaſtica quotuplicis ſint generis? - - - - - 289. 330.
grauiſſima vbi et quomodo decidantur? 86. 103.
- - - - - - - 87. 104.
quae cathedrae Petri reſeruentur? 87. 105.
in eſſentialibus et accidentalibus an omnes fideles ſubſint poteſtati eccleſiaſticae? - - - 89. 107.
mixta an dentur, in quibus fideles aliquando ſubiiciantur poteſtati eccleſiaſticae? - - - - 91. 109.
temporalia quae? - - 294. 112.
in his an ſit aliqua eccleſiae poteſtas, et quomodo id probetur? - - 94. 113.

pag. §.

Noachidarum praecepta quot et quae recenſeri ſoleant? - - - 29. 38. ſchr.
Noachus religionem reuelatam conſeruauit? - - - - 29. 38.
Nomocanon Photii quid? , - 408. 459.
Notitia imperii in iure eccleſiaſtico cur ſit neceſſaria, et quidem vtriusque imperii? 359. 403.
Nouellae Theodoſii quid? - - 414. 466.
Iuſtiniani quid? - - 415. 469.
Numaria ars an ſit adminiculum ſtudii canonici? - - - 376. 423.

O.

Obſeruantia an diſcrepet a traditione? 193. 225.
Ordines quid ſint? - - 126. 145.
quinam in hierarchia miniſterii a Deo ſint inſtituti, quinam ab eccleſia? 127. 146.
- - - - - - - 128. 147.
qui maiores qui minores? - - 129. 148.
reſpectu hierarchiae iurisdictionis quinam iure diuino nitantur? - - 130. 149.
quinam iure humano? - - 131. 150.

P.

Palearum nomine quid in decreto Gratiani intelligatur? - - - - 422. 481.
Papa vid. *epiſcopi romani* ſeu infra *primatus.*
Patres eccleſiae quid? - - - - 269. 302.
an diſtinguendi a ſcriptoribus eccleſiaſticis? - - - - 270. 303.
an aliqui ſint ab eccleſia reprobati? 270. 304.
illorum ſcripta an per ſe vim legalem habeant? - - - 271. 308.
an vim probandi? - - 272. 306.
quanta ſit aliquorum auctoritas in dogmaticis? - - - - 274. 310.
plurium? - - - 275. 311.
omnium conſentientium? - - 276. 312.
an ea certum ſit diuinitatis argumentum, et quomodo probetur? 277. 313.
- - - - - ſeq. ſeq.

quam

Digitized by Google

	pag.	§.
quam auctoritatem habeant in philoſophicis? - - -	273.	309.
in diſciplinaribus? - -	280.	317.
illorum lectio qua cautione opus habeat?	280.	318.
an aliqua illorum ſcripta ſint corrupta?	282.	319.
quae regulae in interpretandis SS. Patribus tenendae ſint? - -	283.	320
Perpetuitas an ſit character eccleſiae chriſtianae? - - -	57.	69.
Perſonae eccleſiaſticae, qua ciues an eximantur imperio ciuili? - -	316.	353.
quomodo conſtituantur? - -	148.	171.
earum exemtio omnimoda an ſit iuris naturalis? - - - -	155.	177.
an a principe politico moneri poſſint, vt canones eccleſiaſticos exactiſſime obſeruent? - - -	309.	345.
ne nociua eccleſiae conſtituant?	310.	346.
et ne bona eccleſiaſtica alienent?	311.	347.
Petrus an fuerit Romae epiſcopus? vid. *infra primatus.*	77.	94.
Philoſophia an ſit neceſſaria in ſtudio iuris canonici? - - -	377.	424.
Photii Nomocanon quid? - -	408.	459.
Piſanum concilium an fontem conſtituat iuris nouiſſimi? - - -	436.	505.
Placetum regium quid? - -	315.	352.
an nulla lex eccleſiaſtica ſine eo promulgari poſſit. - -	313. ſeq.	349. ſeq.
Poenitentiaria quid? - -	447.	521.
Pontifex romanus vid. *epiſcopi romani*, et infra *primatus.*		
an habeat ius conuocandi concilium oecumenicum? - -	204.	237.
an ius quoque in eo praeſidendi?	211.	242.
etiam per legatos? - -	211.	243.
qualis ſit huius iuris effectus?	213.	244.
circa dogmata quid facere poſſit?	243.	278.
an ſit ſuperior prae concilio oecumenico et quomodo probetur? - -	254.	290.
- - - - -	257.	292.

Digitized by Google

	pag.	§.
decretum concilii conſtantienſis an ſit conſentaneum S. ſcripturae?	255.	291.
argumenta Bellarmini quae et quomodo refutentur? - - -	259.	293.
- - - - - -	ſeq.	ſeq.
quid in decreto concilii conſtantenſis?	261.	295.
an habeat ius decreta conciliorum generalium examinandi? - -	263.	296.
Pontificiae conſtitutiones ex quibus fontibus promanent? vid. *conſtitut. pontif. cauſae arduae.*		
Poſitiua religio quid? vid. *religio poſitiua.*		
Poteſtas eccleſiaſtica an naturaliter maieſtati cohaereat? - - -	13.	17.
quid ſit? - - - -	58.	72.
an eam Chriſtus toti eccleſiae conceſſerit, et quomodo id probetur? - -	59	73.
ad quae ea ſe extendit? - -	61.	75.
- - - - - -	ſeq.	ſeq.
an etiam ad accidentalia religionis determinanda? - - -	ibid.	ibid.
Poteſtas a quibus Chriſtus eam exerceri voluerit? - - - -	66.	82.
an in ſingulis apoſtolis ea fuit aequalis?	67.	83.
an etiam in epiſcopis? - -	69.	85.
an haec immediate ſit a Deo?	70.	68.
Poteſtas ciuilis an directe dependeat ab eccleſiaſtica? - - -	95.	114.
an ſit a Deo? - - - -	98.	118.
an ipſi eccleſiae antiſtites eidem ſubiiciantur? - - -	99.	119.
an ſaltem indirecte dependeat ab eccleſiaſtica? - - - -	101.	122.
- - - - - -	ſeq.	ſeq.
quae argumenta Bellarmini. -	105.	125.
an eidem ſubſint omnes fideles et quibus in negotiis vid. *negotia eccleſ.*		
eius quantitas ex fine eſt metienda?	148.	171.
an ſit diſtincta et independens a ciuili?	83.	100.
- - - - -	et	ſch.

Prae-

	pag.	§.
Praecepta Noachidarum quot et quae ſtatuantur?	29.	38.
poſitiua vniuerſalia an a Deo data fuerint in veteri teſtamento et quot, qualesque cenſeri ſoleant?	35.	45.
Primatus quid et quotuplex?	81.	98.
		et ſch.
an S. Petro a Chriſto fuerit collatus? et quomodo id probatur?	73.	90.
	ſeq.	ſeq.
quem habeat finem?	76.	92.
eius iura vnde deducantur?	77.	93.
an debeat eſſe perpetuus?	78.	95.
romanis epiſcopis quo iure competat?	80.	96.
		97.
quae ſint eius iura?	235.	271.
eius auctoritas quo modo ſit extenſa per pſeudo-Iſidori epiſtolas?	268.	301.
Princeps politicus an naturaliter habeat poteſtatem eccleſiaſticam?	13.	17.
an neceſſario?	14.	18.
an habeat ius conuocandi concilia?	206	238.
politicus an habeat poteſtatem vere ſacram?	288.	328.
an ius circa ſacra ipſi competat?	15.	19.
	288.	329.
an teneatur promouere obſeruationem dogmatum?	292.	333.
an debeat leges eccleſiaſticas auctoritate ſua firmare?	293.	334.
quid facere debeat, ne oriantur, haereſes, quid ſi iam ortae ſint?	294.	335.
	ſeq.	ſeq.
quale ius habeat circa perſonas eccleſiaſticas?	308.	344.
quale circa iura eccleſiaſtica?	312.	348.
	ſeq.	ſeq.
an diſputationes theologicas terminare poſſit?	394.	341.
an cauere debeat, ne quid mali reipub-		

	pag.	§.
licae immineat, et an id fieri poſſit per leges eccleſiaſticas?	313.	350.
. . . . . .	314.	351.
an ſine ipſius placeto lex quaedam promulgari poſſit?	315.	352.
an gaudeat iure dandi excluſiuam?	317.	354.
quid circa res eccleſiaſticas?	319.	355.
an habeat ius condendi leges amortizationis?	320.	356.
an ipſi etiam competat ius iura eccleſiaſtica a ſecularibus ſeparandi, ſi cohaereant, aut illa omnino tollendi, ſi exinde turbae oriantur?	321.	357. ſeq.
an ſubditis a vera religione alienis liberum ſacrorum exercitium permittere poſſit?	323.	359.
Principia an ſint neceſſaria in iure eccleſiaſtico, et quae?	137.	158.
. . . . . .	ſeq.	ſeq.
Prophetiae an euincant, religionem veteris teſtamenti eſſe diuinam?	34.	43.

R.

Regimen eccleſiaſticum vid. infra *religio chriſtiana*.		
eius forma an ſit monarchica?	84.	101.
vtrum mixta?	85.	102.
in quo generatim conſiſtat?	92.	110.
quotuplex?	125.	142.
Regula generalis circa cultum externum quae?	150.	173.
Regulae criticae quot, et quae circa vim et auctoritatem iuris canonici?	367.	412.
. . . . . .	ſeq.	ſeq.
S. ſcripturam interpretandi quae?	175.	199.
. . . . .	ſeq.	ſeq.
SS. patres interpretandi quot et quae?	283.	320.
. . . . .	ſeq.	ſeq.
in legendis hiſtoriis an ſint obſeruandae?	337.	372.
. . . . .	ſeq.	ſeq.
cancellariae quid?	449.	524.
quamnam habeant auctoritatem?	466.	549.

Reli-

	pag.	§.
Religio an ſit medium perfectam felicitatem obtinendi? - -	6.	7.
quae eius fundamenta? - -	7.	8.
quid vera, quid falſa, naturalis an tolli, an immutari poſſit, an prior ſit poſitiua?	7.	9.
- - - - et	12.	15.
eius officium quodnam ſit primum ac palmare? - -	8.	10.
quale ſit alterum? - -	8.	11.
naturalis quid, in quo conſiſtant eius ſubſtantialia et accidentalia, et vnde dicta ſit? - -	12.	15.
- - - -		et ſch.
quot et quibus argumentis eius neceſſitas demonſtretur? - -	16.	20.
- - - -		et ſeq.
obiectiones contra neceſſitatem religionis reuelatae diſperguntur? -	20.	24. ſch.
diuina poſitiua quid? - -	21.	25.
quae ſint ſigna, ex quibus cognoſci poſſit? - - - - -	21.	26.
abuſus, aut vſus rationis in ea an ſit vitandus. - - -	24.	32.
quae ſunt eius ſubſtantialia, quae accidentalia? - - - - -	25.	33.
quodnam ſit eius fundamentum?	26	34.
eius doctrina et hiſtoria in quibus libris contineatur? - - -	27.	35.
cui primum data, a quo conſeruata, confirmata et tandem perfecta ſit?	28. ſeq.	37. ſeq.
chriſtiana quid, et quae ſint eius eſſentialia et accidentalia? - - -		
an moſaicam ſuſtulerit et quas in ſpecie leges? - - -	48.	58. ſeq.
a quo nomen acceperit? - -	51.	62.
eius ſubſtantialia an ſoli poteſtati eccleſiaſticae ſubiacent? - -	61.	75.
an in iis declarandis eccleſia ſit infallibilis, et quomodo id probetur, et obiectiones proteſtantium reſoluantur?	61.	76.
- - - - -	ſeq.	ſeq.
an ſit ab vnoquoque defendenda?	152.	174.

Digitized by Google

	pag.	§.
diuerſa an ſine iniuſtitia tolerari poſſit?	ibid.	175.
adprobata, tolerata, reprobata quid?	154.	176.
verae religionis impugnatores num princeps tolerare, aut poenis conſtitutis proſequi debeat? - -	299.	338.
- - - - - -	ſeq.	ſeq.
chriſtianam an imperium ciuile aut tollit, aut minuit? - - - -	146.	168.
Res eccleſiaſticae an eximantur imperio ciuili? - - - -	319.	355.
Rheginonis ſyſtema quid? - -	409.	460.
Rituum congregatio quid? - -	453.	529.
Romanus pontifex vid. *epiſcopi romani et primatus.*		
Rota romana quid? - -	443.	515.
quae eius indoles? - -	444.	516.
eius auditores qui? - -	444.	517.
quis in ea procedendi modus?	445.	518.
eius deciſiones quam habeant auctoritatem? - - - -	468.	551.
Ruffini hiſtoria quem vſum habeat in ſtudio canonico? - - - -	346.	386.

S.

Scripta SS. patrum an per ſe vim legalem et probandi habeant? - -	271.	305.
- - - - - -	272.	306.
quotuplici modo haec vis probandi variet? - - - -	273.	307.
quae regulae in eorum lectione ſint obſeruandae? - - -	283.	320.
- - - - - -	ſeq.	ſeq.
Scriptores chronologici qui? -	355.	398.
eccleſiaſtici an ſint diſtinguendi a SS. patribus et doctoribus eccleſiae?	269.	302.
an eorum aliqui ab eccleſia ſint reprobati? - - - -	270.	304.
- - - - -		et ſch.
in iis legendis quae cautio ſit adhibenda? - - -	363.	407.
an improbi aliquam mereantur fidem?	337.	371.
hiſtoriae eccleſiaſticae graeci qui ſint?	344.	384.

La-

	pag.	§.
latini antiqui et recentiores qui?	347.	388.
- - - -	348.	389.
Scriptura ſacra quid? - -	159.	181.
quotuplex eius inſtrumentum?	159.	182.
an aliqui eam corruperint? -	160.	183.
an eccleſia ſit eius iudex et cur?	161.	184.
- - - - -		175.
eius libri quomodo diuidantur?	ibid.	186.
- - - - -	ſeq.	ſeq.
quomodo ſit interpretanda? -	174.	198.
quae regulae ſint obſeruandae?	175.	199.
- - - - - -		ſeq.
an ſufficiat ad geſta apoſtolorum cognoſcenda? - - -	344.	384.
Signatura iuſtitiae quid? - -	445.	519.
gratiae quid? - - -	446.	520.
Societas eccleſiaſtica quibus modis a ciuili differat? - - - -	144.	166.
Socratis hiſtoria an alicuius ſit auctoritatis?	347.	387.
Subſtantialia religionis quae? vid. *religio.*		
Superioritas pontificis prae concilio oecumenico an ſit reiicienda, et quomodo probetur? vid. *pontifex.*		
Synodorum particularium quae ſit auctoritas? - - -	264.	297.
Syſtema Rheginonis quid? - -	409.	460.

T.

Templa an ſpectent ad cultum Dei externum? - - - -	10.	13.
Temporalia negotia quae et an in his ſit aliqua eccleſiae poteſtas? - -	94.	112.
Temporis computatio an ſit difficilis, et quare?	383.	395.
Theodoſianus codex vid. *codex.*		
Theodoſii nouellae. vid. *nouellae.*		
Theologia an differat a iure eccleſiaſtico?	137.	157.
Theologia an ſit adminiculum ſtudii canonici? - - -	372.	420.
Tolerantia diuerſae religionis an ſit iniuſta?	152.	175.
Traditiones diuinae noui teſtamenti an exiſtant? - - -	44.	54.

earum

pag. §.

earum neceſſitas quotuplici ex fonte probetur? - - - 45.55.ſeq.
Traditio quid? - - - 181. 208.
quotuplex? - - - 182. 210.
an aeque ac lex ſcripta obliget? 181. 209.
traditio diuina an ſit vniuerſalis? 183. 212.
dogmaticae an Deus ſit auctor? 185. 214.
diſciplinaris an ſit mutabilis? - ibid. 215.
an omnis humana ſit diſciplinaris? 187. 218.
diuina an ſit perpetua et immutabilis? 188. 219.
eius genuinitas quomodo determinetur? 190. 221. - - - - - ſeq.
quomodo differt a conſuetudine et moribus? - - - - - 193. 225.
quid de vulgaribus et piis ſentiendum ſit? - - - - - 194. 226.
- - - - - - 195. 227.
an cautione in iis ſit opus? 196. 228.
Transactiones et concordata principum cum ſede romana an ad ius nouiſſimum pertineant? - - - - 437. 506.
Tridentinum concilium an praecipuum iuris nouiſſimi fontem conſtituat? - 436. 505.

V.

Veritas religionis an ſit a quocunque defendenda? - - - 132. 174.
Verſiones ſacrae ſcripturae graecae quot et quae ſint? - - - - 166. 191.
an inter illas verſio ſeptuaginta duorum interpretum ſit antiquiſſima? 165. 190.
latinae quae et an inter illas itala ab Auguſtino ſic dicta eminuerit? 168. 192.
quis auctor vulgatae? - - 169. 193.
an haec ſit authentica?. - - 170. 194.
- - - - - - - - 171. 195.
quid de aliis ſentiendum ſit? - 172. 196. - - - - - - - ſeq.
Veteris teſtamenti libri an ſint genuini et incorrupti? - - - 27. 36.
an quoque diuini, et quomodo probetur et argumenta contraria diluantur? 31.42.ſeq.

	pag.	§.
quot eius ſint leges? - -	31.	41.
an in eo exſtiterint praecepta diuina poſitiua vniuerſalia et quae vulgo recenſeri ſoleant? - - -	35.	45.
Virtus quid, et quomodo felicitatem tribuat? - - -	4.	3.
an perfectam? - -	ibid.	4.
Vnitatis conſeruatio an fuerit finis primatus? - - -	76.	92.
Vniuerſalitas et vnitas an ſint notae eſſentiales eccleſiae chriſtianae?	55.	67.
- - - -	56.	68.
Volumen decretorum ſeu canonum Burchardi quid? - - -	410.	461.
Vſus rationis an ſit in religione reuelata vitandus? - - -	24.	32.

Digitized by Google

Pag.	Lin.	*Errata.*		*Lege.*
4	3	philoſophornm	—	philoſophorum
9	28	S. Avg. epiſt. 121.	—	130. Tom. II. col. 382. c.
			—	1. ſeq. edit. venet.
10	1	ceremoniae	—	cerimoniae
ibid.	12	ceremonia	—	cerimonia
14	10	?llo	—	illo
18	8	aſperſit	—	adſperſit
21	2	At qui	—	Atqui
22	13	dum	—	tum
24	20	appareat	—	adpareat
31	7	caeremoniales	—	cerimoniales
ibid.	15	caeremoniales	—	cerimoniales
32	vlt.	Sigilli	—	Sigillis
33	35	affingere	—	adfingere
ibid.	vlt.	appeteret	—	adpeteret
36	4	coetera	—	cetera
37	19 20	Plin-ium	—	Plinium
ibid.	32	omni cum	—	cruci eum
42	28	aſſeri	—	adſeri
42	30	S. Avg. conc.	—	ſerm. III. in enarrat.
		3.	—	Pſalm. 36. tom. IV. col.
			—	284. n. 4.
48	9 10	attemperatas	—	adtemperatas
ibid.	24	caerimoniales	—	cerimoniales
ibid.	25	caerimoniales	—	cerimoniales
49	1 2	applicatione	—	adplicatione
ibid.	11	ceremonialia	—	cerimonialia
50	16	Avg. epiſt. 19.	—	epiſt. 82. n. 16. tom. II.
		n. 82.	—	col. 195.
69	15	in totum	—	id totum
80		§. LXCVII.	—	§. XCVII.
87	19	S. Avg. lib. IV.	—	n. 34. t. X. col. 492.
		ad Bonifac.	—	
87	penult.	Drum	—	Deum
88	2	Conſtantin	—	Couſtant.
ibid.	8.	Conſtant.	—	Couſtant.
93	9	infidelium	—	in fidelium
94	21	in hac	—	In haec
126	4	ſeu clerici ſunt.	—	ſeu clerici: ſunt
139	penult.	praemittenda	—	praetermittenda
160	12	contendant	—	contendat

Erra-

Errata.				*Lege.*
Pag.	Lin.			
187	6	Atoſtoli	—	Apoſtoli
190	25	eccleſia	—	eccleſiae
237	28	quam	—	quum
252	20	ratio	—	natio
264	31	diſſ.	—	diſt.
275	1	qu	—	qui
284	penult.	benigu	—	benigne
287	8	fontit	—	fontis
ibid.	9	ſi	—	ſit
299	10	voces	—	voce
301	19	tribuant	—	tribuunt
393	10	nicaenae	—	nicaeni
402	18	reperit	—	reperiit

Reliqua Lectorum Beneuolentia ſupplebit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Stanford University Libraries
3 6105 012 822 602

BV
761
.R5
1776
v.1

	DATE DUE		

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
STANFORD, CALIFORNIA
94305

Digitized by Google